





KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK
0528 1644



ANNALES

ACADEMIAE LOVANIENSIS

MDCCCXXII—MDCCCXXIII.

VOL. VI.

ANNALES

ACADEMIAE LOVANIENSIS

ANNI SEXTI,

A NONIS OCTOBRIBUS ANNI MDCCCXXII AD DIEM V. ANTE IDUS OCTOBRIS ANNI MDCCCXXIII,

CAROLO FRANCISCO JACMART

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICO

ATQUE

JOHAN. MICH. FRANC. BIRNBAUM

SENATUI ACADEMICO A SECRETIS.



LOVANII,
APUD VANLINTHOUT ET VANDENZANDE, ACADEMIAE TYPOGRAPHOS.

MDCCCXXVI.



INDEX

EORUM QUAE HOC ANNALIUM VOLUMINE CONTINENTUR.

I.

NOMINA
PROFESSORUM ET LECTORUM,

QUI

ANNO ACADEMICO MDCCCXXII—MDCCCXXIII

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

NOMINA

PROFESSORUM ET LECTORUM,

QUI ANNO ACADEMICO MDCCCXXII—MDCCCXXIII

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

I. *In Ordine Medicorum.*

C. F. Jacmart.
G. J. Vangobbelschroy. } Professores Ordinarii.
J. M. Baud.
A. Van Solingen, Professor Extraordinarius.
J. M. Zinkgraeff, Professor Honorarius.

II. *In Ordine Mathematicorum et Physicorum.*

J. F. Sentelet.
J. B. Vanmons. } Professores Ordinarii.
F. J. Goebel.
F. J. Adelmann.

III. *In Ordine Jureconsultorum.*

J. P. DE BRUYN. H. F. DECOSTER. J. M. F. BIRNBAUM. A. C. HOLTIUS.	Professores Ordinarii.

IV. *In Ordine Philosophorum et Literatorum.*

F. J. DUMBECK. G. J. BEKKER. G. J. MEIJER.	Professores Ordinarii.

F. A. F. T. B. AB REIFFENBERG, Professor Extraordinarius.
J. JACOTOT, Lector.

II.

SERIES LECTIONUM

PRO SEMESTRI HIBERNO ET AESTIVO

ANNI ACADEMICI MDCCCXXII—MDCCCXXIII

PROPOSITAE.

2*

SERIES LECTIONUM

PRO SEMESTRI HIBERNO ANNI ACADEMICI MDCCCXXII-MDCCCXXIII

PROPOSITA.

I. IN ORDINE MEDICORUM.

C. F. Jacmart, Prof. Ord. omni die, hora IX, *Clinicis Exercitationibus* in Nosocomio Civili praeerit et tirones ad *Praxin Clinicam* instituet. Diebus Lunae, Mercurii et Veneris, hora II, *Therapiam Generalem et Specialem*; diebus Martis, Jovis et Saturni, hora X, *Diaeteticam et Materiam Medicam* docebit.

F. J. Harbaur, Prof. Ord. nunc Rei Medicae militaris terra marique regundae causa e Cathedra avocatus existit.

G. J. Vangobbelschroy, Prof. Ord. diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora XI, *Physiologiam*; diebus Jovis et Veneris, eadem hora, *Pathologiam Generalem* explicabit.

J. M. Baud, Prof. Ord. omni die, hora VIII, *Lectiones Chirurgiae Practicae*, in Nosocomio Civili, habebit, diebus

quinis septimanae posterioribus, hora III, *Anatomiam*; diebus Martis et Jovis, hora indicanda, *Medicinam Forensem* tradet.

A. VAN SOLINGEN, Prof. Extraord. diebus Martis, Jovis et Saturni, hora II, *Artem Obstetriciam* et *Morbos tam Gravidarum quam Puerperarum* explanabit; hora IX et dimidia *Praxi Clinicae* praeerit, quoties puerperae in Nosocomio Civili decumbent. Auditoribus denique theoriae peritis aditus ad *Institutiones Clinicas*, in Nosocomio Obstetricio, concedetur.

J. M. ZINKGRAEFF, Prof. Honorar. diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, hora IV, *Pathologiam et Therapiam Specialem aeque ac Therapiam Generalem*, publice, docere continuabit; *Historiam Medicinae Criticam*, bis per septimanam, horis opportunis, explanabit.

II. IN ORDINE MATHEMATICORUM ET PHYSICORUM.

J. F. SENTELET, Prof. Ord. diebus Martis, Jovis et Saturni, hora XI, *Physicam Generalem*; diebus Mercurii et Veneris, eadem hora, *Oeconomiam Ruralem* exponet.

J. B. VANMONS, Prof. Ord. diebus Martis, Jovis et Saturni, hora X, *Chymiam Generalem et Specialem*; diebus Mercurii et Veneris, eadem hora, *Materiam Pharmaceuticam* et *Pharmaciam Practicam* docebit. Denique in horto Collegii Veteranorum, atque suo, iisdem diebus, hora V, *Rem Hortensem* theoretice et practice tradet.

F. J. GOEBEL, Prof. Ord. quinquies per septimanam, abinde die Martis, hora VIII, *Mathesin Elementarem;* deinde bis per septimanam, horis diebusque opportunis, *Geometriam Practicam, junctisque Exercitationibus usum instrumentorum* demonstrabit; denique, die Lunae, hora XI, gratis, *Calculum Differentialem et Integralem* ad *Staticam et Mechanicam* adplicabit.

F. J. ADELMANN, Prof. Ord. diebus Martis, Jovis et Veneris, hora IX, *Historiam Naturalem Animalium*, adjecta *Anatomia Comparata*, docebit. Iisdem diebus, hora II, *Botanicen et Physiologiam Plantarum* exponet, die vero Mercurii, hora IX, *Mineralogiam*.

III. IN ORDINE JURECONSULTORUM.

J. P. DE BRUYN, Prof. Ord. diebus Lunae, Mercurii, Jovis et Saturni, hora X, *Pandectas;* diebus Martis et Veneris, eadem hora, diebus autem Lunae, Mercurii, Jovis et Saturni, hora III, *Institutiones* uberius explicabit.

H. F. DECOSTER, Prof Ord. sexies per septimanam, hora IX, *Jus Civile Hodiernum*, Gallice; diebus Martis et Veneris, hora III, *Jus Publicum*, Latine docebit.

J. M. F. BIRNBAUM, Prof. Ord. diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, hora VIII, *Jus Criminale Hodiernum;* iisdem diebus hora XI, praemissa *Encyclopaedia* et *Methodologia Juris*, *Jus Naturae et Gentium* docebit.

IV. IN ORDINE PHILOSOPHORUM ET LITERATORUM.

FR. J. DUMBECK, Prof. Ord. praemissa *Introductione* (juxta Dialogos suos, qui Κλειώ inscribuntur) diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora X, *Historiam Universalem Antiquam* ducibus *Tabulis suis Ethnographico-Periodico-Synchronisticis* enarrabit. Deinde, quinis prioribus septimanae diebus, hora V, *Encyclopaediam Philosopham* (seu unius scientiae absolutum disciplinarum quarumvis nexum) *cujuslibet Ordinis* studiosorum usui *gratificabitur*. Tum, ea terminata, diebus Lunae et Martis, hora V, Jovis vero hora X, *Antiquitates Romanas* explicabit. Denique, diebus Mercurii, Jovis et Veneris, hora V, duce compendio suo (quod sub prelo est) *Historiam Europae Politicam* profitebitur, cumque ea *Exercitationes Disputatorias* conjunget.

J. B. LIEBAERT, Prof. Ord. si per valetudinis infirmitatem fieri poterit, lectiones philosophas e tabula indicabit.

G. J. BEKKER, Prof. Ord. explicabit *Ciceronis Epistolas ad Familiares* cum iisque conjunget *Exercitationes et Scribendi Latine et Disputandi*, diebus Martis, Mercurii et Veneris, hora III. Iisdem diebus, hora IV, interpretabitur *Locos Selectos ex Homero, Xenophonte et Isocrate.* Porro enarrabit *Historiam Literarum Graecarum et Latinarum*, diebus et horis opportunis. Philologiae denique studiosi, eo moderatore, explicabunt *Demosthenis Orationes Philippicas* et *exercitabuntur tam in Graece scribendo, quam*

in elaborandis Commentationibus Antiquariis, die Lunae ac Jovis, hora III.

G. J. MEIJER, Prof. Ord. diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris, hora II, *Linguae Belgicae Grammaticam*, Gallice, explicabit, simulque *Exercitationes Belgice scribendi* instituet, atque *Praecepta Stili bene Belgici* docebit. Deinde diebus Mercurii et Saturni, eadem hora, *Historiam Patriam* exponet. Denique, tempore opportuno, *Literarum Belgicarum Historiam Criticam*, neque minus *Rhetoricam Belgicam* tradet.

FR. A AB REIFFENBERG, Prof. Extraord. post *Encyclopaediam Philosophiae*, praemisso quoque *Anthropologiae conspectu*, diebus Martis, Jovis et Saturni, hora IX, *Historiam Philosophiae* ac *Logicam*, (ducibus Dan. Wyttenbachii Praeceptis) exponet. Deinde, diebus Mercurii et Veneris, eadem hora, lectiones super *Metaphysica* et *Philosophia Morali* habebit. Denique *Disputandi Praecepta*, opportuno tempore, auditoribus gratuito obferet.

J. JACOTOT, Lector, *Literas Gallicas* tradet, diebus Martis, Jovis, Veneris et Saturni, hora V.

SERIES LECTIONUM

PRO SEMESTRI AESTIVO ANNI ACADEMICI MDCCCXXII-MDCCCXXIII

PROPOSITA.

I. IN ORDINE MEDICORUM.

C. F. Jacmart, Prof. Ord. omni die, hora VIII, *Clinicis Exercitationibus* in Nosocomio Civili praeerit, et tirones ad *Praxin Clinicam* instituet. Diebus Martis, Jovis et Saturni, hora X, *Diaeteticam et Materiam Medicam* continuabit, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, hora II, *Therapiam Generalem et Specialem* tradere perget.

F. J. Harbaur, Prof. Ord. hoc tempore, Rei Medicae in omni regno regundae causa e Cathedra avocatus, lectiones non habebit.

G. J. Vangobbelschroy, Prof. Ord. diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora XI, *Physiologiam;* diebus Jovis et Veneris, eadem hora, *Pathologiam Generalem* continuabit.

J. M. BAUD, Prof. Ord. omni die, hora VII, *Lectiones Chirurgiae Practicae* in Nosocomio Civili continuabit; hora III, diebus Lunae, Mercurii, Jovis et Saturni *Theoriam Chirurgiae*, diebus Martis et Veneris *Medicinam Forensem* tradet.

A. VAN SOLINGEN, Prof. Extraord. diebus Martis, Jovis et Saturni, hora II, *Artem Obstetriciam* et *Morbos tam Gravidarum quam Puerperarum* explanare perget, et hora IX et dimidia *Praxi Clinicae* praeerit, quoties puerperae in Nosocomio Civili decumbent. Auditoribus denique theoriae peritis aditus ad *Institutiones Clinicas* in Nosocomio Obstetricio concedetur.

J. M. ZINKGRAEFF, Prof. Honor. diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris, hora IV, *Therapiam Generalem et Specialem* aeque ac *Pathologiam Specialem* docebit.

II. IN ORDINE MATHEMATICORUM ET PHYSICORUM.

J. F. SENTELET, Prof. Ord. diebus Martis, Jovis et Saturni, hora XI, *Physicam Specialem*, diebus Mercurii et Veneris, eadem hora, *Oeconomiam Ruralem* exponet.

J. B. VANMONS, Prof. Ord. diebus Martis, Jovis et Saturni, hora X, *Chymiam Generalem et Specialem*; diebus Mercurii et Veneris, eadem hora, *Materiam Pharmaceuticam* et *Pharmaciam Practicam* docere perget, insuper modo in horto Collegii Veteranorum, modo in suo proprio, hora V. pomeridiana *Rem Hortensem* theoretice et practice tradet.

F. J. GOEBEL, Prof. Ord. quinquies per septimanam, abinde die Martis, hora VIII, *Mathesin Elementarem* continuabit; bis per septimanam horis diebusque opportunis *Geometriam Practicam, junctisque Exercitationibus usum instrumentorum* demonstrabit; die Lunae, hora XI, gratis *Calculum Differentialem et Integralem ad Staticam et Mechanicam* adplicabit, et semel per septimanam *de quibusdam Curvis Ordinum Superiorum* die et hora opportuna tractabit.

F. J. ADELMANN, Prof. Ord. diebus Martis, Jovis et Veneris, hora IX, *Zoologiam*, iisdem diebus, hora II, indeque a mense Majo hora VI matutina, *Botanicam*, die vero Mercurii, hora IX, *Mineralogiam* exponere perget.

III. IN ORDINE JURECONSULTORUM.

J. P. DEBRUYN, Prof. Ord. diebus Lunae, Mercurii, Jovis et Saturni, hora X, *Pandectas*, diebus Martis et Veneris, eadem hora, diebus Lunae, Mercurii, Jovis et Saturni, hora III, *Institutiones* continuabit.

H. F. DECOSTER, Prof. Ord. sexies per septimanam, hora IX, *Jus Civile Hodiernum* gallice, diebus Martis et Veneris, hora III, *Jus Publicum* latine continuabit, diebus Lunae et Mercurii, hora IV, *Practicam Juris*, diebus Jovis et Saturni, eadem hora, *Diplomaticam* docebit.

J. M. F. BIRNBAUM, Prof. Ord. diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, hora VIII, *Jus Criminale Hodiernum* docere

perget, iisdem diebus, hora XI, *Jus Naturae et Gentium* explicabit.

A. C. HOLTIUS, Prof. Ord. *Juris Romani Historiam* tradet diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora opportuna.

Exercitationibus disputandi semel per septimanam instituendis Professores alternatim praeerunt.

IV. IN ORDINE PHILOSOPHORUM ET LITERATORUM.

F. J. DUMBECK, Prof. Ord. diebus Lunae, Martis et Jovis, hora X, *Historiam Universalem Antiquam*, ducibus suis Tabb. Ethnog. Period. Synchron. continuabit : diebus Lunae, hora VI et VII vespertina, Veneris vero, hora X, *Antiquitates Romanas* explicare perget, denique diebus Martis, Jovis et Veneris, hora VI vespertina, *Historiam Europae Politicam* docebit, et cum ea quavis septimana *Exercitationes disputandi* conjunget.

G. J. BEKKER, Prof. Ord. quas adhuc habuit, *Scholas Graecas* continuabit, cum iisque *Disputandi Exercitationes* conjunget, diebus Martis, Mercurii et Veneris, hora III, et inde a mense Majo hora VII matutina. Philologiae studiosi eo moderatore *Demosthenis Orationes* interpretari pergent, et in *Graece Scribendo* exercitabuntur. Denique si nactus fuerit discipulos, tradet *Antiquitates Graecas*, diebus Mercurii et Jovis hora X.

G. J. MEIJER, Prof. Ord. diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris, hora II, et inde a mense Majo hora VII matutina,

Linguae Belgicae Grammaticam gallice explicabit, simulque Exercitationes *Belgice scribendi* instituet; cum provectioribus *Praecepta Stili Belgici* tractabit. *Historiam Patriam* diebus Mercurii et Saturni, hora II, exponere perget, et reliquis studiosorum desideriis lubens obtemperabit.

F. A. F. T. AB REIFFENBERG, Prof. Extraord. absoluta *Dialectica Transcendentali Criticam Rationis Practicae et Historiam Philosophiae* peraget, additis *Exercitationibus Logicis* diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris hora IV.

J. JACOTOT, Lector Academicus, *Literas Gallicas* continuabit hora V, diebus Martis, Jovis, Veneris et Saturni.

III.

SERIES

DISSERTATIONUM OMNIUM

A NONIS OCTOBRIBUS ANNI MDCCCXXII

AD DIEM V. ANTE IDUS OCTOBRIS ANNI MDCCCXXIII

DEFENSARUM.



SERIES DISSERTATIONUM

ANNO ACADEMICO MDCCCXXII—MDCCCXXIII

PRO OBTINENDO DOCTORIS GRADU

PUBLICE DEFENSARUM.

IN ORDINE MEDICORUM.

ANNO MDCCCXXII, DIE XIII NOVEMBRIS.

CAROLI JACOBI VANMONS Bruxellensis, Dissertatio *De Infanticidio.*

XXV NOVEMBRIS.

ANTONII JOSEPHI NIHOUL ex Saint-Germain, Dissertatio *De Suspendio.*

XVII DECEMBRIS.

JOANNIS BAPTISTAE MOTTE ex Viesville, Dissertatio *De Macrobiosi.*

XVIII DECEMBRIS.

LUDOVICI COULON ex Moucron, Dissertatio *De Submersione.*

ANNO MDCCCXXIII, DIE XVII APRILIS.

JOANNIS FRANCISCI WALRAVENS Angiensis, Dissertatio *De Epilepsia.*

VII MAII.

LUDOVICI JOSEPHI VARLEZ ex Lens, Dissertatio *sistens generalia quaedam de Temperamentis.*

XXX JULII.

PETRI HUBERTI VANDERTAELEN Lovaniensis, Dissertatio *De Pleuritide.*

IN ORDINE JURECONSULTORUM.

ANNO MDCCCXXII, DIE XIX NOVEMBRIS.

THEODORI VANMONS Bruxellensis, Dissertatio *De Possessione ex Jure Romano.*

ANNO MDCCCXXIII, DIE XIII JANUARII.

ANTONII ANDREAE DE CUYPER Bruxellensis, Dissertatio *De legitima liberis naturalibus ex Codice Hodierno non concedenda.*

XXX APRILIS.

JOSEPHI VANDERTAELEN Lovaniensis, Dissertatio *De Successione ab intestato regulari.*

XXII JULII.

FREDERICI LUDOVICI DEFACQZ Athensis, Dissertatio *De Emphyteusi ex Jure Romano novissimo.*

XXIII JULII.

HENRICI BEMELMANS Namurcensis, Dissertatio *De Pactis ex Jure Romano.*

XXXI JULII.

JOANNIS DEBRUYN Lovaniensis, Dissertatio *De Publiciana in rem actione.*

IV AUGUSTI.

JOANNIS SYLVANI VANDEWEYER Lovaniensis, Dissertatio *De naturali officiorum essentia et observatione.*

V AUGUSTI.

JOANNIS FRANCISCI HENOT Mechliniensis, Dissertatio *De Interdictione.*

VII AUGUSTI.

SYLVANI PIRMEZ ex Chatelineau, Dissertatio *De effectu soluti dominii in pignus.*

VII AUGUSTI.

CAROLI LAGASSE Nivellensis, Dissertatio *De iis quibus oppignerare licet vel non.*

IX AUGUSTI.

PETRI FRANCISCI WAFELAER Mechliniensis, Dissertatio *De Concursu Delictorum ex Jure Romano et Hodierno.*

IN ORDINE PHILOSOPHORUM ET LITERATORUM.

ANNO MDCCCXXIII, DIE XIX JUNII.

FRANCISCI NICOLAI GISLENI BAGUET Nivellensis, Specimen Literarium, exhibens *Dionis Chrysostomi Orat. VIII animadversionibus illustratam.*

IV AUGUSTI.

HIPPOLYTI FRANCISCI KAYEMAN Nivellensis, Dissertatio *De Origine Ephetarum et eorum Judiciis apud Athenienses.*

IN ORDINE PHYSICORUM ET MATHEMATICORUM

nulla omnino, et in reliquis Ordinibus nulla Dissertatio privatim defensa est.

Ornatiss. FREDERICUS JOANNES LUTENS, Teneramundanus, Medicinae Doctor, die XXVI Octobr. anni MDCCCXXII dignitatem Doctoris Chirurgiae et Artis Obstetriciae, et Ornatiss. NICOLAUS SPRANGERS, Waloviensis, Medicinae Doctor, die XXX Octobr. anni MDCCCXXII dignitatem Doctoris Artis Obstetriciae, peractis examinibus solitis, obtinuerunt.



IV.

ACTA

IN SENATU ACADEMICO

A NONIS OCTOBRIBUS ANNI MDCCCXXII

AD DIEM V ANTE IDUS OCTOBRIS MDCCCXXIII.

****

ACTA IN SENATU

ANNO ACADEMICO

MDCCCXXII—MDCCCXXIII.



ANNO MDCCCXXII, DIE IV NOVEMBRIS.

Vir Clar. F. A. F. T. B. AB REIFFENBERG Philosophiae Theoreticae Professionem Extraordinariam auspicatus est oratione publice dicta de *Philosophiae fatis in Academia Lovaniensi.*

XIV NOVEMBRIS.

In Senatu lectae sunt literae Amplissimorum Academiae Curatorum, quibus communicatum est cum Senatu Regis Augustissimi decretum de itineris sumtibus, civibus diversarum Academiarum, qui in certamine literario alius Academiae proemio ornati ad illud capessendum profecti essent, restituendis.

ANNO MDCCCXXIII, DIE IV JANUARII.

Tristis Senatui nuntius allatus est de morte Viri Clarissimi J. B. LIEBAERT Philosophiae Professoris Ordinar. nuper rude donati, cujus memoriam sacris funerariis celebrari placuit.

XXIV APRILIS.

In Senatu primum salutatus est Collega Vir Clarissimus A. C. HOLTIUS, ad Professionem Juris Ordinariam ab Academia Groningana, ubi adhuc eamdem provinciam administraverat, ad nostram arcessitus. In eodem consessu recitatae sunt Curatorum Literae, quibus nuntiatum est, ex Regis Augustissimi munificentia Bibliothecam Academicam Collectione librorum et Codicum MSS. adauctam esse.

XX JUNII.

Nominati sunt a Senatu ex legis praescripto sex Professores, ex quibus unum Rex Augustissimus ad Rectoris Magnifici munus anno proximo gerendum eligeret.

XXVIII JULII.

Perlato ad Senatum nuntio, Virum Clariss. F. J. GOEBEL, Disciplin. Math. et Phys. Professorem, a Rege Augustissimo Rectorem Academiae Magnificum in annum insequentem designatum esse, facta est Viro spectatissimo gratulatio, et sex deinceps nominati sunt Professores, ex quibus unus anno proximo Senatui Academico ab actis esset futurus.

XXIX JULII.

Vir Clariss. A. C. HOLTIUS Orationem habuit *de Juris Romani studio, etiam post renovatum jus nostrum legibus, pernecessario*, cui solemnitati adfuit summus Artium et Disciplinarum Moderator Vir Illustrissimus L. B. DE FALCK.

XXXI JULII.

In Virum Humanissimum Petrum Josephum Hensmans Lovaniensem ex art. XXX Codicis Academici dignitas Matheseos Magistri et Philosophiae Naturalis Doctoris collata est.

XI OCTOBRIS.

In Senatu amplissimo ex Ordine JCtorum Vir. Cl. Decoster, ex Ordine Philosophorum Vir. Clar. Meijer, et ex Ordine Medicorum Vir. Clar. Jacmart electi sunt, qui anno proximo in Consilium Rectoris Magnifici adsiderent, et Senatus Actuarius in eundem annum renuntiatus est Vir Clariss. J. M. Baud Medicinae Professor, postquam in consessu Curatorum cum Rectore et Assessoribus ex Candidatis Senatus electus erat. Quibus peractis in Aula Academica majori Vir. Clar. Jacmart Oratione habita munus Rectoris Academiae Magnifici deposuit, proemia victoribus in certamine Literario hujus anni distributa, et cum programmate certaminis Literarii in annum proximum indicti, Judicia Ordinum de responsionibus ad Quaestiones anno superiori propositas praelecta sunt a Viro Clar. Dumbeck, qui hac die vice Senatus Actuarii functus est. Designatus denique Rector Magnificus Goebel juramento ex lege praestito Academiae regundae munus suscepit.

V.

JUDICIA ORDINUM

DE

RESPONSIONIBUS AD QUAESTIONES

PRO

CERTAMINE LITERARIO

POSTRIDIE IDUS JULIAS ANNI MDCCCXXII

PROPOSITAS.

5*

JUDICIA ORDINUM

DE

RESPONSIONIBUS AD QUAESTIONES

PRO

CERTAMINE LITERARIO ANNI MDCCCXXII

PROPOSITAS.

I. JUDICIUM ORDINIS MEDICORUM.

Ad Quaestionem ab Ordine propositam....

« Exponantur variae Doctorum Virorum sententiae de origine et natura Calli ossium, deinde observatis in homine, nec minus experimentis in animalibus institutis, probabilior inferatur theoria ossium fractorum coalitus »

unam tantum accepit commentationem ordo sic inscriptam:

« Non est fingendum nec excogitandum, sed inveniendum quid natura faciat aut ferat. Baco. »

quam, licet in Judicio ferendo comparationi locus non fuerit, per se spectatam una voce declaravit Ordo proemio ornandam. Aperta schedula commentationi juncta, auctorem esse patuit

Josephum RYPENS, Lyranum,

in hac Academia Medicinae Candidatum, qui duobus ab-

hinc annis in Ordine Disciplinarum Math. et Phys. victoriam est consecutus. Instituto examine ad quaestiones et objectiones a Professoribus factas ita respondit, ut hi minime dubitarent, quin Dissertationis auctor esset

F. M. BAUD,
Ord. ab Actis.

II. JUDICIUM ORDINIS MATHEMATICORUM ET PHYSICORUM.

Ad Quaestionem Mathematicam, qua postulatur :

« Ut Exoctaëdro et Icosidodecaëdro Polyedra regularia inscribantur, eaque circumscribantur, deinde ut rationes inter aciem cujuslibet Polyedri propositi et aciem Polyedri regularis, tam inscripti quam circumscripti, exhibeantur. »

duas Ordo Dissertationes accepit, quarum prior his verbis insignita :

« Quis non descendat in arenam, in qua vel vinci decorum est? »

methodo omnino analytica satis diligenter est elaborata. Auctor scriptionis solo ratiocinio exposuit, corpora regularia et exoctaëdro et Icosidodecaëdro inscriptibilia et circumscriptibilia esse, quin tamen ipse eorum inscriptionem et circumscriptionem institueret. Circa inveniendas rationes, quae inter acies Exoctaëdri et Icosidodecaëdri atque acies corporum regularium iis inscriptorum et circumscriptorum exsis-

tere debent, ingeniose methodo item analytica egit. Alterius autem scriptionis auctor, qui operi suo sententiam Horatianam praefixit :

« Cui lecta potenter erit res
Nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo. Horat. »

argumentum propositum felicissime amplexus, methodo mere geometrica non solum corpora regularia datis Exoctaëdro et Icosidodecaëdro inscripsit et circumscripsit, sed rationes etiam acierum magno cum Judicio eruit; insuper in rerum dispositione ordinem aptissimum secutus, demonstrationum Geometricarum rigorem nullibi neglexit. Qua ratione permotus proemio ab Augustissimo Rege proposito ornandam esse hanc responsionem Ordo existimavit. Aperta schedula eidem adnexa nomen lectum est juvenis honestissimi

Lamberti WEZEL, Wavriensis,

Ordinis Disciplinarum Math. et Physicarum Universitatis nostrae Candidati, qui examine deinceps instituto coram ordine responsionis modo laudatae se verum auctorem praebuit.

Quod reliquum est, Ordo a se impetrare nequibat, quin vel prioris scriptionis auctorem laude publica ornaret, qua se dignum reddidit. Quo consilio eum e valvis Academicis invitavimus, ut nobis potestatem nominis promulgandi da-

ret. Qua impetrata venia, schedulaque aperta apparuit nomen viri ornatissimi

PETRI FRANCISCI WAFELAER, MECHLINIENSIS,

Juris in Academia nostra Candidati, qui et ipse anno superiori in Academia nostra, atque ante duos annos in Academia Leodiensi proemiis pro responsionibus ad quaestiones Mathematicas est ornatus. Ad reliquas Quaestiones ab Ordine propositas nullae commentationes allatae sunt.

F. J. GOEBEL.
Ord. ab Actis.

III. JUDICIUM ORDINIS JURECONSULTORUM.

Ad Quaestionem

« Quid sit exceptio rei venditae et traditae, quae ejus fundamenta, qui effectus, cui et contra quem detur, quisnam sit ejus usus in actione Publiciana? Singula responsa confirmentur tum ex textibus Juris Romani, tum a Ratione, denique elucidentur Decisiones circa hanc exceptionem notatu digniores, quae in eodem jure sparsim inveniuntur. »

tres responsiones oblatae sunt ordini, inscriptae :

« 1. Cui damus actiones eidem et exceptionem competere multo magis quis dixerit L. 156. § 1. D. de R. J.

2. Feci quod potui, faciant meliora potentes.

3. Quo Musa tendis? et q. s. r. HORAT. »

Quarum Commentationum prima caeteris praestare visa et proemio regio digna judicata est. Aperta schedula nomen auctoris retulit

LUDOVICI JOSEPHI DELWARDE, NINOVENSIS,

in Academia nostra Juris Candidati, qui instituto examine se scriptionis illius auctorem probavit.

J. M. F. BIRNBAUM,
Ord. ab Act.

IV. JUDICIUM ORDINIS PHILOSOPHORUM ET LITERATORUM.

Ad Quaestionem primam :

« Conscribatur Historia Senatus Romani ita quidem, ut accurate fontibus undique excitatis doceatur, quae fuerit origo potestatis Senatoriae, quae ejus in rem Romanorum publicam omni tempore et sub qualibet reipublicae (Regiae, Liberae, Caesareae) forma, et vis et auctoritas; quae hujus auctoritatis incrementa, vicissitudines, imminutio, interitus. »

quatuor exhibitae sunt commentationes. Prima quae symbolum habet ex CICERONIS Oratione pro Milone petitum cap. 33.

« Senatus templum sanctitatis, amplitudinis, mentis, con-

silii publici, caput urbis, ara Sociorum, portus omnium gentium, sedes ab universo populo Romano concessa uni Ordini cet. »

quamquam nullo pacto contemnenda, tamen aliis ita visa est inferior, ut cum iis comparari nullo modo posset. Altera hoc lemmate CICERONIS de Republ. III, 211. inscripta :

« Plures boni, in qua republica rerum potientur, nihil potest esse illa beatius. »

sermone nitido et elegante perscripta, ex genuinis omnino fontibus hausta, justoque ordine disposita, primo statim adspectu Ordini vehementer placuit; praeprimis autem Senatus vera potestas, ejusque temporum lapsu varia fortuna diligenter accurate et non sine magno rerum judicio elaborata esse visa est. Attamen duo cummaxime in hac commentatione desiderabantur, quae totidem integras quaestionis partes complectuntur; primum enim scriptionis auctor parum accurate de origine Senatus egit, quae totius quaestionis pars esse princeps debuit; deinde nimium ille fidem habere videbatur locis communibus, scriptoribusque levioribus, in quos non satis severe inquisivit, quorumque controversias non critica ratione exposuit. Tertia quae verba habet :

« Voluisse sat sit. »

iisdem fere ac prior vitiis laborat, deinde sermone etiam minus puro et Latino scripta est, et tota fundamentum suum in praejudicata quadam opinione certae cujusdam formae

regiminis collocasse videtur. Quemadmodum vero una ex parte a priori superatur, ita etiam altera ex parte vicissim eam superat, eo praesertim, ut Senatus historiam ad usque finem, et ut ita dicamus, extremum habitum persequeretur; licet certa festinationis vestigia lectorem fugere haud quaquam possunt. Quarta denique hac sententia SALLUSTII Bell. Jugurth. 2. insignis est :

« Omnia orta occidunt, auctaque senescunt. »

in ea quidquid in aliis singulis commentationibus Ordini placuit, deprehenditur, quidquid parum in iis probabatur, deest. Circa originem Senatus auctor ita versatus est, ut non solum ad primordia descenderet, quae a scriptoribus produntur, sed ad ea quoque, quae in ipsa rerum natura quasi involucria sunt, et quae licet literis mandata non sint, tamen certiora esse videntur scriptis monumentis. Nullam litigantibus historicis fidem tribuere visus, eos mox singulos, mox omnes in probationem vocavit, inter ipsosmet comparavit, atque ex dubiis hisce verum ingeniosissime investigavit. Historici omnino provinciam ita administravit, ut rem suam non ex scriptis solis hauriendum censeret, sed Senatum Romanum ad naturam et ingenium populi Romani, et iterum historiam Romanam ad historiam reliquorum populorum, qui illo tempore necessitudine quadam cum Romanis continebantur, exigeret. Quae denique non ultima commentationis virtus est, ea in distribuenda Senatus historia per certas Periodos, quibus sine omnino salus nulla

esse ejusmodi rebus potest, versatur. Quibus rationibus ductus, unanimo consensu palmam hujus scriptionis auctori decrevit Ordo. Reclusa schedula nomen exhibuit

AUGUSTI MARIAE JUSTINI MOLITOR, MECHLINIENSIS,

Juris in Academia Lovaniensi Candidati, qui instituto examine verum se scriptionis auctorem comprobavit.

Ceterum quamquam veteranus pugnator proemio privaret reliquos, attamen laudibus privare eximiis non potuit eos, qui per aliquod tempus secundo Marte cum eo luctabantur, atque singuli et absque illius concursu proemio non indigni habiti fuissent. Quapropter Ordo ornatissimorum juvenum nomina, quae ipsi, rogati, profiteri non recusarent, publice promulganda esse una voce decrevit. Sic inventus est auctor Dissertationis, quam secundo loco recensuimus,

RODOLPHUS HELPRICUS EYSSONIUS WICHERS, AMSTELAEDAMENSIS,

Juris utriusque Candidatus in Academia Groningana, doctus juvenis atque singulari eruditione Antiquitatis imbutus. Auctor vero tertiae commentationis prodiit

JOANNES FRANCISCUS HENOT, MECHLINIENSIS,

nuper in nostra Academia Juris Candidatus, mirabili industria, ingenio et morum integritate jam pridem nobis commendatissimus.

Ad alteram Quaestionem ab Ordine Philosophorum et Literatorum propositam :

« Exbibeatur Commentatio Antiquario-Critica de Judiciis Ephetarum apud Athenienses. »

unica Commentatio peregre missa serius allata est, quam quae ex mente statutorum regiorum coronari posset.

Ad tertiam denique :

« Conscribatur Elogium Erycii Puteani, celeberrimi quondam in Academia Lovaniensi Professoris. »

una tantum scriptio exhibebatur, quae vero, quum longissime aberraret a vera Elogii ratione, atque magni viri vitae magis notitiam exhiberet, quam vitae gesta dignis laudibus consequeretur, proemio ornari non posse videbatur Ordini.

G. J. MEIJER,
Ord. ab Actis.

VI.

PROGRAMMA

CERTAMINIS LITERARII,

EX DECRETO REGIO XXV. SEPTEMBRIS MDCCCXVI.

ART. CXL AD CIL

CALENDIS SEXTILIBUS ANNI MDCCCXXIII

INDICTI.

QUAESTIONES,

ACADEMIARUM ET ATHENAEORUM REGNI BELGICI

CIVIBUS STUDIOSIS

PRO CERTAMINE LITERARIO ANNI MDCCCXXIV,

PROPOSITAE.

I. AB ORDINE MEDICORUM.

Determinentur dispositiones cranii infantis, quibus tempore puerperii ad usum forcipis obstetriciae confugiendum est, indicentur deinceps illae, quibus sommopere ab illo instrumento abstinendum est. Legitima demonstratione corroboretur utraque determinatio, eodem deinde modo indicetur usus vectis obstetricii, eliciaturque ex allatis demonstrationibus summa illa differentia, quae inter usum horum adminiculorum intercedit, ita ut intelligatur, quodnam sit peculiare utriusque officium.

VI.

II. AB ORDINE MATHEMATICORUM ET PHYSICORUM.

I.

Dantur axes XX et YY' in puncto A sub angulis rectis se transeuntes. In axe YY' capitur portio $AB = a$, et ex puncto B. ad ipsum axem YY' perpendicularis recta $BC = b$ elevatur, literis a et b quantitates determinatas significantibus; ex puncto C rectae lineae in axem YY' emittuntur, ad quas ex punctis intersectionum cum axe YY' perpendiculares excitantur; de puncto A deinceps ad has perpendiculares perpendicula alia dejiciuntur, quorum pedes in linea curva jacent, cujus natura auxilio aequationis inter coordinatas orthogonas x et y exhibitae primum investigetur, quin tamen auctor rectificationem curvae atque quadraturam indagare debeat; usus deinde ejusdem curvae accurate laudetur.

II.

Exponantur anomaliae, quae in phaenomenis hydrostaticis occurrunt, earumque causa explanetur.

III.

Petitur 1. ut plantae earumque partes enumerentur, quae faeculam coeruleam, Pigmentum Indicum dictam, largiuntur; 2. ut describatur, qua encheiresi ex illis ea eliciatur; 3. ut exponatur, quae sint ejus principia proxima et remota et qui usus technici; eadem petuntur de ejusdem faeculae succedaneis. Practice et theoretice quaecumque elucidentur.

III. AB ORDINE JURECONSULTORUM.

De Nullitate, quam vocant, eorum quae, lege non servata, fiunt, disseratur, cum ex rei veritate, tum ex codice civili Gallico, quo adhuc utimur.

IV. AB ORDINE PHILOSOPHORUM ET LITERATORUM.

I.

Exponantur causae, quibus effectum sit, ut Regnum Judae diutius persisteret, quam Regnum Israël.

II.

Exhibeatur Commentatio Historico-critica de Archontibus Reipublicae Atheniensis.

III.

Postulatur Descriptio Historico-geographica Comitatus Flandriae eo tempore, quo Margaretha, Ludovici Maleani filia, Philippo Audaci, Burgundiae duci, nupsit.



Responsa oratione Latina, manu aliena, nitide scribenda, una cum schedula, nomen auctoris occultante, cui eadem sit quae responso inscriptio, ad virum Cl. qui tunc Senatui Academico ab actis erit, ante Calendas Junias MDCCCXXIV mittantur, ut victores ex decreto regio justo tempore proemiis ornari possint.

Lovanii, Calendis Sextilibus MDCCCXXIII.

VII.

CAROLI FRANCISCI JACMART

ORATIO.

CAROLI FRANCISCI JACMART

ORATIO

PUBLICE DICTA V ANTE IDUS OCTOBR. MDCCCXXIII

QUUM

ACADEMIAE REGUNDAE MUNUS DEPONERET.

Academiae Lovaniensis Curatores, Viri illustrissimi, amplissimi.

Qui in regione et civitate Lovaniensi, vel rebus publicis administrandis vel justitiae tuendae praeestis, Viri integerrimi, honoratissimi.

Quarumvis disciplinarum Professores Viri eruditissimi, Collegae conjunctissimi.

Verbi divini interpres facunde, Vir disertissime.

Quarumcumque artium et disciplinarum Doctores consultissimi, expertissimi.

Ornatissimi juvenes, disciplinae nostrae alumni, spes patriae et principis, nostra cura.

Cujusvis denique Ordinis, dignitatis, auditores, cives, hospites, humanissimi.

Solemnia hujus diei, coram ornatissimo, doctissimorum Virorum conventu, ex officii ratione celebraturus, ea solum dicenda habeo, quæ ad Academiae fata et decus, et ad palmarum academicarum distributionem pertinent.

Cum enim, in hacce concione nihil, ad hocce tempus, auditum fuerit nisi ingenio perfectum, industria elaboratum; quo animo dicam? quo modo exspectationi vestrae satisfa-

ciam, ego qui a juventute in nosocomiis militaribus, saepius extra patriam, morborum observationi atque medelae operam navans, Medicus, librorumque de praxi clinica conscriptorum lectioni totus incumbens, paucas admodum hasque subreptas horas humaniorum literarum studio dare potui?

Propter meam ideo in dicendo tenuitatem, vestram benevolentiam imploro; quam ut obtineam, argumentum selegi quod ad eam captandam credidi aptissimum. Igitur de aemulatione et de fructibus ex certamine literario, ab adolescentibus percipiendis quaedam dicere conabor.

Aemulatio mihi quidem ea est in homine ingenuo affectio, nobilis, generosa, qua motus, aliorum merita et actiones miratur ad easque imitandas ac superandas incitatur ut ipse consilium felix consequatur.

Ejusmodi sunt aemulationis notae quibus ea distinguitur ab inordinata ista ambitione, atque livore.

Ambitio homines ad amplificandas res, opes, ad augendam auctoritatem impellit, sine rationis delectu, sed omni opera et in suam voluptatem atque fictitiam felicitatem. Ad hoc genus illa Romanorum cupiditas referenda est, quae armis omnia jure, injuria, conquirebat. Inde vel templum Ambitioni in urbe erat cum simulacro alatam pedibus nudatis figuram ostendente. Quo certe excelsi simul atque abjecti animi connubium felicius exprimi neutiquam potuit. Quid enim ambitiosorum actionibus erectius! Quid animis proprii commodi studio incensis humilius!

Aemulatio honores munera officia prosequitur, at honesti et aequi amore, in suos et patriam pietate exsuscitatur. Neque minus hic affectus a livore differt. Si quis enim aemulationis atque livoris comparationem instituerit, illam intelliget esse affectum voluntarium qui animum ad agendum inflammat; ingenium fecundat, contemplatione magnorum exemplorum nos impellit, si quo pacto nostram virtutem cum virtute aliorum exaequare, imo vero hanc superare possimus : contra livor est studium turpe, abjectum, ex vanitate ortum et pigritia, animos contrahens, eorum splendorem inquinans, ingenii ubertatem diminuens, laudes et dignitates aliorum quas assequi nequit confundens atque denegans.

Aemulatio bona est et justa; aestimationem aliorum benevolentiam et amicitiam gignit. Livor injustus propter laesam vanitatem invidia, mox actionibus petit alios.

Aemulatio aequo animo agnoscit et confitetur aliorum merita. Livor, coactus sentit quidem illa, numquam vero profitetur, ne se ipse impotentiae accuset.

Aemulatio laude aliorum aeque delectatur ac sua; livor aliorum meritis angitur, quae ipsi ut ita dicam amaros pariunt fructus. Venustas, verecundia, eruditio ejus dolorem excitant atque quo magis ad alios aestimandos cogitur eo ipse magis laeditur.

Illa studio laudabili et generoso palam sese exercet, hic clanculum atque per ambages ei adnuit.

Atque hae sunt invidi animi pravitates, a quibus immunes adolescentes tuetur honestae certationis studium, ex desidia et segnitia eos livor invadit, qui ipso tempore crescens, ubi inepta jam credita eorum fuerit indoles, vitam veneno suo imbuit. Et qui alios laedere cupiunt ipsi se impotentes proprio pungunt aculeo. Unde Themistocles dicere consueverat, se non desiderare fortunam eorum, qui invidiam nullam concitant et Tullius invidiam credebat virtute acquisitam ab ipsa gloria non differre.

Laus denique livore inquinata tempore ipso se vindicat, uti ille canit :

> Pascitur in vivis livor, post fata quiescit,
> Tum suus ex merito quemque tuetur honos.

Sed melius exinde cognoscitur aemulationis studium, quod actiones aliorum aestimat et earum pretium persentit. Prudenter procedit, nam qui imitatur et objecti magnitudinem et agendi modum cognoscit uti seipsum ; atque sic modestus continuo neminem offendit. Progressus et dotes suas labore et intento animo adauget, adversa fortuna non dejicitur et si meritam persolvit poenam, culpam virtute emendat, atque in re omni bona opera ad munera et gloriam iri arbitratur.

Boni viri hocce tantummodo affectu moventur. Cogitant et agunt ex mente Petri Cornelii, illius magni Poetae Gallici haec scribentis : « Les succès des autres, ne produisent » en moi qu'une vertueuse émulation, qui me fait redoubler » mes efforts, afin d'en obtenir des pareils. »

Cujus vel alterum effatum hic adferam.

Je vois d'un œil égal croître le nom d'autrui,
Et tâche à m'élever, aussi haut comme lui,
Sans hasarder ma peine à le faire descendre.
La gloire a des trésors qu'on ne peut épuiser;
Et plus elle en prodigue à nous favoriser
Plus elle en garde encore où chacun peut prétendre.

Ad probandos faustos aemulationis effectus hic possem sexcenta adducere exempla, in quibus nihil apto quodam delectu difficilius mihi videtur. Nemini enim ignotum est, Alexandri Magni accensum fuisse bellandi virtute praestantem animum contemplatione gloriae Philippi patris et eodem incitamento animatum fuisse Carolum Sueciae Regem, assidua praeclarorum ab Alexandro gestorum lectione. Spartanorum fortitudo et virtus vitae et educationis communione alita tantum invaluit, ac honesta concertatione, ut alios omnes populos superarent. Atque ut denique ad nosmetipsos revertar, nonne soli aemulationi debetur profectior, in nostra patria agrorum cultus, ita quidem ut eruditissimus rei rusticae scriptor Gallicus (1) nullus dubitet quin ager Gallicus duplices fructus edere possit, si Belgarum modo et ratione coleretur.

Atque certe nostra haec literarum Universitas continua aemulatione sacra fuit. Quaenam enim fuerint studiorum et magna et pulchra antiquitus, praecipue in Ordine Philosophorum incitamenta, et qui ingentes eorum fructus, quis ignorat?

(1) Isore.

Aliud secutum est tempus, alia ideo studiorum ipsorumque incitamentorum ratio successit. Sapientissime enim ab Augustissimo Rege summoque Artium praefecto instituta sunt certamina literaria, eaque ab omnibus Academiarum civibus celebranda, quae in honorificum, praemiorum atque primorum Academiae quondam Lovaniensis locum suffecta sunt. Quod quidem aemulationis genus Optimi Regis clementia nuperrime adauctum est (1).

Proemium et pulcherrimum et splendidissimum fama gloriae publicae. Et haec certe gloria non alia est, neque minor nostris adolescentibus, quam qua et Tullius noster et Baco ille Verulamius atque magnus Isaacus Newtonius mactati sunt. Qui viri excellentes eodem aemulationis studio incitabantur, quod habita aetatis ratione in adultis studium gloriae et immortalitatis evadit, ut ipse, in variis suis operibus, testatur Tullius.

Ex hoc vero orbe ad nostras res descendamus, ut videamus qui fructus a juvenibus studiosis ex certamine literario percipiendi sint.

Mittamus quae pro institutione ex communione juvenum haurienda sint commoda et studiorum oblectamenta utpote quae a multis dicta et repetita sunt.

Omnes fatentur consuetudinem vitae plurimum pendere ab actionibus tenerae aetatis ita ut totius vitae ratio, quasi

(1) Cf. Acta hoc anno in Senatu pag. 31.

ex fontibus uberrimis, a sola et honesta pueritiae educatione promaneat. Consuetudo naturae vires obtinet. Adolescentes labore informati virorum laboriosorum generationem integram creant.

Adolescentes autem ipso naturae impulsu ad corporis exercitationes magis inclinantur quam ad intellectus exercitia. Alacris eorum indoles motum amat, quas artes gymnasticas ipsa eorum vita expedit, hi vero motus, hae artes licet necessariae, mox si nimis excoluntur, in unicum atque futile quidem vitae studium degenerant. Cui vero studio adversantur certamina literaria, quibus adolescentes eo adducuntur, ut partem otiorum suorum ingenii exercitationibus consecrent, sola saepe praemiorum spe ducti, quorum consequendorum tempus certum et praesens et omnibus cognitum.

Plurimi, uti notum est solo progressuum suorum oblectamento ad studia impelluntur, quod disciplinis mathematicis fere proprium est, sed pauci sunt adolescentes qui hoc modo se ad studia sua adcingunt, potius ea tanquam sine consilio suscepta brevi atque taedio pleni derelinquunt. Atque hoc primum est commodum ex certamine literario petendum, ut adolescentes ad intellectus exercitia incendantur.

Tempus quod nuper transegimus, propria nota in Gallia et aliis regionibus Imperio Gallorum subditis insignitum fuit, nota nempe levitatis in excolendis artibus atque disciplinis. Omnia omnes scire, caeterum ab omni labore esse immunes contendebant.

Nostrum tempus malis hujus vitii fructibus laborat, quas hic recensere supervacaneum ducimus.

De studiis actum erat, nisi praesto fuerit remedium, quod quidem fortuna favens nobis attulit per concursum literarium faustissimum rei auxilium; eo enim intelligitur quantum operis nodi sit, unicam doctrinae cujusdam partem dilucidare. Atque hic quidem alter est certaminis literarii usus, quo juvenum ingenia ad severiora studia revocantur.

Sed tertium est emolumentum prioribus, nisi majus, comparandum certe. In studiis consuetis, adolescentes doctrinam a professoribus acceptam delibant vel jam ab omni difficultate solutam excipiunt. Ad certamen vero Literarium ipsi et soli, sese accingere, proprio Marte contendere, ipsi sibi viam munire debent. Id autem tantum penitus scimus quod ipsi didicimus, quod propriis viribus enucleavimus. Iterum, in praelectionibus communicatam accipiunt doctrinam, in concursu literario hanc invenire quodam modo coguntur : in praelectionibus memoriae mandatur disciplina, in certamine ingenii vi paratur.

Timendum, ne, qui non ipse adolescens ingenii vires exercuerit, hoc efficere possit aetate profectior. Ideoque oportet adolescentes assuefiant, ut citra omne Magistri auxilium sese exerceant, ut res inter se comparent, analysin instituant, judicium ipsi ferant, quae quidem omnia solo concursu literario addiscuntur. Ut vero nunc huic disputationi re ipsa de qua disceptavimus bonum finem faciamus, nos ad palmas Aca-

demicas victoribus distribuendas conferemus, cui operae perjucundae indulgebimus, posteaquam breviter, quae, anno nostro Academiae sive fausta contigerunt, sive tristia acciderunt enarraverimus.

Quae ut paucis absolvamus, praecipue lugemus mortem doctissimi viri JOANNIS BAPTISTAE JOSEPHI LIEBAERT, Messenensis, Flandri, artium Doctoris, in Ordine Philosophiae et literarum humaniorum nuper Professoris ordinarii, tanti nominis, tamque dilecti et collegis et discipulis, ut superfluum videri omnibus debeat, si laudibus efferre laudatum virum conari velimus, quas quantum et quo jure meruerit, et tota vita et diligens literarum et philosophi studii cura atque super iis doctrinis opera satis superque demonstrant.

Ex his itaque ad laetiora progrediamur.

Atque primum quidem Academia nostra aucta est et exornata et rebus et institutis atque praeprimis adventu collegae eruditissimi, consultissimique ADRIANI CATHARINI HOLTIUS nuper Professoris in Academia Groningana Ordinarii; qui ob puriorem illam et rectiorem Juris Romani eruditionem, doctissimorum Virorum jam pridem puncta tulit, atque cum Ordini Jureconsultorum, tum universae Academiae nostrae non exiguum erit ornamentum.

Munus Bibliothecae Academicae administrandae a BEKKERO Viro Clarissimo cum ob graviora negotia aliquoties illius vacationem petiisset, translatum denique est in REIFFENBERGIUM,

Virum Clarissimum. Atque hoc loco non possum quin eximiis laudibus celebrem egregia et numquam satis praedicanda BEKKERI nostri de Bibliotheca Lovaniensi merita. Is enim infinitam illam librorum multitudinem, qua praecipua Bibliothecae nostrae pars continetur, a longo inde tempore, in cumulos confusam, maxima ex parte solus digessit; singulaque opera tam antiqua, quam recens comparata in eum ordinem redacta in pluteis collocavit, ut quae ad quamvis cujusque disciplinae partem pertineant facillime nunc possint inveniri. Quae res dici vix potest quantae non solum molestiae fuerit taedii ac laboris, sed quam accuratam doctrinam singularemque in his rebus dexteritatem postulaverit.

Cum igitur collegarum nomine ei publice hic gratias ago pro tantis in hanc Academiam meritis, sinceris simul votis eum prosequor, cum ad excolenda solummodo juvenum ingenia et ad formandos literarum elegantiorum futuros doctores omnem suam operam converterit, laboris sui ac doctrinae fructus mox percipiat uberrimos ac suavissimos.

Quod ad diversas collectiones Academicas adtinet, hae quidem decursu anni plurimis sunt amplificatae. Nuperrime enim obtinuimus ex Museo Leydensi magnam animalium copiam. Ad amplificationem collectionis multum contulerunt Urbis et ipsi ruris incolae. Imprimis autem aves calidarum regionum permultas debemus liberalitati SERENISSIMI DUCIS AREMBERGII, qui et ipse quoque Hortum nostrum Botanicum pluribus exornavit plantis.

Caldaria nostra et tepidarium egregie sunt aedificata, quaedam enim plantae, quae ibi coluntur, et, quae quod sciam nondum in Europa floruere, nos floribus suis explicatis oblectaverunt. Petrificata simul sunt aucta tam benigna participatione quam excursionibus, atque Magistri per ferias itineribus. Caeterum hac in re plurima debemus diligentissimis nostris Curatoribus, multum operae adhibentibus ad collectionum incrementum quae iis sunt commissae.

Supellectilem Pharmacologicam, quam materiem Medicam vocamus, *obtinuimus* cura et opera Viri Cultissimi ac omni eruditionis genere Clarissimi VAN EWYCK, rebus ad artium et scientiarum praefecturam spectantibus a secretis sanctioribus. Quae supellex nunc recto ordine ex Chemicorum praeceptis, in auditorio Medicorum usui studiosorum exposita prostat.

Omnino, indefessis Professorum laboribus omnia et singula, quae sive ad apparatum Physicarum et Anatomico-Pathologicarum disciplinarum spectant sive scientiam ipsam propius tangunt, ita non anno quovis, sed singulis diebus complentur, ut augurari facile sit, brevi tempore nihil in hac Academia a peritis desideratum iri.

Adolescentum etiam industria et eruditio pari passu cum studiis Magistrorum ita progreditur, ut hujus rei optima testimonia esse, dissertationes inaugurales in dies cultiores et purioris eruditionis, non nequeant, cui vero diligentiae ut justa praemia fiant, ad ea distribuenda continuo properemus; qua de causa rogo Te, Collega Humanissime, ut in certamine literario victores, Senatus nomine proclamare velis.

(His dictis a Viro Clarissimo DUMBECK, Senatus Graphiarii vicem implentis, nomina Victorum in certamine literario renuntiata, et proemia juvenibus Humanissimis distributa sunt)

Superest, ut vobis, Viri Amplissimi Academiae Curatores, vobis quoque Collegae aestumatissimi ac conjunctissimi, quas possum agam gratias et propter egregiam curam qua res Academiae nostrae administrastis, et propter eximiam industriam qua juventuti erudiendae operam navastis, et propter miram illam benevolentiam, qua me ipsum in Magistratu gerendo adjuvistis, consiliisque vestris et amicitia estis complexi. Gratias denique vel vobis ago, humanissimi juvenes, ob eam voluntatem quam legibus Academicis praestitistis.

Tibi vero, Doctissime Collega, FRANCISCE JACOBE GOEBEL, in quem regis Augustissimi gratia supremum Academiae Magistratum conferri voluit, tibi nunc haec signa relinquo simulque regundae rei nostrae curam gravem quidem et operosam, in qua tamen eodem fervore et voluntate Collegae Amplissimi, uti me, ita te ipsum velint adjuvare.

DIXI.

VIII.

F. A. F. T. B. AB REIFFENBERG

ORATIO.

ORATIO

QUA PHILOSOPHIAE FATA IN ACADEMIA LOVANIENSI

EXPOSUIT

F. A. F. T. B. AB REIFFENBERG,

PH. TH. M. LL. HH. D.

QUUM

PHILOSOPHIAE THEORETICAE PROFESSIONEM EXTRAORDINARIAM

SOLEMNI RITU AUSPICARETUR

DIE IV NOV. MDCCCXXII.



LOVANII,
EX TYPOGRAPHIA C. J. DEMAT.
1822.

ACADEMIAE CURATORIBUS

SACRUM.

Χαλεπὸν ἤρου και σχεδὸν εἰπεῖν οἵῳ γε ἐμοὶ παντάπασιν ἄπορον. PLATO. Sophistes.

Viri amplissimi, gravissimi, Academiæ Curatores!

Magnifice Rector cæterique disciplinarum Professores doctissimi, spectatissimi!

Carissimi Commilitones!

Vosque omnium ordinum Auditores humanissimi!

Quanquam mihi, inquilino Academiæ hujus civi, frequens conspectus vester, amplissimus: hic autem locus nova aggredienti lubricus, dicenti vehementer timendus videtur; tamen præsens timoris causa ex præterito multum crevit: nam quum res agatur apud lectissimos auditores, hoc concursu hominum literatissimorum, me quidem non exile argumentum suscipientem Vestraque auctoritate jam commotum, tot eruditorum qui istis in locis olim et docuerunt et claruerunt, ingens memoria occupat. En ordines Vestros augent Erasmus ille, Lipsius, Puteanus, cæterique quorum titulis præfulgent Academiæ fasti. Vobiscum sedent, audiunt, judicant. Sane tyronem, stipendii prope nullius, inter viros multis muneribus dudum decoros, irrepsisse mirantur, at nunquam monitoribus aspero, quorumque animis melior sententia est, assidue colenti, vel improbis indefesso laboribus, Regiam præterea benevolentiam venerati, favere forsitan non dubitabunt, et nunc viam quam ingreditur relegentem, varia istis in scholis philosophiæ fata, nec non per ea quae fuere, quæ futura sint disquirentem, precibus annuentes, auxiliabuntur.

E carceribus vix emisso, pulvereque potito mihi occurrit primum quoddam Verulamii, sapientiæ antistitis, qui rationis campos lustrantibus semper obviam fit, variarum disciplinarum fines est emensus, ac quasi facem ducens, vestigia signavit, sulco spargente fulgorem. « Nobiles, ait, in stadio respectant nimis sæpe, quod mali cursoris est (1). » Et prorsus si tum oculos meta fugit, si indè ferocia pigritiesque non semel augentur, sæpe etiam bigis adduntur stimuli. Quis autem præteritum tempus exhæredare, transmissæque laudis thesaurum injurioso pede calcare velit? ubi enim nullus patrum memoriæ honos habetur, brevi sordent mores, franguntur animorum nervi, et vitam silentio transimus veluti pecora (2). Ne simus profecto ingrati erga eos qui labore curaque ex fumo dare lucem cogitarunt, et dum cædes condere annalibus juvat, viros qui rem humanam per artem excoluere, a dedecore oblivionis asseramus. Apparent, fateor, rari in longa annorum serie, qui supra vulgus caput extollant, sed et ratio habeatur eorum qui, examinis duces secuti, quoquo modo mortalitati profuere. Quos iniqua trutina pendemus, si tempora, adjutorum inopia, et undique obstantia omittuntur. Nunc quum studia præsto sint ac doctrinarum radiis circumfundamur, vetus ævum explodimus, similes iis qui numis aureis utuntur, nec cusoris nomen curant. Operæ pretium erit igitur altius repetere et hujus diei pompam Majorum nostrorum imaginibus, antiquo ritu, ornare.

Non omnia posse omnes vel rudibus compertum est, ast inter dotes quas forte Belgis natura denegavit, non est philo-

(1) De Augm. Scient. lib. VI.
(2) SALLUST. Catil. I.

sophandi facultas annumeranda. Nam quum mens hominum universa veluti orbis prope dividatur, temperatas zonas Belgarum tenet ingenium, adeo ut nec cæco fervore æstuet, nec frigore torpeat, mobile, rerum capax, sed in audendo prudens, in festinando incedens eodem fere quo, festis diebus, more matrona moveri jubetur. Itaque quibus summas cogitationes complectens, per meditationis auras aquilino remigio tranat, igneis viribus consociat judicium, quod attente sublimia inspicere absque vertigine queat, non specie, non spatio deceptum. Illam vero philosophandi facultatem in Belgis sopor urgebat quum, quinto decimo incipiente sæculo, Lovanii hancce Academiam Joannes, nomine IV, Dux Brabantiæ instituit, ob id unum laudandus princeps, quamvis laus Engilberto Nassavio, institutionis auctori jure debeatur, quasi literarum posituri sedem, posteaque discordibus armis eversam restituturi Nassavii essent. Tunc dialectice totius philosophiæ solium usurpaverat, nugis canoris sesquipedalibusque verbis gaudens. Renascentibus literis ingenium, præter naturæ consuetudinem, Phantasiæ ludis Rationis opera, vix nido egressum, prætulerat, sed, recto deturbatum cursu, argutias pro veritate captavit et circa vilem patulumque orbem hæsit, pedem efferre impotens. In verba Aristotelis vix intellecti jurabant, cujus scripta non ab Arabibus primum accepta, ut plerique conjectant, versiones latinæ turpiter corrupere (3).

(3) Sic laudibus Aristotelem exagitat Averroes L. I. Destruc. disp. 3. « Aristotelis doctrina est Summa Veritas, quoniam ejus intellectus fuit finis humani intellectus : quare bene dicitur de illo, quod ipse fuit creatus et datus nobis divina providentia, ut non ignoremus possibilia sciri. »

De interpretibus autem Aristotelis vid. *Recherches critiques sur l'âge,*

Principio legebatur in scholis : deinceps locum ceperunt professorum commentationes discipulis dictatæ, non probante Petro Blesensi, qui hunc modum studiis profuturum negabat(4). Sacra profanaque regebat Stagyrites, aut saltem nomen ejus, quis enim Pellæo præceptori sectantium deliramenta imputet? meliores tamen disciplinæ invalescere cœperant, quas in Belgium invexit RUDOLPHUS AGRICOLA, laudibus Erasmi, haud immerito, pene oneratus. Is, teste Roterodamo, philosophiæ mysteria omnia penetraverat (5), at emunctioris erat naris quam qui scholasticis delectaretur; quumque jam tum multa ipsi de scholastica philosophia subnascerentur dubia, eorum labyrinthis extricandis haud raro præceptoribus gravis fuit, quod sibi ista eximi petivisset. Ita philosophiæ, qualis eo tempore regnabat, summos honores Lovanii ambiit ac consecutus est, FALCONIS pædagogii hospes; tanta mox hunc honorem sequente nominis fama, ut munerum conditiones adipisci potuisset honestissimas, sicuti plures Ves-

---

et l'origine des traductions latines d'Aristote, et sur des commentaires grecs ou arabes employés par les docteurs scholastiques, par M. Jourdain. Paris, 1819. in-8°.

(4) CREVIER, *Histoire de l'Université de Paris*, Paris, 1761, in-12°. T. I. p. 222.

(5) CHILIAD. Adag. cent. IV. p. 415, edit. Froben. in Veneta enim Manutii ista deleta sunt; restituit vero Clericus, ERASM. op. T. II. col. 166. C. prov. 39 : QUID CANI ET BALNEO?

Exhibuit Rudolphi literariam vitam Jacobus Bruckerus in *Templo honorum literaturæ Germanicæ*. Aug. Vindel. 1747. in-4°. vid. etiam Histor. critic. philos. Period. III. P. I. lib. I. C. I. pp. 36 sqq. et accessiones ad eosdem locos, T. IV. P. II. p. 684.

trum, queis feliciter accersitis, ingenii et doctrinæ augustus existimator, patriam REX ditavit (6).

Nostra est ergo Rudolphi gloria, cujus exstat monumentum in libro de *Dialectica inventione*, cui falsum Erasmus titulum inscripsit (7), ut præteream Phrysii *Orationem de laudibus philosophiae*, Ferrariæ dictam et declamationum in morem redactam. De dialectica opus, juxta genuina Aristotelis præcepta scriptum, quamvis augustei sæculi nitorem non referat, ordinis tamen dictionisque perspicuitate et ratiocinandi accuratione barbariem innumeris parasangis superat: vitia studiorum audacter ibi carpuntur, Aristotelisque *Topica* ac RAYMUNDUS LULLIUS (8), qui primus philosophiam instauravit, æque vocantur in judicium. Librum hunc commentariis illustrare, ni tot oneribus oppressus, non gravatus fuisset Erasmus, verus ille scholasticomastix (9).

(6) Liceat mihi huic paginæ intexere nomina CC. VV. G. J. BEKKER et Fr. J. DUMBECK, amborum ætate et ingenio florentium, quorum alter exercitationibus suis in Philostratum aliosque græcos auctores, alter *Tabulis Ethnographico-Periodico-Synchronisticis*, dialogis Κλειώ inscriptis, *Antiquitatum Romanarum compendio* multisque aliis scriptis claruit. Addam et doctissimos F. M. BIRNBAUM juris utriusque peritissimum felicemque simul poetam, F. J. ADELMANN naturalium rerum interpretem, J. M. BAUD, Hippocratis, F. J. GOEBEL Euclidis scientia mirum in modum ornatos et J. JACOTOT lect. methodorum suarum solertia notissimum.

(7) De inventione Rhetorica.

(8) RAYMUNDI LULLII opera. Argentor. 1617, in-8°.

(9) « Opus de inventione Rhetorica quidam oneravit commentariis, juvenis, ut apparet, nec indoctus, nec infacundus, sed insunt multa πάρεργα, quædam etiam odiosiora juveniliterque destomachata; malim

Acriter interea impugnabant literis adversi quorum tamen Lovanii quam alibi densa minus cohors; nam ex iis quæ Petrus Ægidius ad Martinum Dorpium scribebat de Agricolæ opusculis, non erat quod vereretur iste barbarorum assultum, quum haberet et Lovanium complusculos viros neutiquam vulgariter eruditos, sub quorum tutamine, uti sub Pallados ægide latitans, meduseos etiam vultus intueretur (10). Sed, ut fit, docti indoctis sæpius impares medio excedere cogebantur suasque musas silere jubebant.

Dum in literarum republica fervebat opus, turbidioribus in templis operta bella tumescebant. Novandi secreta libido, longo placidas ab ævo, mentes concusserat. Quæ olim in penetralibus, nempe oculorum aciem ut fallerent, latebant, hiantibus cunctis, in lucem repente prodierunt et veluti quondam Solymæ vox monere visa est *exulare deos*. Inter hæc, imo priusquam, ruptis fornacibus, iste in agros Ætna erumperet, emicuit *Desiderius Erasmus* sui sæculi merito phænix, quo non alter multiplicis ingenii ubertate circumfluentior, suavitate in scribendo, salibus et facetiis conditior, doctrinis cumulatior fuit. Forsitan non absurde conferetur cum viro qui omnes laudis vias exploravit, proximi sæculi præsul. Ambo ad emendandos homines, ridiculi potentia nati, et licet diversis opibus instructi, ad eadem fere vergentes, omnia risu excepere. At ille modestiæ non semper pepercit,

---

scholia docta ad rem facientia; ni tot oneribus essem oppressus, non gravarer hanc suscipere provinciam, adeo faveo Rodolphi memoriæ. » Epist. Hermano phrysio, ed. Cleric. T. III. c. 1070. F.

(10) Epist. præf. opusc. R. Agricol. in edit. Martini Alost. Antuerp. 1511.

hic parthenium præ se tulit candorem. Inimicorum turbam ambo fugientes, patriam exilio mutarunt; alter Luthero præivit, alter universis ætatis nostræ novatoribus; is quo paucioribus consuleret eo magis timendus, ille quo plura veneraretur : hic occulta, ille aperta dicendi libertate formidandus.

Nullum adversus philosophastros fortius vibratum est telum quam *moriae*. Quanta amœnitate, quot atticis leporibus, adunco suspendit naso dialecticos ac sophistas, hominum genus quovis ære dodonæo loquacius, non tantum linguaces sed rixosos, syllogismis hirsutos, *ideas, universalia, formas separatas, primas materias, quidditates, ecceïtates* aliaque portentosa verba vomentes (11)! Sed et seriis etiam philosophiæ profuit, elucidandis rudimentorum methodis quo barbariei fautorum invidia pene arsit. Crebro agebat Lovanii ubi, ipso teste, non minus erat theologicæ eruditionis quam Parisiis, sed minus sophistices minusque supercilii. Sustulerunt vero supercilium N. EGMUNDANUS et F. HULSTUS, sacro armati gladio, VINCENTIUS quidam dominicanus, JAC. LATOMUS et aliquot literarum meliorum osores, pluresque nihilum intelligentes, imitatorum servile pecus, et ad nutum blaterantes (12). Utinam Plautinis salibus aut Luciani festivitate possem, quam Desiderio EGMUNDANUS, apud rectorem hujus Academiæ ex-

(11) Quos homines, invisum genus, depinxisse videtur C. V. Ruhnkenius in oratione de *Doctore umbratico* : « Vultus est tetricus et truculentus, ridiculus incessus, abhorrens a more communi corporis motus; vestitus immunda illuvie squalens, ut homines non diceres, sed hominum terriculamenta. »

(12) Belgica Erasmi vita, etc.

citavit, socco dignam fabulam exponere (13)! risit ipsa philosophia, rugosasque jamdiu frontes ac pileo superbas, hilaritas primum dissolvit. Audire videor hinc festivam ERASMI vocem, illinc immundos EGMUNDANI latratus; hinc comem, tersum, elegantem amabiliterque ludentem virum, illinc furiosum quendam hominem, agrestia opprobria fundentem, qualia derident *obscurorum virorum epistolae* (14). PALUDANI, in collegio LILII, sive MARTINI alostensis, Belgarum Sosiæ, convictor DESIDERIUS, paucos inter amiculos sollicitam livore vitam solabatur. Ibi in consuetudinem venit JOANNIS LUDOVICI VIVETIS (15) quem, etsi Hispania genitum, Belgæ sibi jure vindicant. De illo nondum vigesimum sextum ætatis annum egresso pronunciat Roterodamus cum in nulla philosophiæ parte non supra vulgum eruditum, tum in bonis literis atque etiam in dicendi facultate eo progressum esse, ut hoc sæculo vix alium norit, quem ausit cum hoc committere (16). Viros etiam pseudo-dialecticos lacessivit et de *initiis, sectis, et laudibus philosophiae* haud spernendum edidit librum, adeo gnavus ut scriptoribus ævo consecratis repugnaverit, et inprimis Aristoteli, quæ quidem audacia tunc temporis miraculum erat. His vero initiis animadvertendum est quæ a philosophia maxime abhorrere videntur, res ipsas illi profuisse;

(13) Epist. Moro. T. III. c. 607, E sqq.

(14) De epist. Viror. obsc. vid. ERASM. op. T. II. passim, DE BURIGNI, Vie d'Erasme, T. I. pp. 229 sw. VOLTAIRE, edit. de Desoer, T. VIII p. 999; RENOUARD, Annales de l'imprimerie des Aldes, T. I. p. 133; Belgica Erasmi vita (quæ sub prelo est), Not. I. ad § CXXXIII.

(15) NICOLAUS ANTONIUS, Bibl. Hisp. P. II. T. I. p. 552, Col. B.

(16) T. III. col. 415. A.

sic BUSLIDIANI seu *trilinguis collegii* institutio (17), A. BARLANDI, C. GOCLENII, P.que NANNII tentamina, linguarum cognitionem evulgando, asperam quæ remanebat tribulorum sylvam prope deleverunt; grave virus munditiæ pepulere, animis in dies expolitis et ad saniora pronis; simul legitimos philosophiæ fontes aperuerunt, ineptis interpretibus ejectis, Aristotele, Platone, reliquaque Hellade genuinum sermonem loquentibus (18). Infremuere, sed frustra, qui minoribus parere turpe credebant et quæ imberbes didicerant, senes

---

(17) Nascente ac florente hoc collegio, sito ad forum piscium, a nonnullis e facultate artium, qui bonas literas contemnebant ibidem excultas, jactitari identidem solebatur : « Nos non loquimur latinum de foro piscium, sed loquimur latinum matris nostræ facultatis. » Val. Andr. Fast. Acad. p. 277 edit. 1650 in-4°.

Quoniam in Fastos incidimus, Valerii opus absolvere tentaturos olim esse nos fatebimur; quod jam consilium ceperat V. D. PAQUOTUS, ut patet ex chirographo ejus qui exstat in musæo C. V. ROELANTSII, hujus Academiæ Curatoribus a Secretis ac Inspectione. Videre est insuper in pretiosissima præclarissimi equitis HULTHEMII bibliotheca, duos magnæ formæ tomos, minutissimis characteribus ab eodem scriptore exaratos, cum hac inscriptione : FASTI DOCTORALES. Idem habet FOPPENSII chartas quibus asservatur satis longa S. S. Th. et J. U. DD. series. Cæterum, ni invidia oppressus fuisset PAQUOTUS, plurima maximi momenti opera edidisset. Fœdissimi facinoris ab improbo quodam insimulatus, absque judicio in carcerem detrusus est : libertatem postea non jus obtinuit. Multa alia ejusdem orco detraxit, diligens rei literariæ monumentorum indagator, HULTHEMIUS.

Fontes historiæ Lov. Acad. indicavit C. V. DUMBECK in nota quadam ad Decreta et acta inaugurationis, Annal. Acad. T. I. pp. 18, 19. Quod idem decretis præfetur, etiam videsis.

(18) Audi tamen apud Lipsium neglecti græci sermonis justas querelas. Lovan. L. III. c. 4.

perdenda confiteri. Nescio quæ vis inest veritati; mobilitate nam viget, eundo vires acquirit, et prostratis qui obstabant pumilionibus, turpes araneas quibus vestis candor depravabatur, fulgentiori jam toga excutit.

Tunc docuere JOANNES SIRIACUS, alias BEVERUS, hanno, Porcensis Gymnasii professor, qui Aristotelem de physica auscultatione commentariis illustravit; JOANNES STANNIFEX, gosletanus, Beveri collega et in eodem gymnasio professor, cujus ingenio accepti feruntur illi in organum aristoteleum commentarii quos vulgo Lovanienses appellant; AUGUSTINUS HUNNÆUS, mechliniensis, qui philosophiam in Castrensi, non parva cum laude, tradidit, et cui fidem faciunt quæ de logicæ præceptis publicam in lucem emisit. Professi sunt et JOANNES RUBUS, in Porcensi Stagyritam interpretatus, et CORNELIUS ultrajectinus, qui naturæ philosophiam et ethicam in Trilingui exposuit (19).

Sed et quo Lipsium piaculo taceam quove maxime excellentem insigni prædicem? philosophiæ cui studia jam tum a puero ita placuere, ut peccare juvenili quodam ardore videretur et fræno atque inhibitione fuerit coercendus; sæpe

---

(19) VERNULÆUS, p. 307 sq.

Idem p. 159: « non ad ostentationem sapiunt, aut ad pompam sunt philosophi, non nebulas ex Aristotele, non nubes, ut sic dicam, et inania captant, sed in veræ ac germanæ philosophiæ fundo occupati hunc arant, ex hoc metunt, nihil in eo non a se discussum relinquunt. Jam ea est orbis confessio nullibi melius quam Lovanii philosophiam doceri. »

V. CURTII elegiarum liber de Acad. et urbe Lovan. ibid. 1574. in-8° p. 46. sq.

in Ubiis, ut in libris ejus legitur, præceptores ei libros istius generis omnes velut per vim e manibus excusserunt, et scripta etiam commentariosque eripuere quos laboriose confecerat ex omni interpretum classe (20). Æque laudatur Lipsii industria qui in *manuductione ad Philosophiam Stoïcam* et in dissertationibus de *Physiologia Stoïca*, utilissimum et eruditum nobis exhibuit philosophiæ Stoicæ compendium, quod postea Caspar Scioppius iterum expressit (21). Viam instituerunt recentiori ætate duumviri de Stoïcâ philosophiâ egregie meriti, Justus Lipsius et Jacob. Thomasius, ab omnibus legendi, verum etiam inter se conferendi, qui accuratum de Stoïcis judicium cupiunt. Lipsius enim magna eruditionis et lectionis copia veterum pleraque de physica Stoïcorum narrata, artificiali quodam ordine disposuit, et magnificam philosophiæ naturalis porticum nobis reliquit; sed præpostero Zenonis amore et præjudicio ductus, errores vel celavit vel frigide excusavit (22). Quid præterea de Constantiæ laudibus toties externo sermone donatis, in quibus (Naudæi liceat verba mutuari) Lipsius tanquam in Darii scrinio, res ipsas quas habebat pretiosissimas, elegantiam videlicet et omnes ingenii

(20) LIPSIUS ac Lectorem, de Constantia.

(21) BRUCKERUS, Hist. Crit. phil. T. I. p. 894.

(22) BRUCKERUS, ibid. p. 921. confer Th. Stanleii Hist. phil. Lipsiæ, 1711, in-4° pp. 542, 643.

D'OLIVET, remarques sur la théologie des philosophes grecs etc.;

DIDEROT, Encyclopédie et œuvres, édit. de l'an VIII. T. VII p. 543;

LE BATTEUX, Mém. de l'Acad. des Inscr. T. XXII. pp. 102, 107, 108, 111, 114, etc.

De J. LIPSI Vita et scriptis Comment. P. II. C. XXVII.

ac judicii gemmas, artificiose conclusit (23)? Redeat parietibus istis, redeat Lipsii symbolum, et nostræ etiam lucubrationes MORIBUS ANTIQUIS iterum consecrentur (24)!

Quomodo isthac ætate sese habuerint philosophiæ studia breviter disserere orationis leges haud vetare videntur. Stadium seu cursus philosophiæ biennii decurrebatur spatio. Tempus autem biennii ita distribui solebat, ut primi novem menses in tradenda universa Aristotelis logica, præceptisque dialecticis accurate explicandis impederentur; ut philosophiæ naturali et libris Aristotelis eadem tradentibus, octo; metaphysicæ quatuor, et postremo reliqui tres laboriosis doctrinæ, toto biennio traditæ, repetitionibus adsignarentur; non omissa ethice seu scientia morali. Logica *Porphyrianam Isagogen, Categorias Aristotelis Analytica*, libros *de Interpretatione* et *Elenchos*; Physica libros *de anima* ac *metaphysica*, *physicorum*, *de cœlo, mundo, generatione, corruptione ac meteoris*, *spheram* insuper *Joannis de Sacrobosco* et *Arithmeticam* complectebatur (25). Unde aliena alienis coïre et, quasi diversum genus, confusam camelo pantheram vulgi tum ora convertisse, haud difficile colligere licet. Sed diu manserunt ruris vestigia, serius quia sapientium chartis Lovanienses acumina admoverunt. Toties damnatus, toties adscriptus divis, et semper funere in ipso victor Aristoteles, quod credendum esset, solus adhuc imperitabat; quippe quum notiora essent

---

(23) De J. LIPSI Vita et scriptis Comment. P. II. C. XXVI.

(24) Ad istud symbolum lemma fecit Erycius Puteanus:

> Lipsius hoc *priscis* ornavit moribus Ævum:
> An mirum? priscis par erat ille viris.

(25) Fasti Acad. pp. 242, 243.

ejus opera, errores major reverentia tutabatur; neglectaque natura homines jamdudum ignotos veritatis vultus videre insueti, quando sua audax inscitia obscuras voces resonabat, rerum causas, heu! decepti, cognoscere rebantur.

Graviori interea Hispanorum dominatione, hic pro focis illic pro exterorum imperio pugnari, et ne Belgæ novis rebus nimis delectarentur, spissioribus tenebris circumdari. Provinciarum in finibus stabat vigil et anxius Iber ut philosophiam arceret. MAURITIO autem duce, tum dimicabat vir qui orbi facem inferre ipsissimis erroribus debebat, qui tantummodo cogitationis viribus innixus, antiquamque farraginem spernens, arcta naturæ claustra confringere decrevit; qui mente animoque omne peragravit immensum, Cartesius. Animadverterat quam multa, ineunte ætate, falsa pro veris admisisset, et quam dubia essent quæcunque istis postea superstruxerat; ac proinde funditus omnia semel in vita esse evertenda si quid aliquando firmum et mansurum cuperet in scientiis stabilire; opportune igitur mentem curis omnibus exsolvit, securum sibi procuravit otium, solus secessit, serio tandem et libere universæ huic suarum opinionum eversioni vacavit (26). Sic constituit unam quasi scientiam universalem, quæ esset mater reliquarum et haberetur in progressu doctrinarum tanquam portio viæ communis, antequam itinera sese disjungant: quam scientiam *philosophiae primae* sive etiam *sapientiae* nomine insignit Baco Verulamius (27). Dum Batavis meditationes suas largiebatur, hujus et muneris particeps fuit quæ Belgii pars Iberis serviebat. Dissertationem

---

(26) Meditatio prima. Amstel. 1658, in 4°. p. 5.

(27) De Augm. Scient.; lib. III. C. I.

de Methodo recte utendi ratione et veritatem in scientiis investigandi, *Dioptricen* præterea *Meteororum*que libros publici juris fecerat. Dum Egmundæ diversabatur, LIBERTUS FROMONDUS (28), qui sacros codices explanabat in Academia Lovaniensi, quædam in Methodum, Dioptricen et præsertim Meteora, de quibus ipse scripserat (29), objecit; contra respondit tanta humanitate Cartesius, ut ambos postea devinxerit amicitia. Cum Plempio qui tunc, quamvis Batavus, Lovanii medicinam factitabat, de motibus cordis et sanguinis meatu egit (30). Loyolistæ etiam Lovanienses cum illo de mathesi tractarunt, cujus fixæ leges dialectices minus certum iter regebant; inde spargi philosophiæ semina, et e pugnantibus sententiis verum expromi veluti silice scintilla excuditur, quæ mox latiore lampade refulsit quum Bayleus, ingenii virtute doctrinarumque præstantia munitus in Batavis consedit. Jam procul evanuerat ab oculis, imo pede quasi deprimebatur orbis ille quem fabricatæ erant insciæ manus (31); per semet ipsos cogitare jam audebant philosophi, intus et in cute semet intro-

---

(28) FOPPENS, Bibl. Belg. p. 819.

(29) Meteorologicorum libri V. Antuerp. typ. Plant. 1631; in-4°.

(30) REN. DESCART. epist. LXXVII et sqq. p. 264, etc. Amstel. Elzev. 1668, in-4°. Abregé de la vie de Descartes (par A. Baillet) p. 127, sqq. Paris, 1692, in-12°,

Éloge de Descartes par Thomas, etc., etc.

(31) Antehac philosophis Shakespearei versus præsertim congruebant:

There are more things in heaven and earth, Horatio,
Than are dreamt of in your philosophy.

HAMLET, act. I. Sc. 5.

spicere conabantur, et ubi lateret, ubi reconderetur hic archetypus, hoc, ut vocant, principium, ultra quod alia desint et a quo tuti cautique procederent, gnaviter quærebant. Ægre tamen adhuc recentium scripta Lovanium subiere, ubi viribus insitis potiusquam cultu multa oriebatur ingeniorum seges, donec, felicioribus auspiciis, quibus et nunc superbit Academia nostra, quosque hac in corona circumstantes cernimus (32), eruditi viri Lovanium, ut ita dicam, sæculo adæquarunt (33). Quos inter mihi jure laudandus est J. B. Liebartius cujus sedem satius quam vices tenere meum est, cui pudor et incorrupta fides morumque humanitas quando ullum meliorem invenient? rudi donatus arena excessit, veneranda canitie decorus, sed procul me, saltem digito, ducet, callemque monstrabit, et dolos ipse atque ambages resolvet.

Ac primum, si quidem illius sententiam subodorari et in judicium descendere potuero, magnopere enitar, ut esotericæ, meis in prælectionibus, locum nunquam cedat exoterica philosophia; nam, ut ait Kantius, cujus nomine falso utuntur qui sese non audiunt, delphica oracula mussantes, regnum

(32) CC.VV. J.P. De Bruyn, G. Van Gobbelschroy et J. F. Sentelet, e cujus disciplina sum egressus, cuique, in pietatis testimonium, quicquid mediocris moliar sacrum esse cupio.

(33) Non tamen, omnes provinciæ eodem successu regebantur: nullo enim modo, v. g., græcis aspersus fuerat literis qui hoc munus novissime susceperat; frigebat etiam anatomia, adeo ut cadavere quodam, ex summæ curiæ decretis, Lovanium allato, professor tanquam tactu illius contaminatus, vespilionisque inustus nota, ab uxore per integrum fere annum desertus fuerit.

tenebrarum paradisus est stultorum (34); nubibus videlicet sese involvere solent qui, aut ineptas aut lethiferas opiniones serere volunt, noctuæ pares quæ lucis radios execratur, aut tempestatum genio semper atra caligine et grandine cincto. At, fateor, non semel accidit ut summi viri, quos multa levabat aura quoties in altum tendebant, novo propemodum sermone indiguerint, quum inaudita essent exponenda; hæc nihilominus juventæ manifesta in luce ostenduntor aut omnino removentor, cui in promptu sit veritas vitæque usibus, non quidem pigræ somniorum voluptati, accommodata. Juvenis judicium in universis rebus quæ ad manum sunt informare scholasticæ philosophiæ summa videtur; ideo ad mathesin quam maxime accedet, ex Platonis consulto, quod libro suo de logica præfixit unus e Moderatoribus hujus Academiæ, sapientia et auctoritate graiorum sapienti proximus (35); ut enim quisque maxime perspicit, quid in re quaque verissimum sit, quique acutissime et celerrime potest et videre et explicare rationem, is prudentissimus et sapientissimus

---

(34) Somnia Pneumatoptæ per somnia Metaphysices illustrata. Præmonitum p. 97. t. IV. oper. ad philos. crit. latine vertit Fred. Gottlob. Born.

(35) ΟΥΔΕΙΣ ΑΓΕΩΜΕΤΡΗΤΟΣ ΕΙΣΙΤΩ. *Essai sur la théorie du raisonnement, précédé de la logique de Condillac, avec des observations par C. F. de Nieuport. Brux.* 1805 in-8°. « Faisons comme les géomètres, les théorèmes pour les problèmes, c'est-à-dire pour savoir construire; en définitif toute spéculation doit avoir pour but une action ou une production quelconque. » Logique de Hobbes, trad. par Destutt de Tracy Ch. I. Logicam *computationem* vocat Hobbesius.

rite haberi solet (36). Ad transcendentalia (37), (vocem hanc superbam usurpant) sic sternetur semita, et me prorsus, quantuluscunque sim, ducente, ni fastigia ardua philosophiæ prope nubibus immersa tangant ingenui adolescentes, fertiles, non hydra sulcos servante, percurrere saltem intacti poterunt, dumque quorundam pseudo-philosophorum præceps currus non audit habenas, metam vel meditationi positam calcat; et philosophia, longe a prima nominis origine seducta, Sophiæ sane dispar, superbius effert caput, nos humiliores audaces eorum cursus (38) e speculis secuti, scrobibus simul in profundum actis, arcana systematum penetrare aggrediemur, quoniam nobis quasi materies quam tractemus, et in qua versemur, veritas subjecta est; atque incedentibus semper præmittetur vexillum his adornatum verbis: *caute investiganda veritas*.

Unde autem hæc eruetur ? ex omnibus scilicet cujusque regionis, ætatis cujusque auctorum scriptis, nam vaga et sempiterna est veritas, nullius partibus adstat ac per se refulget, ut sol non uni aut alteri, sed omnibus in commune profertur. Philosophantes contra idem faciunt ac ille *Gnatho* Terentianus qui sectari jubebat et tanquam philosophorum habent ex ipsis disciplinæ vocabula, parasiti itidem ut *Gnathonici*

---

(36) Cic. de Officiis. V.

(37) Transcendentalem aut Æstheticam appellat scientiam Kantius, quæ principiis *a Priori* nititur.

(38) Baco in ocyores philosophantium cursus : « Hominum intellectui non plumæ addendæ, sed potius plumbum et pondera. » Quam sententiam logicæ suæ præfixit clariss. Comes de Tracy.

vocarentur (39). Mathesis quæ circa Manifestum versatur, in demonstrando auctorum nomina non curat; non enim tam auctoritatis in disputando, quam rationis momenta quærenda sunt. Quin etiam, Tullio pronunciante, obest plerumque iis qui discere volunt, auctoritas eorum qui se docere profitentur. Desinunt enim suum judicium adhibere : id habent ratum, quod ab eo quem probant judicatum vident. Nec vero probandum id quod de Pythagoricis accepimus: quos ferunt, si quid affirmarent in disputando, quum ex iis quæreretur quare ita esset, respondere solitos « ipse dixit » (ἄυτος ἐφα); ipse autem erat Pythagoras. Tantum opinio præjudicata poterat, ut etiam sine ratione valeret auctoritas (40). Plinio dictitanti nullum esse librum tam malum qui non aliqua ex parte prosit, libentes annuemus : Germanus, Anglus, Gallusve fuat nullo discrimine habebitur. Doctrinam ergo hancce nostram ab antiquis, causasque et vitia et modos, gravesque principum sectas et arma, aleæ plenum opus, deducere in consilio nobis est. Haud mora, per Achivos iter corripientes, Socratis, Platonis Aristotelisque imaginibus thura plena dabimus manu: quorum giganteis statuis humanum pecus inhiat, sicuti regalem pyramidum demiratus situm viator, earum molem stupet, hieroglyphicorum quibus mysticæ loquuntur, nescius. Quæque docebat sapiens porticus, braccatis Medis illita, insom-

(39) In Eunucho, act. II. sc. II.

(40) CIC. de Natur. Deor.

« C'est une illusion que de prétendre prouver par des autorités humaines les vérités de la nature. » MALLEBRANCHE. De la Recherche de la Vérité. liv. V. p. 329. Paris, 1678, in-4°.

Vid. etiam integrum cap. VI. lib. II, ejusdem op. pp. 122-125.

nis quibus juventus detonsa invigilabat, nec non quæ samios litera deducebat ramos (41), et nos erudire et animorum vim acuere certabunt. Per cæteras deinde regiones spatiabimur donec paullatim ad nostra venerimus tempora. Nec tamen in aliorum opinionibus et sententiis omnino conquiescere debet nostra diligentia : haud enim nomen suum et officium tuetur philosophus, qui non suæ mentis propriam in explorandis rebus agitationem habuerit (42).

Agitedum, jam Græciæ, Latii et Alexandriæ (43) disciplinarum casus enarrantur; corruit Occidentis imperium : terris, quam descripsimus incubuit barbaries; tandem illa caligo tenuata quasi in fumum nebulamve decessit; mox dies verus, sol etiam effulsit, luridus tamen, qualis esse quum deficit, solet (44). Quanta ingeniorum cohors scriptis patriaque variorum! unde omnes adversos legere possimus oraque venientium discere ? Principes saltem alloqui fas est. Salve, magna parens virum, Germaniæ tellus! KANTIUM ostentas tuum, aliosque externarum gentium pedibus ejus subjicis; at grandior ipse est ut super alienorum ruinas attolli debeat, quamvis qui eum numinibus consociant, magis obscuram diffusamque dicendi rationem, quam res ipsas sub verbis latentes mirentur. Qualis

(41) PERS. Sat.

(42) Christ. GARVE, Legendorum phil. veterum præcepta nonnulla et exempla, 1770, initio, etc.

(43) Conf. Essai Historique sur l'École d'Alexandrie, depuis sa fondation jusqu'au III siècle, par M. Jacques MATTER. Paris. 1820, 2 vol. in-8°.

(44) PLIN. epist. 20 lib. VI.

Proteus, sine vi nulla præcepta dabit; ergo prius vinculis capiendus est: capto vim duram et vincula intendite, tum demum inanes doli circum hæc frangentur. Quid cognosci ab hominibus possit, quid non possit, Kantius perscrutari ausus est (45): proh divina dignum mente consilium! quid scire contingat, quid ignorare cogamur, ex ipsa animi humani natura ejusque viribus, scientiæ humanæ terminos constituens, docere est agressus, meræque rationis criticam tentavit! continuo absolutum illud, tanto strepitu prædicatum, omnes quærere. Neque si Kantio, si Fichteo, si Schellingio jure libatur, omnes Kantianos, Fichteanos, Schellingianos psittacos (46) ad nauseam garrientes attenta aure audiunto. Procul hinc qui nimis magnum studium, multamque operam in res obscuras atque difficiles conferunt, easdemque non necessarias; diu præliati adversus phantasmata, nunquam victores abiere, nec malignitatem eorum pertinacissimo animi robore superaverunt. Valeant qui grana ciceris, ex spatio distante, in acum inserunt, ejusdem leguminis modio donandi (47). Nam breviori ævo fortes sumus ut tam multa jaculemur; valdeque est timendum, ne captiosis argumentis attenuata, quibus felicitas ipsa hominum ordoque socialis innituntur, illas abigat a se juventus veritates: improvidam nempe mortalitatem defatigant hæ ambages, et denique incertæ menti nil superest quod credi queat. Sana tamen tot pericula methodus vitare potest, quæ vere est ingeniorum Lucina. Ipse idcirco profiteri non verebatur

---

(45) Prolegomena zu einer jeden kunftigen metaphysick, p. 13.

(46) Sic vocat eos E. A. Borger. De Mysticismo edit. II. præf. vij.

(47) Quintilian. lib. II. c. 20.

Cartesius se singulari deputare felicitati, quod a primis annis in eas cogitandi vias incidisset per quas non difficile fuisset pervenire ad cognitionem quarundam regularum sive axiomatum, quibus constaret methodus, cujus ope gradatim augere scientiam confideret; jamque ex ea tales fructus perceperat, ut, quamvis de se ipso satis demisse sentire consuevisset, et, dum varias hominum curas oculo philosophico intuebatur, vix ullæ unquam occurrerent quæ non vanæ et inutiles viderentur; non posset quin diceret, se ex progressu quem in veritatis indagatione jam fecisse arbitrabatur, summa voluptate perfundi : talemque de iis quæ sibi quærenda restarent spem concepisse, ut si inter occupationes eorum qui meri homines essent, quædam solide bona et seria daretur, credere auderet illam eandem esse quam elegerat (48).

Ista scilicet methodo, animæ facultatum natura, effectus, media deinceps perspicientur; non turpiter sensibus omnino inserviet anima, sed commota sensu, sensum ipsa commovebit patiens invicem et agens: *attendere, conferre, ratiocinari*, hæc seorsim INTELLECTUS, *appetere, præferre, libertate uti*, hæc VOLUNTATIS erunt, quæ quidem facultates, non sentiendo gignentur, et *attentionem* veluti principium habebunt (49).

---

(48) Ren. DESCARTES specimina philosophiæ. Amstel. Elz. 1644, in-4°. De Methodo, p. 2. Discours de la Méthode, etc. Paris. 1668, in-4°. p. 3.

(49) Conf. œuvres de CONDILLAC. Paris, 1821. 16. vol. in-8°. DESTUTT DE TRACY élémens d'idéologie, Paris, 1817. 4 vol. in-8°. Le même, Principes logiques ib. 1817, in-8°. P. LA ROMIGUIÈRE, Leçons de phil. ou essai sur les facultés de l'âme. Paris, 1820. 2 vol. VICTOR DE BONSTETTEN, Études de l'homme, ou recherches sur les facultés de sentir et de penser. Genève, 1821, 2 vol. in 8°.


Ex hoc argumento cuncta defluent; sic luculentam auditoribus nostris plenamque succo philosophiam præbere conabimur, simul religiosa politicaque dogmata discutere abstinebimus, tenellis nimirum stomachis parum sapida (50). Nec juvenum tumeat animus, detectis quasi sophiæ adytis, nec sibi plaudant, ceu prudentiæ summa ascendissent, quo enim altius

---

Rapport de la nature à l'homme et de l'homme à la nature, etc., par le baron Massias. Paris, 1821, 2 vol. in-8°.

De attentionis mensura causisque primariis, etc., scripsit J. F. Herbart Regiomont. 1822, in 4°.

Doctrinam, si qua est, nostram hæc tabula offeret :



Quis non videt inde totam encyclopædiam facillime deduci posse?

(50) « Οἱ φιλόσοφοι δέ που ἐκ νέων πρῶτον μὲν εἰς ἀγορὰν οὐκ ἴσασι τὴν ὁδὸν οὐδὲ ὅπου δικαστήριον, ἢ βουλευτήριον, ἤ τι κοινὸν ἄλλο τῆς πόλεως ξυνέδριον. κ. λ. » Plat. Theætetus.

philosophiae studia rimati erunt, eo pauciora se scire animadvertent. Juventæ corona est modestia, quam si detraxeritis, lepores festivumque hujus ætatis decus protinus aberunt et roseos vultus præcox, sed inexperta et deformis, senectus deturpabit.

Quod autem si culpæ fuga aut quæ parum cavet hominum natura, in vitium me duxerint, spero equidem non mihi defuturos esse Summos Viros hujus Academiæ Mecænates, per quos Augustissimi Regis, perillustrisque Ministri ejus, secundum usque lumen in me defixum est, et quorum unus olim pueritiam meam parentis amore fovit (51). Dextra etiam titubantem sublevate, Vos omnes, Viri præstantissimi, quorum nunc ordinibus subscribor; sublevate et me semper habebitis pium, facilem socium, imo discipulum.

Vos igitur præclarissimi Dumbecki ac Bekkere, doctrinæ Vestræ fontes e quibus jam plurimum hausi, iterum mihi pandere non recusabitis, tuque aderis felix, optime Meijere, cujus amicitia et ingenio toties sum usus.

Vos denique, Academiæ cives, principes juventutis, favete linguis! Ea maxime mihi cura erit, ut omnino fiam Vobis familiariter amicus; nec sequar officium tantum in docendo, sed etiam affectum Quid multa? doceamur invicem et, actis in medium conatibus, de REGE ac PATRIA bene mereamur!

DIXI.

---

(51) Cl. Hulthemius eques.

VI.

PRELI LAPSUS.

Pag. 20, note 31,	lin. 1,	*hearen*	leg.	*heaven.*
ib.	lin. 2,	*thun*	—	*than.*
21,	lin. 11,	*cui*	—	*quo.*

IX.

ADR. CATH. HOLTIUS

ORATIO.

ORATIO

DE

JURIS ROMANI STUDIO ETIAM POST RENOVATUM JUS NOSTRUM LEGIBUS PERNECESSARIO,

QUAM HABUIT

ADR. CATH. HOLTIUS,

A. D. XXIX. JUL. ANNI MDCCCXXIII,

QUUM IN ACADEMIA LOVANIENSI

JURIS PROFESSIONEM ORDINARIAM

SOLEMNI RITU AUSPICARETUR.

...... *Absque jure Romano sordet omne jus patrium.*

BYNKERSHOEK.

Institutionis publicae in Belgio princeps moderator excellentissime!

Academiae Curatores, viri amplissimi, gravissimi!

Scriba Curatorum, rerum Academicarum Procurator, vir consultissime!

Rector magnifice! ceterique artium ac disciplinarum Professores, viri clarissimi, collegae conjunctissimi!

Magistratus publici et urbani, viri prudentissimi, severissimi!

Artium doctrinarumque Doctores et Magistri consultissimi! peritissimi!

Ornatissimi cives Academici, lectissimi juvenes!

Cives denique ac hospites, omnis ordinis, loci, dignitatis, quotquot adestis, auditores humanissimi!

Juris civilis fata nobis memoria repetentibus, mirum occurrit, nostro ac superiori saeculo, illius renovandi studium. Crebrae auditae sunt populorum de jure quod erat querimoniae: quod ut amplitudine sua ac diversitate molestum, ita inconditum esse videbatur ac paene barbarum, si cum saeculi humanitate, et cum aliis florentissimis artibus compararetur. Populorum autem rectores cum hac tum aliis causis moti, nova subinde jura condiderunt, quae juri veteri aut adjuncta sunt aut substituta. Novimus omnes, quanto plausu

primum illorum leges sint exceptae; neque jam vulgo ignorantur, quae a jureconsultis nobilissimis (1), contra illam novarum rerum aviditatem, non ita pridem scripta sunt. Verum quidquid in utramque partem ea de re disputetur, factae sunt juris civilis innovationes, ac vim suam continuo exserunt. Unde sui temporis observatore dignum videri debet, perpendere, quid in civilem hominum conditionem efficere possint; certe jureconsultorum est, considerare, numquid ad jurisprudentiae rationem immutandam valeant. Quae sane quaestio nobis in primis hoc tempore instituenda videtur. Belgarum enim, quibus iterum ac tertium novae leges parantur, interest noscere, quid ex illa re juris studium, aut commodi aut detrimenti capere possit; praesertim vero juris Romani studium, quo olim nostri homines et se et patriam suam adeo nobilitarunt. Quare ego non alienum me facturum existimavi, A. A. ab hac solleni dicendi opportunitate, eaque juris docendi provincia quam nactus sum, si inde orationis argumentum petens, *de Juris Romani studio* verba facerem, *etiam post renovatum jus nostrum legibus pernecessario.*

Quaesitum est saepe, et sane leviter talia attingentibus mirum videri debet, cur gentes Europaeae, per tot saecula, Romano quam suo jure uti maluerint. Nos enim Belgae, ut de alia gente non dicam, et Quiritibus et Justiani subditis sumus ab omni parte dissimiles. Moribus, sacris, lingua, cultu victuque, dici non potest quantum discedamus ab illis; et tamen tam diu jure Romano viximus. Nimirum jus illud, licet origine antiquum et peregrinum videatur, nobis tamen

re ipsa domesticum est ac patrium. Namque eo nomine appellandum est profecto jus civile, quod cum ipso populo natum et educatum est, cujus origo in antiquissima tempora abit, antiquiora quam ut ejus initium pervestigari possit; quod deinde omni tempore cum in foro tum in scholis versatum est; denique cui viri docti, quotquot jurisprudentia inclaruerunt, doctrinam suam ac famam pariter debuerunt. Tale autem nobis est A. A. jus civile Romanum, nec nobis tantum, sed etiam maximis, quibus Europa floret, nationibus. Habentur enim in vetustissimis cujusque monumentis (2) vestigia ejus, nec vero pauca, quae ipsas nationes antiquitate antecedunt. Etenim quo tempore Burgundiones, Visi-Gothi, Franci, Lombardi imperii Romani provincias invaserunt, jus Romanum ibi jam per saecula aliquot vigebat, et deinceps ab illis gentibus conservatum est. Neque cum medio aevo instauraretur jurisprudentia, intermortuum erat aut exstinctum, sed tantum sopitum, quasi ex longo somno excitari videbatur. Peregrinum quidem est nobis jus Romanum A. A. origine, utpote natum in Italia, sed non magis peregrinum, quam alia multa, quae jamdudum nostra vocare consuevimus. Consideremus sermonem nostrum, sacra, imo universam nostram humanitatem: nonne haec omnia pariter ortu suo aliena sunt et foris importata? Religio Christiana, qua nihil praestabilius a Deo immortali datum est nobis, haec non indigena est aut Germanica stirpe oriunda, sed ab oriente ad nos propagata est. Linguae autem quibus loquimur, quarum variis dotibus adeo delectamur, quantum habent alieni et adscititii? Quarum complures, si Graeci et Romani ad

sua vindicanda redirent, pulcherrimo suo ornatu, quasi possessione quadam injusta, cedere cogerentur. Atque idem dici possit de artibus ac disciplinis non paucis, quae nobis ab antiquis obvenerunt : sed intelligitis illud quod volo A. A. jus Romanum nobiscum semper habitavit : quod nativum in eo erat ac proprium, nostro ingenio minus conveniens, jamdudum usu ac vetustate absumtum est, ut cum moribus recentiorum nunc penitus coaluisse videatur. Unde neque apud nos, neque apud reliquas gentes, scientia ejus ac peritia careri potuit.

Non est tamen quod a necessitate jurisprudentiae Romanae, quanquam haec magna est, ejus studio commendationem quaeramus. Laudanda est etiam fortuna nostra, quod in eam necessitatem devenimus. Nam sive antiquorum temporum rationem, sive ipsius juris Romani dotes respicias, melius consuli Europae gentibus non potuit. Quod ut planum fiat, liceat rem paulo altius repetere.

Saeculo duodecimo, cum Italiae civitates florere libertate atque opibus inciperent, exseruit se ibi ingenerata hominibus sciendi cupido, et ingenii excolendi studium. Quod cum artes et doctrinae, quibus vere aleretur, aliae deessent, nondum scilicet renatis Graecis et Latinis literis, applicuit se ad jus civile; cujus praeterea propter crescentem humanitatem, auctumque in dies hominum commercium, magnum desiderium esse debebat (3). Non autem ad jura Germanica aut barbarorum leges se applicuit, quae exstabant permultae,

sed ad juris Romani fontes, maxime vero ad libros Digestorum. Hisce conservatis, primum schola Bononiensis floruit, et cum jus Romanum inde ad omnes fere Europae nationes propagaretur, fundata est ejus studio eruditior quae hodie est jurisprudentia. Namque erat in illis libris satis doctrinae, quod discendi studiosos adverteret atque teneret; et facile recipiebatur, propter illa quae supererant passim juris Romani antiquioris vestigia, quibus illa Bononiensis doctrina erat per communem stirpem cognata. Utraque autem sive virtute sive opportunitate Germanicae leges carebant. Deinde, postquam Literae Graecae et Latinae instauratae essent, et per artem typographicam earum studium propagatum, cum procedente tempore hujus arctissima conjunctio cum juris Romani studio intelligeretur, dici non potest quanta fuerit et quam brevi tempore, jurisprudentiae progressio. Quodsi jus Romanum in scholis et in foro tum non regnasset, sed aliud quodlibet, cum veterum humanitate nulla cognatione conjunctum, jurisprudentia tanto auxilio tantaque commendatione apud viros doctos destituta, non facile ad eum dignitatis gradum pervenisset, quem nunc obtinet. Testimonio sunt jura Germanica cum jure Romano comparata. In utroque genere par fuit fere cognoscendi necessitas, sed dispares dotes quibus placeret: alterum igitur egregie excultum est, alterum non potuit in tantae perfectionis societatem venire.

Sed praeter istas opportunitates, A. A. est quod nobis de recepto jure Romano gratulemur, propter propriam, quae in eo est, praestantiam. Decantata quidem res est et obsoleta juris

Romani laudes celebrare, ut putidum sit paene hodie scriptis aut dicendo ejus quidquam proferre : sed tamen haec, non minus quam alia quaelibet, diversum in utramque partem judicium subiit. Quocirca ne officii oratoris immemor vestra abutar audiendi voluntate, ea solum interponam, A. A. quae inter fautores juris Romani et acerrimos ejus detrectatores (4) aeque constant. Est illud principiis, sive regulis primis quibus partes ejus regendae sunt, simplex. Est item constans sive consentiens sibi. Denique habet, ut nullum aliud jus civile, sermonem proprium, elegantem et copiosum, rebus autem egregie accommodatum. Quae quidem dotes ejus explicari, rerumque testimoniis evinci, tantum possunt in scholis aut apud peritos; sed fuit haec principum virorum cum ex literatoribus tum ex philosophis de jure Romano sententia. Nihil se vidisse dicebat LEIBNIZIUS (5), quod vi ac subtilitate magis accederet ad mathematicorum laudem; et VALLA (6) vir Latina elegantia clarus : « Nescis inquit, (de Pandectis locutus) » utrum diligentiane an gravitas, prudentia an aequitas, scien- » tia rerum an orationis dignitas praestet, et majori laude digna » esse videatur... Tantumque (ita perorat) ego deberi puto illis » libris, quantum illis olim qui Capitolium ab armis Gallorum » atque insidiis defenderunt : per quos factum est, ut non modo » tota urbs non amitteretur, verum etiam ut tota restitui » posset. Itaque per quotidianam lectionem Digestorum, et » semper aliqua ex parte incolumis atque in honore fuit » lingua Romana, et brevi suam dignitatem atque amplitu- » dinem recuperabit ». Nunquam inventa est ullius vatis conjectura felicior. Eloquentia Latina et Romana jurisprudentia

diu sibi invicem auxilio fuere, ut dubites utra utri plus profuerit. Sed nolite credere, A. A. dotes quas illi sua laude extulerunt, ad literatores aut ad juris peritos tantum pertinere : pertinent ad communem omnium civium utilitatem : cum sine juris simplicitate et constantia, sine verborum dictionumque concinnitate, aequabilis ac justa juris administratio sperari haudquaquam possit.

Fuerunt igitur patrum et majorum memoria causae gravissimae nostro populo, cur Jurisprudentia Romana summo studio coleretur, et vero fuerunt ad nostra usque tempora, cum novi legum Codices de jure civili scriberentur. Videamus numquid ex illis hoc novo instituto detractum sit aut immutatum.

Inter cetera beneficia, quae a juris civilis renovatione sperabantur, hoc erat, ut ejus cum doctrina tum usus forensis in posterum mirum in modum allevaretur. Quam opinionem, ut ex falso judicio de natura juris civilis ortam, brevi redarguit temporum quae secuta sunt experientia. Scilicet ita vulgo judicabatur, ac si jure Romano abrogato, ejus scientia jam non magnopere desideraretur. Sed huic judicio duplex error ansam dedisse videtur : alter quo jus Romanum novo jure condito abrogatum putabatur universum; alter quo abrogati juris peritia minus necessaria credebatur. De utroque dicere me jubent orationis argumentum, et juris Romani studium cui deditus sum. Abrogatum esse aiunt jus antiquum; et sane, cum in patria nostra instituerentur legum Codices, idem hoc ipsae leges loquebantur. Sed hujus

sanctionis alia vis est apud peritos, quam quae ei vulgo attribuitur. Abrogatum est jus antiquum? Vero : sed non est sublatum. Legis vicem in foro non obtinet, sed reliqua ejus utilitas forensis manet. Non potest judicis sententia, quae juri Romano adversatur, rescindi *Cassationis*, quae vocatur, remedio : sed potest de ea, ut de male judicato, provocari ad superius Tribunal ut reformetur; quod quotidie litigantes facere et perficere videmus, eaque via frequentius quam illa iniri solet. Est enim juris veteris usus frequens, cum in legibus novis ad singulas causas accommodandis, tum in judicandis illis causis quae legibus novis non continentur, quippe quae jure antiquo non minus nunc quam antea reguntur. Nam, quod omnibus qui ad forum accedunt notum est, illa de quibus nova lege plane non statuitur, extra abrogationem sunt et jure veteri judicanda. Sunt autem non pauca. Evolvat aliquis rerum judicatarum annales : nae ille innumerabiles causas ex eo genere deprehendet, quae hoc vicennio in Francia judicatae sunt, legibus aut moribus antiquis, maxime vero jure Romano. Verum est alia causa cur haec sublata dici non possint. Codicis nostri argumentum respicite; percurrite memoria singulos ejus locos. Pauca tantum in eo inveniuntur nova a legislatoribus excogitata; plura ex legislatione intermedia retenta, quae fuit reip. temporibus; sed longe plurima a jure veteri, tum Francico, tum Canonico, tum Romano desumpta sunt. Haec igitur ab antiquitate repetenda sunt, et Historiae ope explananda, quod et fontes illi, et ipsa juris loca, singulae fere regulae atque sententiae, antiquae originis sunt, ac procedente aetate, per varias tem-

porum opportunitates, in novissimam quae nunc est conditionem informata : quae proinde penitus perspici non potest, nisi tota illa causarum et effectuum series perspiciatur. Hoc autem neglecto, juris quidem administratio aliqua haberi poterit; justa et perfecta juris scientia non poterit.

Neque est quod miremur, A. A. ita ut dixi contigisse. Noluerunt illi quorum legibus regimur, jura nova constituere, ut ipsi professi sunt. Nimirum magnifice existimabant de jure Romano; in more patrio multa videbant esse bona et utilia; leges regias Hospitalii, Colberti, Aguessavii prudentia scriptas admirabantur, easque ad verba fere in suas leges transtulerunt. Cur ita? Vitae usu et experiundo illa rite aestimare didicerant. Imo vero hoc affirmem : si legislatores nostri, jure veteri repudiato, novum quoddam, a se excogitatum, aut ex fontibus ductum extraneis, instituere voluissent : esset tamen nescio quod vinculum, quo hoc jus novissimum et inusitatum cum proximo et superiori, et cum tota omnino antiquitate conjungeretur; esset tamen juris abrogati cognoscendi necessitas. Quod, age, paucis etiam explicemus.

Homines reguntur tempore : non tantum praesenti, sed etiam praeterito. Aliorum auxilio quisque instituitur et educatur, aliorum exemplo informatur. Opiniones inde trahit ac mores, quae similiter educatores et auctores illi debuerunt superioribus, qui non magis sua habuerunt ex sese deprompta, sed monstrata omnia, docta, tradita. Est quidem

in homine phantasia et fingendi facultas, quae si non esset artibus sane et inventis utilissimis careremus : sed ab initio inventa et excogitata perpauca sunt, si cum traditis et adscitis quae quisque habet conferantur; imo artium ac disciplinarum historia docemur, quam parum in rebus inventis vel nobilissimis novi sit, quam vero multum jam cognitum, et ab aliis quasi praeparatum. Hoc autem cum in tota vita apparet humana, tum maxime cernitur in jure civili. Ad jus Romanum animum advertite A. A. Hoc aliud erat decemvirorum quam Ciceronis tempore; aliud aurea Papiniani aetate quam ferreo aevo Justiniani. At quam pauca in illo unius hominis sunt aut unius aetatis! Quam lente et occulte ad diversitatem illam perventum est! Multa moribus sensim immutatis mutata sunt, nonnulla legibus; sed leges ipsae temporibus et opportunitatibus et opinionibus popularibus exstiterunt. Quid igitur? Non hominum est jus civile, sed temporum. Non fit, sed nascitur. Non excogitatur, sed sensim sensimque informatur. Habet infantiam suam et adolescentiam, habet maturitatem et senectam. Oritur, increscit, viget, labitur, extinguitur una cum ipso populo. Sed facite A. A. jus civile ab uno aut paucis constituendum esse nova quadam philosophica ratione; (ut nostra memoria subinde tentatum est) (7) facite parum aut nihil esse in illis legum architectis usitati juris peritiae. Nonne tamen hoc ipsum eorum opus, si quod perficeretur, auctorum tempus redoleret? Nonne imbutum esset opinionibus illius aetatis? Haec autem aetas, etiamsi maxime differre videretur a proxima aut superiori aetate, nonne tamen cum ea conjuncta esset, et quasi connexa vinculo quodam, atque

ita cum remotissima, quoad respici potest, antiquitate? Esset vero A. A. Nam illa ipsa disciplina quae omnium maxime ab istiusmodi contagione immunis esse deberet, idem experta est. Philosophiam dico, cujus nobile officium est rationis et intelligentiae leges interpretari, ad easque res humanas tanquam ad obrussam exigere : haec igitur, sive philosophandi viam, sive ipsa sectarum placita respicias, temporis vim et efficacitatem passa est. Unde jam dudum inter omnes constat qui ejus rei peritiam profitentur, neminem in philosophia mediocriter versari posse, nisi adhibeat ad ejus studium historiam philosophiae. Quodsi jurisprudentiae philosophicae annales replicamus, celebratissimorum occurrunt exempla doctorum, qui dum Rectae Rationis dictata tradere sibi viderentur, revera aetatis suae opiniones ac patriae morem explicarunt. Quem scopulum ne ille quidem vitavit, qui jurisprudentiae naturalis princeps ac stator dicitur, immortalis noster Grotius. Neque vitare eum quisquam potest. Est enim lex ista a Deo posita rebus mortalium, non solum quae sunt, sed etiam iis quae intelliguntur, sapientiae humanae atque doctrinae : nascuntur, crescunt, pereunt. In his etiam praesens aetas parturit futuram, ut ipsa proles est praeteriti temporis. Quare ut praesens populorum conditio rite judicari non potest sine praeteritae cognitione, ita non magis leges et jura populorum, utut nova et inusitata ratione scripta et composita, sciri tenerique posse existimemus, sine historico juris superioris studio.

Atqui vel ita se res haberet A. A. si legibus jus civile qua-

tecumque tandem contineretur totum, sed totum legibus comprehendi non potest; et haec est praecipua causa, cur semper necessaria sit futura juris abrogati peritia. Fuit sane tempus cum et hoc crederetur, quo tempore palam audita vox est : homo non homini pareto sed legibus. At haec sententia ut in multis fallit, ita nulla in re fallacior inventa est quam in jure civili. Nam ex legum verbis res et causas civium judicari posse (8), non citius dictum est quam repudiatum; neque adhuc tentatus est ullus legum Codex ad eam normam compositus. Nimirum menti etiam et sententiae legis multa relinquenda sunt. Verum enim vero mente legis omnia comprehendi posse si creditur, id pariter falsum est, cum saepissime eveniat, ut de re judicanda ne tacitam quidem legislatoris voluntatem expiscari possis, quod omnia providere non humanae est sed divinae providentiae; et quo modo quis provideat, de quo ne cogitari quidem potuit? Hoc igitur in Francia quatuorviri legibus scribendis, et quotquot apud alias gentes idem saxum volverunt, ingenue professi sunt (9). « Praeter legum sacrarium, (dixerunt illi) exsistere » solet apud humaniores populos, copia, et quasi thesaurus » quidam, regularum, definitionum, sententiarum, disputa» tionum atque doctrinae, quae cum usu fori et litigantium » studiis quotidie expurgantur, tum amplificantur scientia » parta : hoc autem omni tempore habitum est verum ac » justum scriptarum legum supplementum ». Ita quidem fundatores juris Francici; et sane supplementum illud, sive jus naturale appelletur, sive usus fori, sive doctrina, sive interpretatio, sive alio quovis nomine, ubivis gentium occurrit

et frequentatur. Sed ejus naturam, quaeso, attendite A. A. Non est novum duntaxat, ipso legum tempore inchoatum, post perficiendum, sed veteri eo continuo opus est. Vetus illud jam multis ante saeculis conceptum, et quasi temporis partu editum, judices amplexantur; idem juxta novas leges custodiunt, iisque continuo ita adhibent, ut paulatim cum eis coalescat, et quasi ad unum corpus naturali incremento conformetur. Hoc autem prohiberi non potest, interdicto judicibus usu juris veteris, quia jus primo quoque die reddendum est, et, ut sapientissimo consilio nostris legibus praecipitur, cives dimittere injudicatos non licet. Neque est quod aliter facere velint, propter naturalem, qui in homine est, justitiae et aequitatis amorem. Nemo enim est qui cum utrumvis sine incommodo ejus liceat, non malit in rebus dubiis regulas, exempla, et auctoritatem aliorum sequi, quam de salute civium suorum suo arbitratu statuere, aut rationibus judicare recens excogitatis, novitate sua hominis arbitrio quam juri similioribus. Quocirca praeter ipsas novas leges temporis colore, ut diximus, quasi tinctas et imbutas, habemus etiam supplementum legum copiosissimum, sua natura antiquum, quod proinde sine plurima vetustatis cognitione cognosci non potest.

Praestitisse mihi videor A. A. quod spopondi : abrogati juris scientiam necessariam esse demonstravi, et, nisi fallor, nova hinc accessit commendatio jurisprudentiae Romanae, post renovationem juris nostri non minus quam antea colendae. Hinc autem, ut spero, judicari jam poterit vis et efficacia illius renovationis in jurisprudentiam : id quod

pariter spectandum putavi cum hoc dicendi argumentum deligerem.

Inest quidem in illa juris renovatione aliquid quod nocere possit, sed hoc caveri potest aut vinci severo ac diligenti juris studio. Scilicet jurisprudentiae veteris utilitas, quam pro facultate mea celebrare studui, utut magna, neque ab omnibus jam cernitur, nec perinde atque antea, cum jure Romano adhuc viveretur, persentiscitur. Nam per id tempus singulae fere causae ipsis juris Romani locis, nunc Ulpiani et Pauli verbis, nunc rescripto Diocletiani, nunc denique Justiniani edicto aliquo judicandae erant; et haec illane sententia praeferenda esset, interpretationis ope requirebatur. Si quis haereret, si locus difficilior videretur, vel per se, vel cum alio loco conciliandus, ad Voetium aut Pothierium ibatur, aut si quis esset paulo liberalius institutus, ad Cujacium. Ita vero et judex et patronus in media versabantur antiquitate, quam si ignorarent, libros illos rite tractare non poterant, et culpam poena premebat comes. At non similiter se res habet hodie, post quam jus civile legum Codicibus constitui coeptum est. Nolo denuo de vanis opinionibus dicere quas jam attigi, quibus olim Codices illi jus civile novum ac totum complecti putabantur: quippe quam perversitatem tempus aut rerum usus expulit. Sed quamvis sanior sententia nunc obtineat, multum tamen abest ut in jure interpretando, aut in causis judicandis, semper ad fontes et jura antiquiora adiri soleat. Non enim jure Romano nunc judicatur ut in veterum libris exstat, sed ut receptum est

ac transfusum in novum Codicem, in quo interpretando, si praesentem modo necessitatem spectas, sola voluntas legislatorum attendi potest. At legislatores illi non semper jus Romanum receperunt verum ac germanum, sed tale quale ipsis videbatur, aut (quod minime eis vitio verti debet) quale novissime tempore et usu immutatum exstabat. Jam vero nemo non videt, si forenses homines cognita qualicumque legislatoris voluntate adquiescant; si hac opportunitate se a fontibus abduci patiantur, atque ita jus parum intellectum, aut recentiori tempore informatum, pro vero Romano amplectantur, necesse esse ut jurisprudentia cum universa tum Romana detrimentum capiat. Quo enim modo principia juris et partium consensionem poterit aliquis perspicere, si earum originem ac veram naturam ignoret : jus Romanum pro Germanico, Germanicum pro Romano habens, aut nescio cujus interpretis commentum Papiniani aut Pauli responsum esse opinatus? Quo vero modo poterit illud commodum obtineri, quod legislatores nostri sperarunt, ut usu fori, interpretatione, doctrina, jus quotidie in meliorem procederet conditionem? Nimirum qui omnem jurisprudentiam ex legibus et re judicata repetunt, aut repetendam putant, non habebunt quo leges ipsas emendent, ornent, suppleant : sed arbitraria quaeque et commentitia proferent, et legibus non optimis jurisprudentiam adjungent vitiosiorem (10).

Nec tamen ideo haec dico A A. quo antiqua Quiritium jura maxime persequenda putem, neque conjunctionem juris Romani

attendendam cum jure novissimo. Imo oratio mea hucusque alio pertinuit. Sed ut illa conjunctio appareat, utque verus inde fructus percipiatur, tractari oportet jus Romanum universum. Singula loca pervestiganda sunt, et indefesso studio persequenda, a principio et quasi radice ad novissimam eorum explicationem, per omnes aetates ac vicissitudines, dum ad eam illorum formam pervenias, qua in Codice apparent. Neque id solum faciendum existimo in iis locis, quae e jure Romano in nova jura transierunt, sed in ceteris omnibus, sive Germanicae sint, sive Canonicae originis; sive ex legibus patriis, sive ex tribunalium jurisdictione oriunda. Sed tamen in juris Romani locis maxime, quod hoc omnium maxime artificiose perfectum est et doctrina excultum, ideoque magis comparatum ad liberalioris jurisprudentiae sensum in juris studiosis excitandum. Habet non solum necessitatis, sed etiam dignitatis et praestantiae commendationem; praeterea, ut jam significare coepi, ad nos pertinet historica opportunitate : non tantum ut jura Germanica cum moribus nostris cohaerens, quasi pars vitae quam vivunt populi; sed etiam quod conjunctum est cum humanitate populorum, tamquam vita eorum culta et erudita. Namque ingenii cultum et humanitatem suam gentes recentiores magna ex parte Graecis et Latinis literis debuerunt. In veteris aevi monumentis eruendis, explicandis, imitandis, optima quaeque ingenia, per universam fere Europam, jam quatuor saecula occupata fuerunt, et multum abest ut omnis fructus, qui inde redire possit, nunc perceptus sit aut consumtus. Inter illa autem monumenta, si ad populi Romani spectas reliquias, principem quemdam locum obtinent reliquiae

jurisprudentiae Romanae; quae proinde cum humanitate recentioris aevi conjuncta esse videtur, et ad eruditum quemque atque liberaliter institutum hominem pertinere. Nimirum si non modo populorum fata cognoscenda sunt, sed etiam mores eorum, et vita, ut ita dicam, interna cujusque populi: profecto jurisprudentia Romana viros literatos advertere debet, in qua ingenium Romanorum hominum se maxime aperuit, et quasi spirare videtur. Neque defuerunt ulla aetate literatores, qui id aut scriptis suis, aut studiorum ratione testificarentur. Testimonio sunt Politianus, Valla, Lipsius, Viglius, Grotius, Salmasius, Ernestius, Ruhnkenius, aliique antiquitatis cultores, qui omnes juris Romani studium cum literis humanioribus sic conjunctum habuerunt, ut alterum genus ex altero egregie locupletarent. Et ne de nostris institutis tacere videar: praescriptum est et constitutum decreto regio, Literarum et Philosophiae Doctorem jurisprudentiae Romanae expertem esse non debere. Haec igitur jurisprudentia, cum universa Europaeorum humanitate quasi cognata, nobis thesaurus sit, de quo illi Franciae legislatores dixerunt, unde copia suppetat et quasi ex perenni fonte manet, qua leges et jura constituta perpetuo amplificentur. Hujus ope etiam effici poterit, magis quam alia quavis, quod semper prudentissimis legislatoribus propositum fuit ubi juris novi Codex componeretur, ut post decennium aliudve annorum spatium, tota illa legislatio retractetur, et quasi repetita Codicis praelectio edatur. Nam si quae ejus, ut humani operis, vitia: lacunae, discidia, redundantiae, inconcinnitates, usu fori deteguntur et quotidiana exercitatione,

id casu magis quam ratione fieri dicendum est; alia autem vitia, quod causa et opportunitas detegendi nondum fuerit, latent. Neque illa temporis experientia quae vitia monstravit, eadem continuo remedia indicare solet, aut medicinam adhibere vulneri. Haec praeter usum et exercitationem, artis peritiam requirit, rationem, copiam doctrinae, jurisprudentiam : quae nulla salubrior comparari poterit, quam si ex uberrimo fonte hauriatur jurisprudentiae Romanae. Haec enim et copia simul et elegantia omnes reliquos juris fontes quos habemus facile vincit. Multum quidem, fateor, in his rebus tribui solet jurisprudentiae naturali sive philosophico juris studio, quasi scilicet inde jus civile cujusque populi, quoties in foro vitaeve negotiis judicandis deficiat, facile suppleri possit : sed fatentur etiam illius disciplinae studiosissimi, eam expectationi de se conceptae nondum satisfecisse (11); nec pauci nunc doctores inveniuntur, qui hanc juris naturalis utilitatem negent (12). Altera utilitas de qua dixi, quae ad emendationem juris constituti pertinet, cum jus naturale velut facem praeferat legum latoribus, sane haec merito celebratur; sed amplior obtinebitur, mea sententia, si magis quam adhuc factum est, philosophicum juris studium conjungatur cum jurisprudentia historica. Qua de re ne inauspicato aut nullo auctore dicere videar, eum vobis citabo, cujus et auctoritas ad persuadendum, et exemplum ad imitandum, in his rebus plurimum valere solet, Ciceronem. Quis igitur veterum ac recentiorum philosophiam majori aut pietate coluit, aut studio dilexit, aut doctrina ornavit? Quis unquam philosophorum magnificentius, et plane

divinius, de illa artium omnium procreatrice, deque natura humana, de justitia ad quam nos homines natos esse dicit, dicere atque scribere solebat? Et tamen eundem illum, cum ad rem ventum est, cum de republica constituenda agitur, et de legibus scribendis : quam normam putatis eum sequi A. A.? Quibus ex fontibus jus publicum et privatum repetere? Non placitum philosophicum sequitur, aut nescio quod summum principium; sed ita proponit (13) : omnium rerumpublicarum esse optimam veterem Romanam. Non ex libris philosophorum jura constituenda repetit, sed ex Numae legibus, et duodecim, et more majorum. Quid ita? Intellexisse mihi videtur vir summus, non certum quoddam ac definitum systema juris (14) aut a Ratione praescribi, aut ex naturae humanae contemplatione cognosci; sed juri ac legibus populorum posse inde aliis magis aliis minus commendationis accedere; alia instituta aliasque leges magis aliis ad concordiam ac diuturnitatem civitatis conducere; praeterea ingenium et mores cujusque populi attendenda esse : quae omnia non argutiis ac spinis dialecticorum, non definitionibus ac demonstrationibus, sed diligenti hominum observatione, usu rerum, historia populorum, temporum experientia parantur. Hanc esse veram civilem prudentiam intellexit, quae civitatem universam ab origine ad praesentem ejus conditionem complectatur, cives autem civili virtute imbuat, id est patriae amore. Neque putavit, quae est aliorum temporum superbia, unius ingenio aut una hominis vita, recte constitui posse sive jus civile sive rempublicam. Nam cum Catone sentiens, cujus verba nobis repraesentavit (15), « neque ullum ingenium tan-

» tum exstitisse dicebat, ut quem res nulla fugeret quisquam » aliquando fuisset; neque cuncta ingenia conlata in unum » tantum posse uno tempore providere, ut omnia complec» terentur, sine rerum usu ac vetustate ». Ita Cicero, cujus sententiam cum velim recentiorum exemplis augere, multitudine me magis quam inopia impediri sentio. Sed ex multis non invenio quem hoc tempore et in hac concione potius nominem, quam Montesquivium. Hunc enim plerique omnes nunc norunt, legunt, diligunt. Montesquivius igitur in legibus judicandis non humanam naturam respexit, quae cogitatur, sed quae est; non hominem solivagum, sed cum aliis hominibus conjunctum; non societatem generis humani, quae nunquam fuit, sed civitates ac populos, ut historiae ope et vitae usu cognoscuntur. Non solum jura et officia proposuit, sed etiam viam et rationem designare studuit, qua homines ad eorum obsequium et observantiam adduci possint. Cumque alii quae esse deberent unice persequerentur, ille, quod cum difficilius tum longe fructuosius est, simul ea quae fieri possent considerabat (16). Hoc modo philosophiam cum historia conjungebat in juris publici causis exponendis. Quod si tantundem in jure privato non praestitit, facultate deficiens an voluntate : id bonarum artium causa vehementer dolendum est. Utinam exoriatur aliquando vir aeque doctus et ingeniosus qui illam jacentem partem suscipiat! multos hic amatores jurisprudentiae conciliabit.



HAEC fere sunt, amplissimi Curatores, quae de jurisprudentia Romana nunc tractanda sentio: unde vos judicabitis quanti provinciam illustrem faciam, qua vobis rogantibus, optimi Regis beneficio, ornatus sum. Scilicet juris Romani institutio temporis necessitate, rerum utilitate, amplitudine ac dignitate disciplinae una in paucis est gravissima. Nec me commoveri diffiteor quoties subeat illius gravitatis recordatio. Sed simul consolatur ac plane me reficit cogitatio voluptatis, quae ex illis studiis percipi potest, mihi jam pridem degustatae, nunc vero plenius fruendae. Itaque lubens fateor exoptatissimum mihi contigisse, cum huic florentissimae Academiae ea lege qua ei adscriptus sum, adscriberer; vobisque, qui me tanto honore non indignum habuistis, gratias debeo et ago maximas. Non equidem polliceor me perfecti doctoris officium explere posse; sed hoc spondeo vobis, ut illud nunc religiose suscipio, ita semper quantum in me erit aut natura aut studio quaesitum facultatis, tantum alacri animo impendam, ne vestram de me exspectationem fefellisse videar: potius voluntatem qua bonas literas earumque cultores amplexamini, qua me quoque suscipere voluistis, summa ope mihi conservare studebo. Multum mihi videbor consecutus, si vobis, doctrina non minus quam honoris et natalium splendore excellentibus, institutionis meae ac studiorum rationem probare potuero. Ceterum quidquid hujus

Academiae causa deliberaveritis, id ita prospere cedat, ut illa vobis maxime curantibus, cum discentium numero tum studiorum proventu, crevisse videatur.

Vobis in primis me commendatum volo, clarissimi Professores, quibuscum tanta officiorum, consilii, studiorum communione me conjunctum esse intelligo. Namque si omnes artes quae ad humanitatem pertinent quasi cognatione quadam inter se continentur, profecto magna intercedere debet inter cultores earum conjunctio. Praeterea vero nobis est idem omnibus propositum hujus Academiae amplificandae, idem hujus lectissimae juventutis erudiendae officium. Quae ut gravissima sunt, ita conjuncta industria obtineri posse videntur. Equidem multa, quibus solus impar sim, vestro adjutum consilio vestraque prudentia me assecuturum spero. Quare obsecro vos, clarissimi viri, ita vobis persuadete, familiari nostra et amica consuetudine nihil mihi in hac statione optabilius futurum.

Vos item insalutatos dimittere nolim, commilitones, qui jurisprudentiae operam navantes me studiorum comitem, et ad illam quasi viae ducem, habebitis. Vestra in primis causa jurisprudentiam Romanam commendare volui, quo intelligeretis eam ad vitae utilitatem ac dignitatem pariter valere. Sed etiam causas et rationes vobis explicare studui illius legis qua vestra studia reguntur, quae literas humaniores, historiam, ac philosophiam jurisprudentiae adhibere praecipit. Fateor, via vobis designata non ita brevis est ac facilis,

imo multae vos offendent asperitates; sed cogitate Dei providentia sic constitutum esse, ut nihil magnum aut praeclarum parvo labore paretur. Praeterea nostis ex labore feliciter superato quantum delectationis redire soleat. Quodsi brevioris tramitis quidam se duces profitentur vobis, ab illa via regia ac legitima diversi : animadvertite quaeso quid illi ipsi prosequantur. Pro vera doctrina doctrinae speciem ac vanam gloriolam sequuntur, ad vulgi quidem opinionem probabilem, sed cujus fructus brevis est, cum et derideantur continuo a peritioribus, et a posteritate contemnantur. Vos igitur, ingenui juvenes, abduci vos ne patiamini, sed simulatae veram praeoptetis prudentiam, quae civibus vestris auxilio, foro ornatui, reipublicae decori ac praesidio sit futura, vobisque ipsis ad bene beateque vivendum proficiat.

ADNOTATIO.



Pag. 6 : *a jureconsultis nobilissimis*.... (1) Hugonem intelligo, Rehbergium, Savignium, Schraderum, aliosque quorum sententias recensuit Savignius : *Zeitschrift für geschichtliche Rechtswissenschaft.* Vol. III. *Stimmen für und wider neue Gesetzbücher.*

Pag. 7 : *in vetustissimis cujusque monumentis*.... (2) Vestigia illa mirabili industria conquisivit SAVIGNY. *Geschichte des Römischen Rechts im Mittelalter.* Vol. II. Append. II. et III.

Pag. 8 : *magnum desiderium esse debebat*... (3) Vid. idem Vol. III. cap. 18.

Pag. 10 : *et acerrimos ejus detrectatores*.... (4) Vid. THIBAUT. *Civilistische Abhandlungen. Heidelb.* 1814. Disput. 19. « *Denn alles, was man den classischen Juristen zugestehn kann und musz, ist eine hohe Consequenz, und eine ungemeine Leichtigkeit in der Anwendung allgemeiner positiver Rechtssätze auf die feinsten verwickeltsten Einzelnheiten* ».... Et paulo post : *was eigentlich für Deutschland vom Römischen Recht unbedingten Werth hat, sind nur die, ich mögte sagen, exegetischen Theile desselben...... Die grosse masse... enthält einen Schatz geistvoller und scharfsinniger Erörterungen.*

Ibid. *Leibnizius*.... (5) Ep. t. I. Ep. 119.

Ibid. *Valla*.... (6) Elegantiarum Latinae linguae. Lib. III. Praef.

Pag. 14 : *ut nostra memoria subinde tentatum est*.... (7) In Francia anno 1793, ut leges de jure civili tum rogatae declarant, quanquam nec illae Conventui satis novae videbantur. Tum constitutum dicitur, ut leges scriberentur a philosophis.

Pag. 16 : *ex legum verbis res et causas civium judicari posse....* (8) Credebat hoc Fridericus II. Borussiae rex, quum novis legibus scriptis, et vetita earum interpretatione, se consecuturum sperabat, ut nec jureconsulti essent in regno suo, nec jurisprudentia. Vid. *Cabinetsordre von* 1780, apud Savigny, in libro citato nota 10.

Ibid. *professi sunt....* (9) *Discours préliminaire du Projet de Code civil.*

Pag. 19 : *jurisprudentiam adjungent vitiosiorem....* (10) Conferantur quae monuerunt judices Montispessulani : *Analyse des Observations des Tribunaux etc. Paris.* 1802. pag. 8. De effectu novarum legum in Francia in jurisprudentiam Romanam legatur SAVIGNY. *Vom Beruf unserer Zeit für Gesetzgebung. Heidelb.* 1814. pag. 138. item *Coup-d'œil sur l'Histoire de la Science du Droit en France par M.* JOURDAN. *Thémis.* T. II. L. 6.

Pag. 22 : *exspectationi de se conceptae nondum satisfecisse....* (11) Est prope communis eorum querela qui Jus Naturae aliquod typis mandarunt de erroribus decessorum suorum. Vid. SCHMALZ. *Handbuch der Rechtsphilosophie. Halle.* 1807. Praef. SCHULZE. *Leitfaden der Entwickelung der philosophischen Prinzipiën des bürgerlichen und peinlichen Rechts. Götting.* 1813. Praef.

Ibid. *qui hanc juris naturalis utilitatem negent...* (12) Inter quos FRIES. *Neue Kritik der Vernunft. Heidelb.* 1807. Vol. III. pag. 215 : « *Man machte sich mit diesem » Naturrecht die falschen Hoffnungen, darin eine Art Gesetzgebung aus blosser » Vernunft zu besitzen, ohne willkührliche Satzungen der Regierung, welches selbst » für den einzelnen Fall Gesetze vorschriebe, in einem Vorschlag zum Kriminal- » gesetzbuch, zum Eherecht, Erbrecht u. s. w. und dann meinte man diesem Ge- » setzbuche werde zwar von jedem andern derogirt, wenn aber kein anderes vorhanden » sey, so gelte es doch... Nach richtiger Ansicht aber will die philosophische Rechts- » lehre.. nicht dem Richter zum Nothbehelf seiner Entscheidungen dienen, wo ihn » das positive Gesetz verlässt, sondern resignirend auf jede unmittelbare Anwendung » im Leben stellt sie nur die Idee ihres Gesetzes fest als Regel für den Gesetzge- » ber selbst.* »

Pag. 23 : *ita proponit.* (13) Vid. CICERO *de Legg.* II. 10. *de Rep.* I. 46. « Sic enim » decerno, sic sentio, sic adfirmo, nullam omnium rerum publicarum aut constitutione, » aut discriptione, aut disciplina conferendam esse cum ea quam patres nostri nobis ac- » ceptam jam inde a majoribus reliquerunt. »

Ibid. *non certum quoddam ac definitum systema*... (14) Idem defendit WENCK. *Oratio de juris naturae in studio juris civilis usu nunc sine ratione spreto. Lipsiae* 1821. « Nullius, inquit, instituti imaginem quae esse debeat jus naturae proponit... Nam si » qualia esse debeant civitatum instituta non affirmare sed negare jure naturae discimus »...

Ibid. *cujus verba nobis repraesentavit*... (15) *De Republ.* II. 1.

Pag. 24 : *quae fieri possent considerabat*... (16) Vid. laudatio Montesquivii auctore d'Alembert.

X.

JOSEPHI HENRICI REYPENS

COMMENTATIO

AD QUAESTIONEM MEDICAM.

JOSEPHI HENRICI REYPENS

LIERANI

IN ACADEMIA LOVANIENSI MEDICINAE CANDIDATI

COMMENTATIO

AD QUAESTIONEM AB ORDINE MEDICORUM PROPOSITAM :

Quaeritur ut exponantur variae doctorum virorum sententiae de origine et natura Calli ossium; deinde observatis in homine, nec minus experimentis in animalibus institutis, probabilior inferatur theoria ossium fractorum coalitus.

QUAE PRAEMIO ORNATA EST ANNO MDCCCXXIII.

Non est fingendum, nec excogitandum, sed inveniendum quid natura faciat aut ferat.

Baco, De dignitate et augmento Scientiarum.

PROOEMIUM.

Quo facilius accuratiusque posita quaestio solvi possit, quod dicendum jam in tres sectiones dividendum mihi videtur, scilicet; in prima, virorum doctorum sententias, de origine et natura calli ossium in medium proferam; in altera, quae in homine observata sunt; in tertia vero, quaedam in animalibus experimenta proponam. Quibus praemissis calli descriptionem ceu theoriam pro viribus exponere conabor. Atque haec tantum praemonita velim. Quod reliquum est, oro obtestorque viros experientissimos quibus de hac commenta-

tione judicandum erit, benevolo indulgentique animo eam excipiant et nonnihil ætati nostrae concedant, illius Ovidiani haud immemores,

Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas (1).

(1) Ovid. Epist. ex Pont. III. 4. 79.



SECTIO PRIMA.

VARIAE DOCTORUM VIRORUM SENTENTIAE DE NATURA CALLI.

JAM ab artis Medicae primordiis notum erat ossa diffissa fractaque naturae beneficio confervere posse atque ferruminari. Imo etiam prisca aetate non defuere medici qui animum in consideratione miri hujus phaenomeni occupatum habuerunt, suamque de mechanismo ejus, (fas sit hoc utendi vocabulo,) posuere sententiam; idque adeo exploratum est ut vix aliud, in doctrina medica detur argumentum quod physiologorum et chirurgorum industriam atque ingenium aeque incitaverit ac natura et origo calli. *Callus*, gr. *πωρον*, belg. *lett.* gal. *cal.* Sic audit ratio coalitus ossium solutorum.

Verum quam disparia inter se, quam dissimilia vel a celeb. in arte viris de callo proposita sunt! Et hoc minime mirum est; quippe quod ad theoriae formationem, alii experimentis haud perite institutis, alii praejudiciis, caeteri analogia ducti fuerint.

Quantacunque sit haec opinionum varietas et discrepantia, singulis tamen aliquid inest veri, et commode ad quinque praecipuas referri posse videntur nimirum; 1°, sunt qui ossa, succo e fractis affluenti sensim densato atque indurato, coalescere contendunt. 2°, Alii sanguinem inter fracta effusum in-

dolem organismi, ad ossificationem usque paulatim induere putant. 3°, Quidam originem calli repetunt a periosteo et membrana medullari tumefactis et in osseam substantiam conversis. 4°, Arbitrantur alii papillulas carneas e fractis exsurgere, easque adhaesiones cum invicem contrahere eadem ratione qua fit agglutinatio partium mollium solutarum. 5°, Denique alii, plurimis opinionibus simul compositis, theoriam quasi mixtam ceu eclecticam protulerunt. Is pariter est ordo quem in hac commentatione in animo mihi est observare.

§ I.

Callus materiae glutinosae fractis interpositae tribuitur.

Omnium antiquissima, de coalitu ossium solutorum opinio repetitur a succo quodam glutinoso qui varia nomina sortitus est; *succum* nempe *ossificum*, *glutinosum*, *gelatum*, *lympham coagulabilem* etc. Gluten hoc e fibris, vasisque ossis fracti disruptis exsudans, fractaque alluens, per varios consistentiae gradus in osseam substantiam usque transmutatur.

Fautores autem hujus sententiae nonnihil inter se dissentiebant. Alii enim arbitrabantur succum ossificum in os mutatum fragmentis ossis ita continuum esse, ut vera conjunctio atque continuatio fibrarum ossearum exinde exsurgerent. Alii contendebant fracta glutine eadem ratione ferruminari, qua duo fragmenta lignea, icthyocollae ope, glutinantur. Hic contiguitas tantum, non autem continuitas haberi potest.

Caeteri denique putabant lympham coagulabilem circum fracta effluentem sensim indurari, novumque suboriri corpus cujus adminiculo vetus os firmum teneretur.

HIPPOCRATES, eximius ille naturae investigator, callum materiae glutinosae fractis interpositae tribuebat, citra ullam fractorum continuitatem, ut ex seq. palam est : « *quale enim unitis lignis gluten est, tale ossibus fractis callum* (1) ».

Ex GALENI sententia, callus conflatur de eo quod ex ossis alimento superabundat. Haec materies praesertim ad oras fractorum, sed et ad partes vicinas effunditur, ibique inspissatum, concrescit, et ab osse cui haeret, mutatur, ipsique similis redditur. Quum fluidum hoc ad coagulationem maxime idoneum sit, deligatio fracturarum initio paululum stricta esse debet, ut impediatur quominus humor ille ossificus ad alios, quam par est, locos effluat (2).

Ulterius, ni fallor, GALENUM haud latebat partes intimas ossis participes fieri mutationum, quae in ferruminatione ossium fractorum locum habent. Quamvis ossa, ob siccitatem naturalem, carnium modo, coalescere nequeant, nec os ossi uniri possit, accidit tamen aliquando, ait, ut fractura consolidetur, quin gluten requiratur : talem coalitum recipit os fractum, quod abunde molle est, ut in puerulis conspicitur.

(1) HIPPOCR. de fracturis.

(2) GALEN. Comment. in HIPPOCR. lib.

AVICENNA fractorum oras confervere et in unum duci substantia mox cartilaginea, dein ossea existimavit.

THEOPH. PARACELSUS ejusdem fuit sententiae quam GALENUS.

FABRICIUS ab AQUAPENDENTE opinabatur callum oriri ex alimento ossis superfluo, quod in fractorum superficie, roris ad instar, irrorat, eorumque oras cum invicem agglutinat.

A. PARAEUS sententiam veterum amplectens sic ait : Quoniam ob siccitam innatam, et duritiem ossa sibi jungi et coire nequeunt, requiritur ut materia ad fractorum fines inspissata eos conglutinet, et concrescat; quae non solummodo ex ossis superfluo alimento sed et a medulla sortitur.

FABRICIUS HILDANUS persuasum habuit tantam esse potentiam succi ossifici, ut, in ipsis fracturis comminutis, fragmenta vel minutula eo conjungi, et callo circumscribi possint.

OTHO WREEDE mucilaginem ex osse fracto exsudantem vidisse refert.

MOYLE sudorem glutinosum in vulneribus e diploe manantem; DESPORTES, Gelatum e cellulis osseis prodiens propriis oculis perspexisse affirmant.

Nec finem dicendi facerem si cunctos hujus sententiae fautores enumerare vellem. Omnes enim medici eam perinde ut certam atque experimentis confirmatam habuerunt, ad me-

dium circiter usque 18um saeculum, quo tempore Cl. DUHAMEL (1) eam confutare sategit, et ab alia causa quam a glutine callum repetendum esse contendit. Tunc temporis, plurimi nova, de callo, experimenta instituerunt, variosque libellos theoriam DUHAMELII impugnandi causa, ediderunt, quos inter praeprimis eminet Cl. ALB. AB HALLER, DETHLEEF, BOEHMER, etc.

Cel. HALLER obscura multa reperiens circa formationem calli, novamque DUHAMELII opinionem secum reputans, rursus ad experimenta recurrendum esse censuit; quem ad finem Dr. DETHLEEF mandavit ut oves rubia tinctoria nutriret, earumque ossa subinde frangenda attente examinaret. Quod quidem minutatim actum est (2). Inde Cl. ille physiologus theoriam DUHAMELII vanam falsamque declarare haud dubitavit. Etenim, ut ait, quoniam animalium rubia tinctoria pastorum, nil nisi ossa mutentur, et cartilagines, periosteum, tendines et ligamenta naturalem albedinem conservant, sequi deberet, si ferruminatio ossium ex periosteo dependeat, hac radice callum rubro colore tingi nequire. Quum autem experientia contrarium evictum esset, Cl. HALLER sequentem amplexus est sententiam (3).

Callus quo ossa soluta confervent, initio succo gelatinoso, qui ab extremis ossis fracti, potissimum vero a medulla ex-

(1) *Mém. de l'Ac. Roy. des Sciences, an.* 1739, 1741, 1743. — *Journal de Médecine*, 1757, *etc.*

(2) DETHLEEF, Dissertat. ossium calli generat. exhibens.

(3) HALLER, Elem. Physiol. tom. VIII. sect. IV. — Opera Anatomica, tom. II.

stillat, constare videtur; qui succus viscidus, alcoole coagulabilis, totum fracturae ambitum alluit, sensim sensimque inspissatur, gelatinae tremulae consistentiam adipiscitur, et paulatim in cartilaginem abit, quod plerumque nono accidit die; quo tempore puncta rubra evolvuntur, dein vasa coloris rubri apprehenduntur, quae sunt terrestris substantiae organa secretoria; nuclei ossei parvi subnascuntur qui mox numero augentur et grandescunt, in unum confluunt, tandemque totum occupant callum.

Calli substantia, initio spongiosa, qualis in extremis ossium longorum reperitur, sensim durior evadit, et demum marmoream duritiem acquirit.

Quum idem omnino sentierit Cl. DETHLEEF, opinionem ejus silentio praetermittere non abs re mihi videtur.

Eodem fere tempore, BOEHMER experimenta fere eadem LIPSIAE, quam DETHLEEF, GOTTINGAE, instituit, eorumque exitus multum inter se congruebant. BOEHMER (1) duas edidit dissertationes in quibus, relatis jam propriis inquisitionibus, doctrinam DUHAMELII totis viribus refellere conatus est. Ex ejus sententia, callus originem ducit a succo peculiari e fractis exsudato, neque minus a fibrarum ossearum extensione. Coalitus ossium organicus est, inquit, hoc tamen non perpetuum

(1) BOEHMER, De ossium callo. 1748. — Dissert. exhibens ossium calli generationem et naturam per fracta in animalibus rubiae radice pastis ossa demonstratam. Goett. 1753.

est, interdum enim callus adeo coactus et concretus apparet ut in eo organica fabrica plane deficere videatur.

Neque ad praxim momento caruit theoria qua callus succo fractis interposito adscriptus est; inde enim propinata fuerunt alimenta et medicamenta mucilaginosa, gelatinosa, farinacea, terrea etc. quia callus ex eis constat; et in organismo partes particulas sibi similes attrahunt. Hinc haud alienum chirurgorum quibusdam visum fuit, ad promovendum calli incrementum, osteocollae dracmam dimidiam aegrotis identidem ingerere. Sic etiam, ne succus ossificus debitos extra limites defflueret, et exinde callus nimium supercresceret, commendatum est fascias paulo arctius constringere, easque subinde spiritu vini rectificatissimi imbuere (1).

§ II.

Callus effuso sanguini organicam indolem sensim induenti adscribitur.

Sub variis experimentis, quae in vivis animalibus instituebantur, ANT. DE HEYDE sequentia perpetuo observaverat phenomena : mox post fracturam, cruentus humor e vasis affluit, jam, aliquot post horas, in laminam extensam, laciniatam, fractis interpositam, concretus; 3° die, lamina haec vix mutata fractis firmius adhaeret; 4°, tenuior jam et solidior, sin-

(1) Conf. LAUR. HEISTERI Institut. chirurg. par. 1. pag. 184.

gulis exinde diebus pallidior sensim atque durior evadit; 20°, cartilaginea, et serius tandem ossea fieri solet. Hinc DE HEYDE calli generationem sanguini effuso et organicam indolem induenti tribuere posse existimavit (1).

JOHN HUNTER sanguinem e vasis ruptis inter et circum fracta effusum coagulari, in eoque sensim, organica actione, vasa exoriri censuit. Ex sententia cel. hujus physiologi, extremitates ossis fracti et fragmenta ejus inflammatione sic dicta adhaesiva corripiuntur; unde absorptio, ut ait, interstitialis, extremorum ossis remollitio, figura eorum conica, sanguinis, ex parte, resorptio, alterius vero partis in cartilagineam et serius in osseam substantiam permutatio (2).

HERMAN MACDONALD DUHAMELIUM erroris arguit eo quod ablato periosteo, calli generatio nullatenus impediatur. Caeterum opinio ejus cum superiori plurimum convenit (3).

HUNTERI sententia, experimentis J. HOWSHIPII, variis in punctis, gravioribus quidem, confirmata est. Quantum hic sentit (4), sanguis ad quantitatem quae, pro gradu contusionis etc. variat, in partes fractorum vicinas, et praesertim in textum

(1) Anatome Mytuli, auct. ANT. DE HEYDE. Amstelod. 1684

(2) *Traité sur le sang et l'inflammation; traduit de l'anglais par Dubar.*

(3) MACDONALD, Dissertatio inauguralis de callo. Edimb. 1799.

(4) *Experiments and observations on the union of fractured bones, medico-chirurgical transactions, vol. IX. part.* 1.

periostei atque in ductum medullarem effunditur. Praecipuae mutationes ad calli generationem necessariae in eo locum habent, nimirum; color sanguinis, quo periosteum imbuitur, sensim evanescit; haec membrana firmior evadit, et speciem cartilaginis gradatim induit. Osseae tandem moleculae prius in eo et in membrana medullari deponuntur quam in fractorum in terstitiis, unde fit ut partes fracturae centrales serius quam superficiales osseae evadant.

Haec opinio non multum abludit a theoria quam, eodem fere tempore, in medium attulerunt Cl. DUPUYTREN et BRESCHET (1).

§ III.

Callus ossificationi periostei atque membranae medullaris vindicatur.

Circa medium circiter saeculum ultimum, DUHAMEL DU MONCEAU, unus e primariis aetates suae botanicis, analogia ductus quae membranam ossa investientem inter et arboris corticem intercedit, novam de calli generatione opinionem excogitavit, eamque variis experimentis in animalibus diligenter institutis confirmare et adversaria evertere conatus est (2).

(1) *Dictionnaire de Médecine en* 18 *vol. tome IV.*

(2) L. C.

Jam nullum e fractis exsudare succum ad eorum coadunationem contendit, et quidem in primo commentario (1) nonnulla retulit exempla fracturarum, plures post annos consolidatarum, in quibus spatium fractis intermedium inveniebatur. Serius tamen, et in aliis commentationibus (2), perfectam interdum inter fracta unionem admisit; verum ad hujus phaenomeni explicationem, atque ad eorum quae objiciebantur, confutationem, pro certo dixit substantiam fractis intermediam originem ducere a periosteo et membrana medullari quae in longitudinem excreta, sese inter ossea fragmenta immittebant, ibique sensim coalita, varias ad integram ossificationem usque patiebantur mutationes.

Paucis, calli generatio ossificationi periostei et membranae medullaris a DUHAMEL, ex toto, adscripta est, ejusque sententia sequentibus acervatim continetur : accedente fractura, fibrae molles atque extensiles periostei tumidae fiunt, longiores et cum invicem glutinantur; vasa ejus majorem acquirunt evolutionem; periosteum cartilagineam adipiscitur densitatem, et in eo, ab interioribus ad exteriora, inoriuntur ossei nuclei qui tandem speciem annuli aut circuli efficiunt in quo fractorum extrema quasi sepulta jacent. Similis interdum mutatio in membrana medullari occurrit, adeo ut annulus ille osseus nunc unicus fit, nunc duplex. Quoad rationem qua fit intermedia coadunatio, jam dictum est.

(1) Ann. 1739.
(2) Ann. 1741. 1743.

Ex praedictis manifesto patet Cl. DUHAMEL in observatis non perstitisse ad ultimas usque calli generationis periodos. Id praecipue in causa fuit cur theoria ejus, licet ab observatis sat exactis deprompta, brevi obsoleverit. Nemo tamen inficias ire potest eam haud levem doctrinae attulisse utilitatem, quippe quod ingeniosae disquisitiones vir. Cel. AB HALLER, DETHLEEF, BORDENAVII, TROJA etc. ab ea promotae fuerint; atque adeo non abs re mihi visum est in ea diutius forte commorari, si quidem non secus ac fundamentum theoriae hodiernae respici debeat.

Inter plurimos sententiae DUHAMELII fautores, ardentiori studio atque ante alios nituit Acad. FOUGEROUX qui duas et quidem haud despiciendas commentationes, praesertim adversus allata Cl. AB HALLER et DETHLEEF in lucem edidit (1). Cel. quoque MORGAGNI partes ejus amplexus est quin tamen observata DETHLEEFII negligenda ei viderentur (2).

Florebat in Gallia BORDENAVII theoria de qua inferius, cum Ill. DUPUYTREN eam experimentis in animalibus institutis explorare, ut ita dicam, et confirmare tentans, nihil fere cum ea consentaneum, plurima vero ei contraria reperit. Alia etiam observavit prodire phaenomena, in ossium fractorum coalitu prout fractura simplex est, ut aiunt, aut vulnere complicata.

(1) *Mémoires sur les os pour servir de réponse aux objections proposées contre le sentiment de* DUHAMEL. *Paris* 1760.

(2) De sedibus et causis morborum.

Ex sententia DUPUYTRENII, theoria DUHAMELII primis fracturae simplicis consolidationis temporibus congruit; sed ossificatio periostei et membranae medullaris aliquantisper tantum perstat, ideoque considerari debet tanquam labor praeparatorius, vel instrumentum quoddam transitorium quo natura utitur, ut interea temporis ferruminatio fragmentorum perfecta fieri possit.

Sub hac periodo, periosteum, textus cellularis, et aliquando musculi speciem osseae vaginae referunt in qua extremitates ossis includuntur : eodem tempore exsurgit in ductu medullari osseum obturamentum; quae omnia a 30ᵃ ad 40ᵃᵐ diem in adultis caeterum sanis eveniunt. Primus hic labor constituit id quod callus *primarius*, gall. *cal provisoire* audit. Progrediente tempore, nova haec ossa sensim absorbentur, et plane evanescunt; restituitur ductus medullaris denique fractorum ferruminatio adeo solidatur ut, accedente causa fracturae, solutio continui potius in alio loco quam in antea fracto contingat. Callus tunc vocatur *definitivus* gall. *cal définitif.* Ex his facile est intellectu quantum et qualiter inter se differant theoria DUHAMELII et DUPUYTRENII.

Spatium temporis quo fractorum coalitus in totum absolvitur a DUPUYTRENIO in quinque periodos dividitur, scilicet 1ᵃ ab ipso fracturae momento ad 8ᵃᵐ aut 10ᵃᵐ diem abit. Tum observantur osseorum fragmentorum deviatio, periostei, membranae medullaris, textus cellulosi et quandoque musculorum dilaceratio, sanguis effusus in ductum medullarem, textum

cellulosum atque inter ipsa fracta; deinde partes molles inflammatione corripiuntur; tela cellularis densitatem majorem acquirit; musculi quoque istius modificationis participes periosteo firmiter adhaerent, et cum eo quasi confunduntur; id tandem ad sequelam inflammationis longe crassius densiusque evadit. Eadem praeter propter phaenomena in medulla subeunt; initio sanguine infiltrata, deinde inflammatione correpta sensim indurescit; color ejus antea subruber in cinereum mutatur. Membrana ejus gelatina imbibitur sicque ademta densitate ejus, suam quidem symbolam ad ductus medullaris obturationem confert.

Viscosa quaedam substantia, loco sanguinis inter fracta coagulati, substituitur; nonnunquam inter fractorum asperitates apparet materies rubro-tomentosa cujus natura plane latet et quae cum medulla vicinisque partibus continuatur. Id phaenomenon haud absonum est theoriae qua calli generatio carneis papillulis adscribitur. Duplex haec substantia modo seorsim, modo simul nihil ad callum *primitivum*, summopere autem ad *definitivum* prodest.

2.ª Periodus initium habet 10.ª aut 12ª die, atque ad 20.ªm aut 25ªm progreditur. Hoc temporis articulo, partes molles induratae, et praesertim textus cellularis intermuscularis atque musculi pristinum recuperant statum; tela vero cellularis fracturae circumjacens majorem assequitur duritiem; hinc oritur tumor, in dies, magis ac magis limitatus, a vicinis partibus valde distinctus cui nomen *tumoris calli* impositum est.

Hic tumor, in quo fracta inclusa latent, duobus constat textibus quorum unus exterior coloris albicantis, consistentiae homogeneae, fibro-cartilagini similis, fibris longitudinalibus ossis axi parallelis formatus, parietes tumoris constituens per strata dispositus est quae, quo altius sita sunt, eo firmius ossi adhaerent. Alter vero textus, centrum occupans, inter fracta excrescit, coloris nunc albidi, nunc rosei aut violacei, indole viscosa seu gelatinosa, interdum tomentosa praeditus est. Gelatina qua membranam medullarem, in majori minorive spatio infiltratam esse diximus, medullae locum obtinet, et, per varios consistentiae gradus, ad osseam duritiem sensim accedit.

Tertia periodus a 20° et 25° die ad 30um 40um imo interdum ad 60um excurrit. Per id tempus, tumor in substantiam cartilaginis similem, posthaec osseam gradatim ab interioribus ad exteriora convertitur. Solutio continui periostei amplius distingui non potest; textus fractis interjacens aspectum et indolem spongiosae ossium substantiae induit. Tum si tumor calli a fractis sejungatur, haec ab invicem facillime dilabuntur.

Incipit jam quarta periodus a 50°, 60° die ad quinque aut sex menses abiens. Calli tumor in dies magis ac magis induratur. Ductus medullaris oblitteratio subsidet; textus fractis intermedius antea sat crassus, nunc lineam crassitudine vix exsuperat.

Quinta et ultima periodus a 5. 6. mensibus ad 11 et ultra progreditur. Tumor sensim pedetentimque minuiscens, plane

tandem dissipatur; singula organa in pristinum statum restituta sunt; osseum ductus medullaris obturamentum minus densum sensim evadit, donec ex toto evanescat; denique medulla, ejusque membrana, normales recuperant aspectum et proprietates. Ex attenta phaenomenorum hactenus expositorum consideratione, facile est colligere cur tot exstiterunt, *de callo*, theoriae. Quamvis sententia DUPUYTRENII, juxta ordinem nobis propositum, alio quam ad hunc § referenda sit, eam tamen, ob magnam ejus cum DUHAMELIANA similitudinem, hic exponere magis congruum duximus.

Nunc procul dubio supervacaneum inaneque videretur, opiniones Vir. Clar. WILLERMÉ, BRESCHET (1), BÉCLARD (2) et CRUVEILHIER (3) referre, utpote cum sententia DUPUYTRENII valde consentientes. Dictu sufficiat varia ab eis instituta fuisse experimenta quibus theoriam Cl. Professoris Parisiensis, paucis tamen levibusque immutatis, magis magisque confirmaverunt.

§ IV.

Callus adscissitur papillulis carneis, vel aliae substantiae organicae fractis adnatae.

Quam ardua, quam difficilis sit ars observandi, signum est haud dubium subsequens opinio! BORDENAVIUS (4) chirur-

(1) *Recherches historiques et expérimentales sur la formation du cal. Paris* 1819.
(2) *Additions à l'Anatomie générale de* BICHAT.
(3) *Essai sur l'Anatomie pathologique.*
(4) *Mémoires de* FOUGEROUX jam cit.

gus Parisiensis, osseam vaginam in callo fracturae jam veteris, neque ad exteriora ossis neque ad interiora, inveniens, theoriam DUHAMELII respuere haud dubitavit, atque generationem calli ab alia causa repetendam esse censuit. En ejus sententia!

Fractorum finibus adnascuntur papillulae carneae, cellulosae, vesiculosae, quae, magis ac magis increscentes, ad se invicem accedunt, cum invicem glutinantur, salibus terreis imbuuntur, sicque serius in osseam mutantur substantiam. Nec desunt physiologi, et quidem maxima auctoritate, qui eamdem fere secuti sunt doctrinam, ut puta CALLISEN, AND. BONN, JOHN BELL, BICHAT, SCARPA, LÉVEILLÉ, RICHERAND, SAMUEL COOPER, aliique recentiores. CALLISEN eodem naturae artificio callum ossibus fractis, ac cicatricem partibus mollibus fieri contendit, transudatione nempe, conglutinatione, ac vasorum elongatione quam sequitur materiae terrestris depositio. Ubi os quoddam fractum est, inquit, utraque fracti extremitas, ex soluta substantia organica, humorem sanguinolentum effundit, qui confluens, sensim in membranae, primo glutinosae, deinde coriaceae, speciem coiens, nunquam in veram cartilaginem degenerat; vasa simul ab utraque parte prolongantur, gluten congerunt, materiem terrestrem lente accumulant, a quibus nova generatur substantia osseae aemula, aliquando cortice levi forato, et meditullio pumicoso praedita, saepius tota solida, duritie naturalem ossium firmitatem superans, minus distincte tamen, laminata licet omnino organica (1).

(1) CALLISEN, Systema chirurgiae hodiernae. Hafniae 1815.

Cel. ANDREAE BONN sententia nullatenus abludit a priori; in homine, ait, natura calli imperfecti membranacea est; quae nascens, carnem repraesentat, dein crescens, corium refert; quod in veram cartilaginem non degenerat: verum ubi induratur, naturam membranaceam cum ossea commutat, dum os corio succedit (1).

Quantum sentit Ill. JOHN BELL, sanatio fractorum sequenti modo absolvitur (2). Jam arteriae non solum distenduntur atque elongantur, verum etiam numerus earum augescit; glutinosam inter fracta effundunt materiem quae organicam induit indolem. Ante calli perfectionem, haec materies mollis est, fibrosa, et magna vitalitate donata. Si gradus vitalitatis, ad secretionem calcariae substantiae necessarius, minor sit quam decet, callus imperfecte aut nullo modo generatur, ut videre est in scorbuticis aliisque gravi morbo laborantibus. Si os quodcumque in loco antea fracto rursus frangatur, consolidatio citius fit eo quod, ait BELL, callus majori vasorum numero scateat.

Una est eademque opinio SAMUELIS COOPERS (3). XAV. BICHAT calli generationem in tres distinguit periodos (4) scilicet in prima, exsurgunt papillulae carneae, gal. *bourgeons charnus*,

(1) Tabulae ossium morbosorum. Amstel. 1785.
(2) *The principles of surgery. Edimburg.* 1801.
(3) *Dictionnary of pract. surgery. London.* 1818.
(4) *Anatomie générale. Système osseux.*

in altera, transformantur in cartilaginem; in 3ª cartilago in os mutatur. In prima periodo, callus cellulosus est et vascularis; in secunda, telae cellulari et vasis additur gelatina; in ultima tandem accedit insuper substantia calcaria. Si, causa qualicumque, papillularum inter se impediatur coalitus, perstat solutio continui; unde pseudo-articuli ceu articuli praeter naturales. Vix memorandae videntur opiniones Vir. Cl. SCARPA et LEVEILLÉ ob maximam earum cum priori similitudinem. Obiter tamen animadvertamus Cel. Prof. Ticinensem hanc adtulisse theoriam, ut pote naturam reticularem et cellusosam ossium apprime demonstraret.

Ne verbositatis arguar, finem hic faciam; prius tamen adnotandum videtur errorem doctrinae, in hoc § expositae, oriri, 1° ex analogia quae partes molles inter et duras existet; 2° e phaenomenis quae in fracturis vulnere complicatis occurrunt; 3° tandem e phaenomenis quae in extremitate ossium ad sequelam amputationis observantur.

§ V.

Opiniones mixtae.

Ill. CAMPER opiniones primo adspectu plane sibi invicem repugnantes conciliare tentavit. Ex ejus sententia, soluta duplici callo confervent; alius nempe exterior e gelatina subter periostium effusa, et gradatim spissescente, conflatus est; alter vero internus ab intimis substantiae compactae lamellis ex-

surgit; lamellae istae ad invicem accedentes ad interiora contendunt, donec cavitas medullaris prorsus obturata sit (1).

Ad eumdem ordinem referenda est sententia Cl. LOUISII Regiae Acad. Chir. Paris. a Secretis. Si fracta, inquit (2), in mutuo contactu retineantur, membrana medullaris succis osseis imbuitur; corpus ossis infra et supra fracturam intumescit, et consolidatio eodem modo absolvitur ac in partibus mollibus solutis et per primam intentionem unitis; scilicet fracta immediate glutinata videntur succis nutritiis quorum quantitas ea est qua nec osculatio vasorum impediatur, nec intercipiatur fractorum continuitas.

In ipso fracturae loco, substantia ossis compacta in spongiosam immutatur, atque ita rarefit, ut intercludatur ductus medullaris; haec substantia accidentalis effectus est effusionis et concretionis succorum osseorum in areolis membranae medullaris. Idem phaenomenon oritur in periosteo quod hocce modo, ad exteriora, ad fractorum sustentaculum inservit. Callus autem inorganicus est, et informem refert massam in qua nec duplex ossis substantia, nec reticulum vasculosum distingui possunt.

MICHAEL TROJA (3), quid natura ad calli generationem moliatur, experimentis compertum habuit; nimirum, ossis ex-

(1) *Essays and Observat. physic. and litter. of Edimburg.* 1771.

(2) *Mémoires de l'Académie royale de Chirurgie, an.* 1773.

(3) De novorum ossium regeneratione exper. Paris. 1775.

tremitates, primis a fractura diebus, gelatinae strato imbutas esse observavit; et serius hoc gelatinae stratum primo in cartilagineam, postea in osseam substantiam immutatum. Vidit et ductum medullarem osseo obturamento interclusum; neque eum praeteriit intumescentia periostei ejusque in textum osseum fracta ambientem permutatio; quae omnia cum experimentis recentiorum apprime congruunt.

Denique Cl. BOYER naturam eodem artificio ad ossium solutorum consolidationem atque ad partium mollium sanationem uti arbitratur : ossa primum tumefacta, deinde remollita salibus terreis imbuuntur. Periosteum atque membrana medullaris plurimum quidem ad calli generationem conferunt; verisimile autem non videtur papillulas carneas e fractis enasci. Nusquam enim nisi in ossibus denudatis apparent, nec absque suppuratione exoriri possunt; verum haec suppuratio impedimentum procul dubio calli generationi adferret. Praeterea istae papillae neque sub experimentis, neque in dissectione cadaverum fracturis denatorum unquam in conspectum prodierunt (1).

Hactenus variae, pro viribus nostris, expositae sunt sententiae virorum doctorum circa generationem calli. Plurimae sunt numero, atque inter se magis minusque dissimiles; forsan autem varietas earum ab eo repeti debet quod inquisitiones nec in omnibus, nec in iisdem consolidationis fracturarum temporibus, institutae fuerint.

(1) *Traité des Maladies chirurgicales, tome III. Par.* 1814.

SECTIO II.

OBSERVATA QUAEDAM CIRCA OSSIUM COALITUM IN HOMINE.

QUUM rara sint apud auctores, atque insuper longe minoris ad theoriam struendam momenti, quam experimenta in animalibus instituta, quaedam tantum, et quidem programmati quaestionis satisficiendi causa, hic referre satis mihi videtur.

OBS. I. Fractura femoris. Mors sexto a fractura mense (1). Os fractum est in puncto unionis colli cum diaphysi. Fragmenta duabus circiter lineis ab invicem distant; aliud tamen e regione alterius situm est. Tumor osseus inaequalis rugas ad partem externam atque ad fractorum oras referens. A textu reticulari surgebant osseae productiones quae a singulis extremitatibus enatae cum invicem uniebantur.

Obs. II. Fractura tibiae; mors aegri die a fractura 55ª et 40ª circiter hora post immoderatum pastum G. *indigestion* (2). Ad exteriora nulla cruris deformitas; ad trientem inferiorem tibiae, os paulo crassius quam in alio crure tactu percipitur;

(1) *Mémoires de* DUHAMEL L. C.

(2) *Journal universel des Sciences médicales*, n° 59, *Nov.* 1820,

sub dissectione partium mollium, nulla apparet laesio musculorum; strata profundiora naturalem exhibent aspectum, arctius vero tumori ossis adhaerent quam in aliis regionibus. Tumor ossis, G. *renflement*, rugosus est, quasi papillatus, totum ambitum ossis in spatio circiter sesquipollicis occupans, ad exteriora, scilicet ad ligamentum interosseum magis quam alibi prostans, valde solidus, haud flexibilis. Osse juxta longitudinem, et ab anterioribus ad posteriora serra desecto, occurrit, in limitibus trientis medii et inferioris, vestigium solutionis continui oblique ab inf. ad sup. et ab ant. ad post. excurrentis.

Perfecta est coaptatio. Textus reticularis, super et infra locum fractum, aspectum fere naturalem habet; attamen color ejus paulo magis roseus est quam in reliquo osse : ad libellam solutionis continui, in spatio sex circiter linearum, paulo densior est, et superficies ejus minus spongiosa videtur. Areolae substantia albida valde adhaerenti refertae sunt. Intervallum, dimidiae circiter lineae quod fractis interjacet, repletur materia albicanti, parum densa, quae cum substantia areolarum textus reticularis continuatur.

Periosteum naturales exhibet colorem, resistentiam et crassitudinem usque ad pollicem circiter unum supra locum fractum; tum paulo crassius et densius evadit, deinde osseum; sicque ad extremitatem fragmenti superioris accedit; tunc fracturam supergrediens substantiae albicanti intermediae respondit : ubi ad fragmentum inferius pervenit cum eo init adhaesiones, et dum crassitudo ejus sensim decrescit, ad pollicem

circiter unum infra locum fractum descendit ubi nativam recuperat indolem.

Punctum periostei crassissimum ad libellam fracturae respondet; ibi sesquilineo ad minimum crassitudinis adaequat; neque aspectum, neque colorem substantiae compactae ossis tibiae refert; sed spongiosum videtur, color ejus roseus est et illi ossium faetus vix dissimilis. Pars ossis, cui periosteum adhaeret, inaequalis est, rugosa, et juxta longitudinem sulcata. Serra desecto osse, fracta a lateribus quodam modo movebantur, et substantia intermedia in eo sensu deprimi poterat; periosteum autem horum motuum nequaquam erat particeps.

Obs. III. Fractura tibiae et fibulae cum fragmentorum ab invicem secessione. Mors die 79[a] ad sequelam erysipelatis phlegmonoidei (1).

Membrum inferius a pede ad clunem valde tumefactum; crus paulo brevius quam in statu naturali. Trans partes molles tumidas, atque ad unionem quartae partis inferioris cruris cum tertia, tumor deprehenditur sat magnus, densitatis osseae, tibia concretus. Nil simile in peroneo. Detractis integumentis et textu celluloso subcutaneo, occurrunt musculi leviter deviati tumore calli, cui strata profunda musculorum longi extensoris communis digitorum, flexoris proprii hallucis, et tibialis postici, adhuc cartilaginea, modo intimo adhaerent. Arteriae tibiales antica, postica et peronaea in tubos

(1) *Journ. univ. des Scienc. méd. L. C.*

osseos ex integro convertuntur, a fine popliteae usque ad originem arteriarum pedis.

Ablatis cunctis partibus mollibus, conspicuum fit incrementum voluminis tibiae quae, transversim et ad anteriora, latitudinem sesquipollicis exhibet.

Fracta ab invicem secedunt; extremum inferius fragmenti superioris, quinque circiter lineis cum dimidia ad exteriora; extremitas vero superior fragmenti inferioris quatuor circiter lineis introrsum prostat. Consolidatio absoluta non est, et callus facile flectitur. Substantia, cujus intermedio fracta uniuntur, structuram evidenter osseam, in maxima ambitus calli parte, et praesertim a latere interno prodit. En generalis calli dispositio.

Ad partem internam ossis tibiae, exsurgit e fragmento inferiori substantia in specie fibrosa, quae oblique ad exteriora ascendens, ad latus externum tibiae se confert.

Ad partem anteriorem et posteriorem calli, substantia, cujus intermedio fragmenta inter se nectuntur, recte ab uno ad alterum, absque ulla aberratione abit, atque in hoc sensu nulla adest eorum secessio.

Callus peronaei, ad exteriora magis aequalis est callo tibiae. Fragmenta coalescunt ope substantiae fibrosae in aliquot punctis et praesertim in parte externa jam ossificatae. Nullum est dubium quin haec substantia ipsum sistat periosteum.

Osse tibia, a parte interiori ad exteriorem et juxta longitudinem, serra desecto, conspicua fit fragmentorum secessio; ductus medullaris liber est et vacuus. Fragmenta ad certam distantiam se excipiunt, et modus eorum unionis varius occurrit, prout ad ambitum vel ad interiora, vel in spatio eis intermedio consideratur.

A latere interno fragmenti superioris, et a fractura usque ad duos pollices cum dimidio inferius, periosteum ossificatum est, lineam crassum, et sub sectione stridens. A latere interno fragmenti superioris, periosteum pariter ossificatum jam ad duos pollices infra extremum fragmenti tres circiter lineas crassum est. Cum autem, ob fragmentorum recessionem, periosteum ad eorum coalitum haud suffecisset, natura alio modo suppetias venerat: scilicet, ab apice periostei ossificati fragmenti inferioris, exsurgebat ossea lamina fere compacta, quae oblique periosteum jam ossificatum fragmenti superioris adiens, cum eo, in spatio pollicis circiter unius, confundebatur. Ad latera internum et posterius ossis, a ligamento interosseo usque ad partem anteriorem marginis interni binorum fragmentorum pervadebat, ibique cum substantia albicanti, fibrosa, margaritaceo colore praedita continuabatur.

Haec lamina ab inferiori fragmento ad superius porrecta, cavum inter se et fragmenta intercipiebat, membrana subrubra, renitenti investitum, et substantia coloris cinerei et densitatis callosae refertum. Fragmentis interjacebat substantia rosea, fibrosa, splendens, paululum extensilis atque, instar fibrocartilaginum intervertebralium, nonnullos motus admittens.

Peronaeum, decem circiter lineas inferius quam tibia, fractum est. Intrinsecus ferruminatio eodem modo locum habet ac in fractura tibiae, scilicet intermedio substantiae fibrosae. Periosteum faciei externae ossis, linea crassum, jam in os immutatur, verum in facie interna, crassius est et albidius quam in statu naturali nequaquam autem ossificatum. Fragmenta nonnihil ad invicem moveri possunt.

Binae observationes in eo potissimum momentosae videntur, quod alia exemplum fracturae citra fragmentorum recessionem, altera vero fracturam cum recessione praebeant: porro nullum fere intercedit discrimen inter utriusque callum; leves tantum prodeunt modificationes quae a varia fragmentorum positione, sub calli generatione pendent.



SECTIO III.

EXPERIMENTA IN ANIMALIBUS INSTITUTA.

PRIUSQUAM expositionem experimentorum aggredior quae in columbis et cuniculis, ut diligentissime potui, instituere conatus sum, L. B. praemonitum velim 1° nullam e columbis magis quam anniculam fuisse, et 2° cuniculos quatuor aut quinque, ad summum, hebdomades natos esse. In aetate provectioribus, quaecunque fuerint tentamina, ne ullum quidem ex sententia successit.

EXPER. I. *In columbis.* Primo die a fractura ossis femoris. Levis partium mollium ad exteriora sub tactum cadens intumescentia. Ecchymosis subcutanea; tela cellularis sanguine magis minus fluido late referta.

Musculi ad fracturae vicinium tumefacti, ruberrimi. Quo profundiora erant eorum strata, eo magis a statu normali recedebant et sanguine quasi obsessa.

In periosteo nulla, nudis oculis, apparebat mutatio, verum haec membrana, vitri ocularii ope, jam nonnihil intumefacta, circum fracta videbatur. Semel, cum fracta dimovissem, fluidum album et viscidum fracta inter et segmenta periostei

occurrit. Membrana medullaris rubrior, ecchymosi turgida; medullae portio vicina, in speciem, jam inflammata. Ductus medullaris diametros nequaquam imminuta.

Superficies fractorum nunc aspera, inaequalis, contusa, ab invicem valde recedens, nunc soluta tantum, plane absque secessione, sibique bene conveniens; in utroque casu, sanguis coagulatus fragmentis intercedebat, majori vero, in priori quam in altero, quantitate. Idem in cuniculis observatum est.

Exp. II. *In cuniculis*. Primo die a fractura femoris. In textu cellulari, eadem prorsus obvia erant atque in columbis. Interdum partes musculorum ab invicem sejunctas nactus sum, quae, mediante humore rubro, viscoso, fragmentorum osseorum inaequalitatibus adhaerebant. Istae solutiones continui oriri videntur ex eo quod partes musculorum fragmentis interpositae, sub membri post fracturam, motibus, dilacerentur. Quod ad caetera organa spectat, quidquid obvium venit, ab eis quae in columbis locum habent, nullo modo differebat.

Exp. III. Secunda die, in columbis observata. Tela cellularis cohaerentiam musculorum inter se et cum tegumentis adaugere videbatur. Color varius, hic dilutior, illic magis saturatus.

In musculis et periosteo, nulla notanda mutatio.

Textus medullaris, ad formam lobuli, extra canalem prominens. Color ejus magis obscurus, violaceus. Ductus medullaris nihil praebet adnotandum.

Superficies fractorum sanguine coagulato, qui levem cum medulla adhaesionem iniverat, obtecta. Sublato hoc sanguine, puncta rubra in locis depressis apparebant.

Exp. IV. Tertia die, in columbis observata.

Ecchymosis fere ex toto evanuerat; vasa capillaria quasi injecta rubrum exhibebant reticulum. Singula organa fractis confinia arctius invicem adhaerebant, telae cellularis ope cujus densitas insigni modo adaucta erat, et areolae sanguine nondum ex integro vacuae.

Fibrae musculares dilaceratae cum invicem uniebantur humore albo-subrubro, et paulo magis quam prima die viscoso. Periostei vasa capillaria sanguine rubro turgentia; firmiores hujus membranae cum osseis fragmentis adhaesiones. In ductu medullari, nihil notatione dignum videbatur. Sanguis inter fracta concretus, densior factus erat, et ejus, cum vicinis adhaerentia longe major. Sanguini concreto et fractis interjacebat fluidum parum copiosum, gelatinosum, subrubrum, glutinationem eorum magis ac magis confirmans.

Exp. V. Tertia die, in cuniculis observata.

Textus cellulosus paulo rubrior est quam in columbis. In textu musculari, ecchymosis quoad colorem et spatium sensim dilabens; vasa capillaria magis quam in aliis locis rubicunda; musculi cum invicem, et periosteo firmius adhaerentes. Periosteum ad extrema fractorum, et circa locum fractum crassius, rubicundius et mollius.

In textu et ductu medullari eadem ac in columbis.

Sanguis superficiei fractorum intermedius paulo magis concretus.

EXP. VI. Quarta die in columbis observata.

Nullum est dubium quin tela cellularis inflammatione laboret, et quidem haec in periosteo serpat. Textus cellulosus intermuscularis fibras musculares adeo inter se connectit ut ab invicem separari nequeant.

Musculi in unicam circa fracta massam quasi colliguntur, et stratum hujus internum colorem musculis proprium annectere jam incipit.

Neque minus conspicuae sunt mutationes in periosteo inortae; vitri ocularii ope facile internoscuntur vasa capillaria e textu celluloso ad periosteum excurrentia. Hanc membranam inter et ossis fragmenta, obvius est humor viscosus. Crassitudo periostei evidenter ademta est, praesertim ad oras solutionis continui ubi color ejus minus est intensus.

Quoad ductum medullarem, nil notatu dignum.

Substantia fractis intermedia, partibus adjacentibus arcte connexa, colorem rubrum, vividum, viscosamque et tomentosam induit indolem. Superficies fractorum, et praesertim asperitates quibus obsitae sunt, jam naturalem amittunt densitatem, et remollescere videntur.

EXP. VII. Quinta die, observata in columbis.

Textus cellularis intermuscularis a musculis discerni non potest; ille vero qui locum fractum immediate circumdat, structuram fere cartilagineam assumpsit.

Musculi, circum circa locum fractum, tumorem efficiunt cujus densitas nativam eorum densitatem longe superat. Hic tumor periosteo firme adhaeret; color ejus ad album accedit. Interea loci fibrae musculares adhucdum internoscuntur.

Humor periosteo et ossi interjacens etiamnum sub aspectum cadit. Periosteum ad libellam fractorum, cartilagineum factum est; hanc autem indolem, prout a fractis recedit, sensim amittit. Ingens vasorum rubrorum numerus in ejus textura, conspicilli idonei ope, observari potest. Laxae sunt ejus cum osse adhaesiones, ideoque facile solubiles, exceptis tamen fragmentorum marginibus, et punctis quibus annectitur tendo vel aponeurosis. Ad solutionis continui vicinium, medulla cum parietibus ductus medullaris tales iniit adhaesiones, ut exinde diameter canalis imminuta videatur.

Color substantiae fractis intermediae minus ruber est, et magis dilutus : adhaerentia ejus cum vicinis sensim ac sensim augescit. Asperitates fractorum remollitae evanescunt.

EXP. VIII. Quinta die, observata in cuniculis.

Quoad textum cellularem spectat, eadem quae in columbis. Fibrae musculares amplius distingui nequeunt. Tumor ab eis

formatus ad naturam cartilagineam paulo magis accedit quam in columbis. Periosteum, perinde ac in columbis.

Ductus medullaris angustior factus est punctis cartilagineis et substantia superius indicata.

Jam evanuerunt asperitates quae in superficie fractorum videbantur. Horum extrema remollita sunt. Substantia fractis intermedia paulo magis adhaerens.

Exp. IX. Sexta die, *in columbis.*

Textus cellularis et muscularis adeo inter se confunduntur, ut amplius ab invicem distingui non possint, tumor hinc ortus densior est, et periosteo firmius adhaeret; ab eo tamen sejungi potest. Periosteum fractis arctius adhaerescit; ad libellam solutionis continui, valde tumefactum est, crassius, et color ejus ad album accedit; prout a solutis recedit, imminuitur ejus crassitudo; color vero rubrior apparet.

Ductus medullaris ab ambitu ad centrum coarctatus. Medulla quo propior est a loco fracto, eo densior; color ejus, ob multa, quibus scatet, puncta cartilaginea, cinereus videtur. Haec numerosiora sunt a lateribus quam in centro canalis. Superficies fractorum nunc plana est, paululum rotunda, substantia intermedia haud multum immutata.

Exp. X. Septima die, *in columbis.*

Tumor adeo densus est ut, sine difficultate, cultro secar non possit; natura ejus maximam cum fibro-cartilagine re-

fert similitudinem; in centro tumoris, e regione fractorum, rubra puncta conspicua sunt : nunc tendines internosci possunt; color eorum obscurior est, fuscus, minus splendens.

Quoad periosteum, medullam, ductum, membranam medullarem et substantiam fractis intermediam, eadem fere, sed paulo magis insignia quam die proxima.

Exp. XI. 7ᵃ die, *in cuniculis.*

Eadem omnino observare mihi contigit in cuniculis atque in columbis; color tamen omnium partium minus floridus videbatur. Extrema fractorum valde remollita erant.

Exp. XII. 8ᵃ die, *in columbis.*

Tumor fusiformis aspectu nullo modo differt a fibro-cartilagine. Periosteum innumeris obsitum est granis cartilagineis quibus aliquot miscentur ossea quae vero rariora fiunt a limitibus ad centrum tumoris, adeo ut periosteum minus densum et solidum *hic* appareat. In systemate medullari, contrarium observatur; ossificatio a centro ad limites tumoris excurrit. Ductus medullaris simili substantia, nempe granis cartilagineis et osseis obturatur; sursum autem et deorsum, extremitates articulares versus, sensim amplior evadit. Medulla quoque prope locum obturatum ruberrima, prout ab eo recedit, pristinam ceu naturalem conditionem recuperat. Fractorum glutinatio tanta est, ut vi quadam opus sit ad ea ab invicem dimovenda.

Substantia fractis intermedia ad centrum tumoris minus rubet. Ad peripheriam tumoris, conspicuus est circulus ruber et notabiliter crassus, qui caeterum nil aliud est quam ambitus illius substantiae.

EXP. XIII. Nona die, *in columbis.*

In peristeo, grana cartilaginea augescunt numero.

Rubor substantiae fractis intermediae gradatim a circumductu ad centrum dilabitur. Substantia qua ductus medullaris obstructus est, ossea ex toto prodit.

Quoad medullam, nihil notatu dignum.

EXP. XIV. Nona die, *in cuniculis.*

Tantulum est discrimen, inter ea, quae in cuniculis et in columbis observavimus, ut experimenta in cuniculis silentio praeterire non abs re sit.

EXP. XV. Decima die, *in columbis.*

Tumor jam imminui videtur; strata musculorum superficialia, ad normalem statum redeunt; verum ossificatio periostei, et ductus medullaris obstructio magnos efficiunt progressus. Mutationes substantiae fractis intermediae notabiles non sunt.

EXP. XVI. 11ª die, *in columbis.*

Reipsa tumor imminutus est; musculi superficiales nativam recuperavere conditionem; strata altius sita structuram fibro-

sam et linearem exhibent. Initium habet limitatio intumescentiae cui nomen tumoris calli impositum est.

Substantia fractis interjacens adhucdum mollis est et rubra, fractis perquam adhaerens; vasa eam perreptantia cum illis partium ambientium continuari, idonei conspicilli adminiculo, patet.

EXP. XVII. 11ª die, *in cuniculis.*

Tumor magis circumscriptus est; musculi ab eo sejuncti sunt, exceptis tamen iis qui prope locum fractum inserebantur; haec organa pallidiora sunt quam in statu normali. De caeteris, eadem fere quae in columbis observata sunt.

EXP. XVIII. 12ª die, *in columbis.*

Omnes fere musculi in statu naturali restituuntur; aliquot fibrae albidiores callo tumoris adhuc adhaerent.

Intima calli structura, homogenea videtur, quamvis ex elementis omnino dissimilibus, utputa textu cellulari, fibris muscularibus, interdum aponeuroticis, tendineis et periosteo conflatus sit. Sulcus longitudinalis, in quem tendo lubrice movetur, sub visum cadit; in tumoris superficie, numerosa videntur puncta cartilaginea et quidem ossea; nulla vero in stratis interioribus.

Substantia fractis intermedia, mollis et coloris flavo-subrubri a fractis exsolvi non potest.

EXP. XIX. 13ª die, *in columbis.*

Numerus granorum cartilagineorum et osseorum plurimum adauctus ideoque tumor calli durior et solidior.

Substantia fractis interjacens durior, flava, punctis rubris quasi depicta. Reliqua sicut die priori.

EXP. XX. 13ª die, *in cuniculis.*

Nihil aliud notandum nisi quod substantia fractis intermedia longe albidior erat quam in columbis.

Eo processeram experimentorum, cum, heu! triginta et amplius columbae ad ea destinatae, una eademque nocte a mustela majori jugulatae fuerunt. Praeceps hic et inopinatus casus, fateor, animum infregit; sententiam mutavi atque a primo consilio plane discessi. Postea aliquando, quum observata mea cum illis Cl. BRESCHET conferrem, eaque fere eadem mihi viderentur, nullus dubitavi quin intermissum laborem repetere, atque theoriam generationis calli non tam ex nostris quam ex aliorum experimentis inferre possem.

Quibus praemissis, et humanitate Vir. Cl. qui, de nostra commentatione judices constituti sunt, iterum atque iterum exorata, in causam descendo, et totum generationis calli, in simplici fractura decursum in quatuor periodos divido nunc et deinceps exponendas.

PERIODUS PRIMA.

EXCURRIT AD DIEM DECIMAM ET QUINTAM IN CANIBUS; IN COLUMBIS VERO ET CUNICULIS CIRCITER AD DECIMAM ET SECUNDAM.

Textus cellularis. In ipso fracturae articulo, fieri non potest quin partes molles fractis plus minus confundantur; hinc dilaceratio textus cellularis et musculorum, effusio humorum, irritatio, intumescentia magis minus diffusa, ecchymosis plus minus spatiosa. Deinde sanguis effusus gradatim absorbetur; ecchymosis quoque sensim dilabitur. Vasa capillaria telae cellularis et periostei sanguine quasi obruuntur; cellulosa rubrior et crassior evadit, et partes circumjacentes nexu magis intimo agglutinat : prout ecchymosis evanescit, istae pallescunt, et subinflammatione, ut ita dicam, corripiuntur; tumor subsequens homogeneus apparet, et cartilagineam indolem in columbis praesertim et cuniculis induit.

Praecipue igitur mutationes telae cellularis sunt disruptio, effluxus sanguinis in ejus areolas, ecchymosis, serius inflammatio vel potius subinflammatio, densitas adaucta, unde arctior partium vicinarum inter se nexus.

Musculi. Interdum fit ut aliquot fibrae musculares, momento temporis quo fractura locum habet, sese inter fracta interponant, et exinde cum eis adhæsiones ineant, mediante humore glutinoso plus minus rubro, qui serius densior fit atque albidior.

Ecchymosis quae inter fibras musculares, sive ab ipsa fracturae causa, sive a fragmentorum motibus, post fracturam exoritur, per tempus magis minus diuturnum perstat; color fasciculorum musculosorum nunc rubrior est, nunc subflavus.

Fibrae musculares densiores factae sensim in colorem plus minus album migrantes, arctius inter se, et cum periosteo, textus cellularis ope, adhaerent; ita ut vix haec organa ab invicem discerni possint, quamvis ocularii vitri adminiculo vestigia linearia adhucdum internoscantur. Neque, et eamdem ob causam, partes musculorum dilaceratae, sub hujus periodi finem amplius observantur. Quo propius a loco fracto siti sunt fasciculi musculares, eo citius eveniunt istae commutationes.

Periosteum. Haud raro prope locum fractum, periosteum conteritur, et in segmina laceratur, praesertim in fracturis comminutis, vel ubi, post fracturam, ossa etiamnum moventur, os tum in spatio majori aut minori denudatur. Tertio vel quarto die evolvuntur, in his segmentis, vasa sanguinem rubrum deferentia; periosteum, crassius molliusque factum, ab osse facile separatur, exceptis tamen locis quibus inseruntur tendines et aponeuroses. Jam tum exigua quantitas humoris periosteum et os interjacet. Progrediente tempore, periosteum aequalitatibus fragmentorum valde adhaerescit, cum substantia fractis intermedia continuatur, albidum fit, et densitatem cartilagineam acquirit. Segmina aut fimbriae ejus, si quae initio occurrebant, nunc evanescunt.

Systema medullare. Ossis continuitas solvi non potest quin simul solvantur membrana medullaris, ejusque vasa sanguifera; unde non raro sanguis in ductum medullarem effunditur, medullam obruit, seriusque ansam inflammationi praebet; quarto circiter die, membrana medullaris inflammatur, densior fit, vel si fractis interposita fuerit, cum substantia fractis intermedia coït et continuatur.

Medulla arctas init adhaesiones cum interna superficie ossis, striis cinereis maculata, leucophoeum induit colorem; seriusque granis cartilagineis affluens majorem adipiscitur densitatem.

Paucos intra dies, ductus medullaris prope solutionem continui coarctatur, quod fit interpositione substantiae rubrae, densae, in speciem carneae, deinde coloris cinerei quae serius cartilagineam et tandem osseam indolem obtinet. Porro haec substantia nihil aliud esse videtur quam medulla ejusque membrana processu pathologico modificata.

Superficies fractorum. Plerumque inaequales sunt, asperae vel eminentiolis magis minus extantibus obsitae. Cruore obtegi solent e vasis partium ambientium effluenti. Quantitas ejus eo major est, quo magis fracta ab invicem recedunt. Sanguis concretus telae cellulari, et membranae medullari firmiter adhaeret.

Secundo aut tertio die, fracta inter et sanguinem exhalatur humor glutinosus, parum copiosus, partibus vicinis perquam adhaerens. Deinde fracta remollescere solent, et inaequalitates

eorum evanescere. Nonnunquam extrema fractorum formam ad conum accedentem induunt. Sanguis concretus varias subit immutationes; substantiam refert tomentosam, vivido-rubram; color ejus paulo dilutior est in centro quam in ambitu. Haec substantia structuram reticularem habet, et cum partibus vicinis tumorem efficit induratum. Nonnunquam in ejus parte media reperitur cavitas irregularis in cujus parietibus interdum obviae sunt carunculae carneae aut fimbriae leves. Ubi contactus fractorum minus accuratus est, et a lateribus tantum locum habet, eadem inter ea exsurgit substantia, minori tamen quantitate quam in priori casu.

PERIODUS SECUNDA.

EXCURRIT A 16ª AD 25ª DIEM IN CANIBUS, SED IN COLUMBIS ET IN CUNICULIS PAULO CITIUS INITIUM HABET. HAEC PERIODUS EXPRIMITUR STATU FIBRO-CARTILAGINEO PARTIUM QUAE AD FERRUMINATIONEM CONFERUNT, ISTAE PARTES MODO INTIMO INTER SE CONJUNCTAE ET QUASI CONFUSAE TUMOREM, NOMINE TUMORIS CALLI, VOCATUM EFFICIUNT QUI DUOBUS TEXTIBUS CONSTARE VIDETUR QUORUM ALIUS INTERIOR EST, ALTER VERO INTERIOR.

Textus centrum tumoris occupans substantia fractis intermedia conflatus est quae mollis est, rubra, laceratu perfacilis, fractorumque superficiei valde cohaerens.

Stratum exterius album est, elasticum, sub sectione renitens, fibro-cartilagini haud admodum dissimile, granis cartilagineis obsitum, circumscriptum, neque minus ossi adhaerens,

Transitus ab uno ad alium textum subitus non est sed gradatus. Tendines, si qui adsint, tumorem calli trajiciunt, saepius autem in sulco proprio ceu colliquia excipiuntur, et in eo lubrice moveri possunt. Ductus medullaris ad majorem aut minorem a fractura distantiam, atque interdum ex toto completur substantia rubra punctis cartilagineis permista. Nonnunquam aliud e fragmentis plusquam alterum obturatur, quin causa hujus discriminis assignari possit. Quo proprius a fractis exploratur haec substantia, eo densior est et pallidior; quo longius autem, eo rubrior et magis cellulosa.

Prout obturamentum ductus medullaris augescit, medulla imminuitur et quidem linearem formam adipisci solet priusquam ex toto evanescat. Ut plurimum ad extrema articularia, ductus nullam subit mutationem, et succus medullaris naturalem sibique propriam indolem retinet. Sub finem secundae periodi, calli volumen decrescit; musculi et pars textus cellulosi remollescunt, et ab aliis textibus distingui possunt; omnia tandem organa nativam conditionem recuperare incipiunt.

PERIODUS TERTIA.

EXCURRIT IN CANIBUS A 25ª DIE AD SEX MENSES; INTERDUM BREVIUS EST HOC TEMPORIS SPATIUM; RARO AUTEM LONGIUS.

Haec periodus nomine periodi ossificationis salutari potest; tumor huc usque cartilagineus, nunc ossea materia incrustatur. Ossificatio initium capit a limitibus tumoris, et rapidos

inde ad centrum facit progressus; ubi vero ad libellam fracturae accedit, decursus ejus multo lentior est, et tumor vix unquam plane osseus occurrit ante finem tertii mensis. Ultimum substantia fractis intermedia, in osseam quoque transformatur; primum rubra, valde compacta, nonnihil exin de suo rubore deperdit; tum fibro-cartilaginea fit, salibus denique osseis obsidetur : quod tamen raro ante initium quartae periodi omnibus numeris absolutum est. Priusquam autem haec substantia dictas subierit mutationes, in ea cernitur linea diverso modo colorata, alba scilicet, alibi flava, et alio rubra.

Initio tertiae periodi, fracta mobilia sunt; singulis autem diebus, ferruminatio progreditur, et nisi quid insolitum obstiterit ad tertium aut quartum mensem fracta plane solidantur. Textus cellularis pristinam recuperavit indolem; et musculi in naturalem statum restituti motus normales edere possunt; interdum tamen, uti constat ex experimentis D^ris^ CRUVEILHIER, aliquot fibrae musculares osseae factae sunt. Accedit eo quod ante perfectam ossificationem tumoris calli, periosteum magis ac magis ei cohaereat. Denique in hac periodo, obturatio ductus medullaris ex toto vel partim absolvitur. Priori in casu, nullum superest neque medullae neque ejus membranae vestigium. Hic est ille naturae labor cui nomen *calli primarii*, ceu *temporarii* impositum est.

PERIODUS QUARTA.

Nunc venimus ad ultimam coalitus ossium periodum, nempe ad formationem calli sic dicti, *definiti*, *perpetui*, G. *cal définitif.* Quamvis periodos generationis calli certis limitibus circumscripserim, haud inficias ibo non deesse observata quibus istos limites interdum variare constat. Neque minus arduum est certum ultimae periodi declarare tempus; id enim pro aetate, temperamento, crassitudine ossis, anni tempestate, aegroti valetudine, medendi ratione etc., varium fieri experientia compertum est. Character ultimae periodi situs est in singularum partium ad pristinum statum reductione; nimirum ex toto dissipantur tumor calli sive cingulum osseum ambo extrema conjungens et substantia ductum medullarem obturans. Haec cellulis ceu areolis excavatur sensim augescentibus, perviis, cum invicem communicantibus, lentore rubro, gelatinoso repletis. Prout hic labor absolvitur, medulla et membrana medullaris in qua innumera conspici possunt vasa, naturalem resumunt aspectum.

Tumor calli easdem subit mutationes, scilicet, oriuntur in eo, cellulae humore rubro, oleoso plenae quae gradatim adaugescunt magnitudine et numero. Circum eas evolvitur lamina compacta quae, quo citius cellulae deprimuntur, eo propius ad axim ossis accedit. Ubi ossis extrema rite reposita e directo jacent, haec lamina sic ossi applicatur ut locus fractus vix nosci possit, dum e contrario, si fractorum coaptatio

imperfecta sit, superest tumor osseus nunquam tempore dilabendus. Ex plurium sententia, haec lamina nil aliud est quam periosteum. Ut ut est, illa sensim sensimque tenuior evadit, donec tandem omnes partes statum naturalem recuperaverint.

ORGANISATIO CALLI.

Quamvis opiniones virorum doctorum circa generationem calli plurimum inter se differant, in eo tamen consentiunt quod callus vascularis sit atque organicus.

Cl. DETHLEEF arterias calli densitatem cartilaginis jam adepti injectionibus coloratis conspicuas reddidit (1). HUNTER eas publice demonstravit. Injectiones Clar. BELL sic ex sententia successerunt ut callo rubrum colorem inducere potuerit (2). CALLISEN liquorem coloratum in vasa ossis olim fracti injecit; dein illud, acidi nitrice ope, partibus inorganicis destitutum in oleum per aliquod tempus immersit. Brevi vasa manifesto apparuerunt (3). Idem a Cl. HOWSHIP refertur (4). BRESCHET in dissertatione jam citata affirmat se possidere varia praeparata in quibus vasa calli in omnibus ejus generationis stadiis aperte demonstrari possunt. Haec vasa radiculas in medullam et ductum medullarem agunt, et maxima ex parte ab uno ad aliud ossis extremum flexuose decurrunt.

Nullum igitur esse potest dubium quin callus organicus sit; id enim non solum analogia, sed etiam phaenomenis quae in fracturarum consolidatione observantur, manifeste declaratur.

(1) Dissert. cit. (2) SAMUEL COOPERS op. cit. (3) Op. cit. (4) Op. cit.

DE TENACITATE CALLI.

Veteres Medicos haud praeteriit callum progressu temporis tantum adipisci firmitatem ut reliquam ossis partem soliditate superet, atque adeo ut accedente nova fracturae causa, os potius in alio loco quam in parte olim fracta effringatur : id tamen a quibusdam in dubium vocatum est. Caeteris autem paribus, affirmare licet callum eo majori praeditum esse duritie quo longius a fractura elapsum est temporis intervallum. Praeterea sub morbis acutis vel chronicis, vel etiam defectu fractorum stabilitatis, non rarum est ut callus quandam mollitiem paulo diutius retineat. Michael Troja experimenta in catellis instituit ad calli duritiem explorandam. Ex ejus sententia, sequens habetur ratio calli tenacitatem inter et ossis primarii firmitatem, scilicet, quarta die, prior ad alteram est sicut 1 ad 34; decima die, ut 1 ad 7; decima tandem et sexta, ut 1 ad 3 (1).

Clar. Dupuytren, in primo fracturae stadio, sub ossis flexione crepitum in callo audivisse refert; in secunda periodo, os adhucdum inflecti poterat, sed absque ullo crepitu, ejus quidem judicio, tenacitas ab inde sic augetur ut ad quartum stadium, durities calli, naturalem ossis firmitatem ad minimum adaequet. Denique ad finem quintae periodi, callus, quoad resistentiam, reliquam ossis partem longe exsuperat. Alii tamen arbitrantur calli tenacitatem exinde sensim imminui, ita ut progrediente tempore duritiei reliqui ossis plane consimilis evadat.

(1) De novorum ossium, in integris et maximis ob morbos, deperditionibus, regeneratione experimenta. Par. 1775.

ANALYSIS CHEMICA CALLI.

Dr GAUTHIER DE CLAUBRY os femoris fractum duplici analysi subjecit; alii scilicet calli materiam, alteri vero, materiam ossis primitivam atque inter eas sequentem invenit compositionis differentiam.

	Os primitivum.	Substantia calli.
Substantia animalis	56,284	43,795.
Carbonas calcis	3,846	9,785.
Phosphas calcis	38,075	44,894.
— — — magnesiae	1,012	1,526.

De generatione calli cum suppuratione conjuncta. Ex sententia quorumdam virorum doctorum, coalitus ossium omnino diversus est, prout fractura simplex est, et ut ita dicum, occulta, vel denudata, et cum suppuratione conjuncta. Haud alienum igitur videri potest pauca de phaenomenis quae in consolidatione fracturarum comminutarum occurrunt, exponere. Jam horum phaenomenorum observatio fons est et origo illius theoriae quae fractorum consolidationem agglutinationi papillularum carnearum adscribit; ita enim a natura comparata est mens humana, ut ex modico observatorum numero generales inferre regulas approperet.

Secretio materiei purulentae fracturas comitari solet, ubi partes molles magnam passae sunt continui solutionem, vel ubi adest necrosis aut corpus aliquod alienum.

Quaedam habetur analogia inter consolidationem fracturae cum suppuratione conjunctam, et vulnerum unionem per secundam, ut aiunt, naturae intentionem. Citius aut serius, respectu causae complicationis, exoriuntur in superficiebus fractis, periosteo, membrana medullari, carunculae carneae quae diversas subeunt modificationes a Bichat aliisque apprime descriptas. Caruneulas et partes quibus adnascuntur, interjacet stratum indolis fibrosae, fibro-cartilagineae aut cartilagineae. Multum autem abest quin ferruminatio fractorum in hoc casu, papulis carneis tantum absolvatur. Plurima enim phaenomena, qualia in consolidatione fracturarum simplicium notavimus, conspicua sunt, velut intumescentia partium vicinarum, earum densatio, medullae ossificatio etc. Denique quo major est deperditio osseae substantiae, eo majoris esse momenti partes quae in consolidatione fractorum a papulis carneis aguntur, experientia et ratione extra omne dubium positum est.

DE PSEUDO-ARTICULIS, OSSIBUS FRACTIS INTERDUM SUPERVENIENTIBUS.

Articulus falsus, articulatio analoga, praeter naturalis dicitur, dum fracta, mediante materia extensili, ligamentosa ita cum invicem uniuntur ut os ad fracturae locum in varias directiones flecti possit.

Causa frequentior gravis hujus casus est omissio debitae quietis, ceu intempestivo corporis et membri laesi motu, frac-

torum ab invicem discessio : concurrunt et alia, puta aetas senilis, morbi varii, peculiaris corporis habitus nondum rite determinatus, utrum in debilitate solidarum aut in labe humorum, vel in utraque quaerendus.

Articuli sic dicti analogi veteribus quidem medicis jam noti erant. FABRICIUS HILDANUS refert observationem fracturae transversae antibrachii sinistri cubitum inter et carpum, vulnere cutis et musculorum complicatae. Ubi remiserunt symptomata, et consolidata fuerunt vulnera, ossa disjuncta remanserunt, et ita quidem ut in eo loco veluti alterum articulum constituerent. Brachium sinistrum antrorsum et retrorsum duci poterat non secus ac si naturalis in loco prioris fracturae articulus esset idque sine ullo dolore. Ego, ait FABRICIUS, etsi infinitas prope modum fracturas viderim, numquam tale quid nec vidisse memini (1).

In libro cui titulus, *Nouvelles de la République des lettres* (2), habetur observatio quae, propter sectionem cadaveris, referenda mihi videtur. Sub necroscopio viri qui diu praeternaturali articulatione antibrachii sinistri laboraverat, sequentia observata sunt. Cubitum versus, extrema ossium, ad instar capituli ceu apophysis, rotundata erant, et a latere carpi, duae occurrebant cavitates in quibus capitula excipiebantur. Periosteum ita crassum factum fuerat circa articulum ut vices capsulae ligamentosae gereret. Denique orae istorum cavo-

(1) Cent. 3. Obs. 91 ad Dr. CLAUDIUM CHAPUISIUM.

(2) *Juillet* 1685, *pag.* 718 *et seqq.*

rum minus antrorsum quam retrorsum exstabant, unde motus ad flexionem longe faciliores erant quam ad extensionem, eodem fere modo ac in flexura cubiti.

Cl. Chaussier varia, circa pseudarticulorum formationem in animalibus instituit experimenta quorum summam hic adferre haud alienum videtur. Primum, caput femoris in canibus, ex acetabulo debita operatione eduxit, tum os infra trokanterem serra desecuit; denique carnes cum invicem univit, et vulnus solis naturae viribus commisit. Vulnere persanato, et elapsis aliquot mensibus, partes ad varia temporis intervalla, exploratae sunt. Hinc patuit 1° extremitatem femoris ad os iskium a musculis adductam esse; 2° illam extremitatem obrotundam esse, et substantia cartilaginiformi incrustatam; 3° punctum ossis iskii cui femur incumbebat, speciem quoque cartilaginis induisse, et in eo fossulam articularem magis minus altam excavatam esse; 4° denique tela cellulari densata speciem capsulae membranaceae circa novum articulum formatam esse in qua fluidum serosum magis minusve copiosum continebatur (1).

Sic etiam Cruveilhier (2) refert se in brachio pseudarthrosi adfecto invenisse capsulam fibrosam, valde renitentem superficies articulares unientem; istae vero planae erant, laevatae, tenui strato cartilaginis obtectae, et humore unctuoso labricatae.

(1) *Bulletin des Sciences, par la Société philomatique. Par. an VIII. pag.* 98.
(2) Op. cit.

Attamen Cl. BOYER affirmat se, in dissectione plurimorum pseudarticulorum femoris et humeri, nihil unquam invenisse quod vel minimam cum naturalibus articulis aleret similitudinem. Semper in promptu fuit substantia fibrosa ab uno ad aliud ossis extremum extensa, sine capsula et superficiebus articularibus (1). Denique si fides adhibeatur experimentis DD^r BRESCHET et WILLERMÉ, interdum peritissimi hi naturae indagatores jam 18^a circiter die a fractura invenerunt cavitatem cujus parietes rosei coloris, ab interioribus ad exteriora conflati erant 1° substantia molli tenui, ad rubrum accedenti; 2° textu albicanti fere cartilagineo, sed ab uno tantum latere existenti; 3° substantia densitatis et aspectus quasi fibrosi, sed absque fibris distinctis atque ad conditionem textus cellulosi gradatim accedenti. Extrema fractorum in cavitatem excepta, laevata erant, coloris fulgentis, albicantis, cartilaginiformis, quin tamen lamina cartilaginis vel tenuissima in eis dissectione demonstrari posset.

Vigesima et septima die, superficies interna cavitatis levis apparebat, polita, humore liquido, viscoso, et in quantitate eo majori quo vetustior erat pseudarthrosis, lubricata. Superficies articulares colorem album opalinum induerant, et substantia cartilaginea, cartilaginibus diarthrodialibus omnino consimili, in quibusdam punctis, et fibro-cartilagine in aliis obvestiebantur. Tota mutatio in spatio 85 circiter dierum absoluta erat. Textus parietum cavitatis elasticus erat, densita-

(1) *Traité des Malad. chirurgic. t. III. p.* 101.

tis fibrosae, et ambitui fractorum adnexus; haec igitur dispositio magnam habebat similitudinem cum capsulis fibrosis articularibus (1). Veniamus aliquando ad clausulam. Duplex admittenda videtur pseudarthrosis, alia scilicet textu fibroso ab una ad aliam fractorum extremitatem extenso, formata; et altera quae indolem naturalium articulorum diarthrodialium induit. Prior *pseudarthrosis per continuitatem*, posterior, *pseudarthrosis per contiguitatem* vocari potest.

In priori, fractorum extrema rotundantur, et insertionem praebent funiculo fibroso aut quasi fibroso, flexibili, cylindraceo fractis intermedio. Hic textus nil aliud est quam substantia primorum calli stadiorum quae osseam conditionem nondum assumpserat. Exemplum hujus pseudarthrosis habetur in consolidatione fracturarum transversarum patellae et olecranii.

In posteriori, excavatur unum e fragmentis, et aliud in eo excipitur; progrediente tempore, superficies articulares lamina cartilaginis diarthrodialis incrustantur; neque minus evolvitur membrana humorem synoviae consimilem exhalans, et circum eam, capsula fibrosa aut ligamentosa.

In utraque varietate, ductus medullaris, sicut in naturali fracturae coalitu prorsus oblitteratur. Denique innumera inoriuntur vasa sanguifera quae ab uno ad aliud ossis fragmentum excurrunt.

(1) *Recherches historiques et expérimentales sur la formation du cal. Paris* 1819.

COROLLARIUM AD THEORIAM COALITUS OSSIUM FRACTORUM INFERENDAM.

Ex praedictis, theoria ferruminationis ossium fractorum facile eruitur. Jam perspicue patet duplicem esse mechanismum ejus, scilicet prout fractura simplex est, ad consolidationem absque ullo impedimento tendens, vel comminuta et cum suppuratione juncta.

In fractura simplici, plura sunt quae ad generationem calli simul conferunt; 1° sanguis e vasis telam cellularem, periosteum et membranam medullarem perreptantibus, effunditur et concrescit, 2° humor viscosus os inter et periosteum effusus, et forsan e superficie fractorum exhalatur; 3° sanguis et hic humor substantiam rubram fractis intermediam quodammodo constituunt; 4° extremitates fractorum in spatio majori aut minori remollescunt; 5° periosteum et partes molles superjacentes tumefactae et induratae coeunt cum substantia fractis intermedia; 6° ductus medullaris substantia primum cartilaginiformi, et serius ossea obstruitur usque adeo nulla nec canalis, nec membranae, nec medullae vestigia supersint; 7° totus tumor calli ad statum mox fibrosum, deinde fibrocartilagineum, et denique osseum abit, 8° partes molles, periosteo superjacentes, et ipsum periosteum naturalem conditionem recuperant; 9° denique tumor ex toto evanescit, canalis et textus medullaris in pristinum statum restituuntur. Tunc tantum labor consolidationis absolutus est; et cal-

lus perpetuus. Venit tandem tempus quo callus a reliquo osse distingui nequit. Quibus autem mediis utatur natura ad istas mutationes inducendas omnino latet.

In fracturis cum suppuratione junctis, adnascuntur insuper carneae papulae in ipsis fractis, in substantia calli nondum ossificata, et in ea qua ductus medullaris obturatur. Istae papulae separantur a partibus quibus adhaerent, intermedio strato substantiae fibrosae, fibro-cartilagineae, vel cartilaginiformis. Callus igitur, sive cicatrix ossium fractorum neque a succo osseo, neque a periostei elongatione, et ossificatione nec a papulis carneis seorsim oritur; saepissime autem omnibus hisce phaenomenis, aut pluribus saltem ex eis adscribi debet. Calli generatio effectus est et sequela seriei mutationum quae in cunctis partibus mollibus fracta immediate circumdantibus locum habent, et praesertim in periosteo, ductu medullari, in ossium textu et denique in substantia fragmentis interjacente.

Itaque in coalitu ossium fractorum, sicut in cicatrice vulnerum, distinguere oportet partium unionem, quae suppuratione haud stipata est, ab ea quae cum secretione puris absolvitur. Quicunque sit textus solutus, natura ad unionem eodem modo procedit, scilicet duplex est hic processus, per primam, et per secundam intentionem. In eo callus a cicatrice partium mollium differre videtur quod evolvatur substantia temporaria quae fracta in-et-extrinsecus sustinet; forsan et haec substantia notabilior tantum est in ossibus quam in aliis textibus solutis, sive quia diutius et facilius observari potest, sive

quia in iis copiosior est et magis distincta. Accedit eo quod haec substantia non solum coalitui ossium inserviat, sed etiam recessui fragmentorum obstet, mutuo eorum contactui faveat, atque interstitia, si quae adsint, complendo deformitatibus occurrat. Unus igitur et idem esse videtur mechanismus unionis partium solutarum, durae sint aut molles. Si observari possent fracturae citra ullam fragmentorum recessionem, absque mobilitate, et ossa aequali praedita essent vitalitate ei qua partes molles gaudent, verisimile fit similia prorsus in callo quoad formationem et dispositionem ejus observari phaenomena, eis quae in cicatrice per primam intentionem, aliorum textuum solutorum occurrunt.



XI.

LAMBERTI WEZEL

RESPONSIO

AD QUAESTIONEM MATHEMATICAM.

LAMBERTI WEŻEL

WAVRENSIS

DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM CANDIDATI

IN ACADEMIA LOVANIENSI

RESPONSIO

AD QUAESTIONEM AB ORDINE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM PROPOSITAM :

Datis Exoctaëdro et Icosidodecaëdro (quæ sunt Polyëdra semiregularia, quorum prius sex quadratis æqualibus et octo triangulis æqualibus et æquilateris; posterius duodecim Pentagonis regularibus æqualibus et viginti triangulis æqualibus et æquilateris comprehenditur, quorumque omnes acies sibi sunt æquales), postulatur: 1) *ut hisce Polyëdris duobus regularia inscribantur eaque circumscribantur;* 2) *ut rationes inter aciem cujuslibet Polyëdri propositi ad aciem Polyëdri regularis, tam inscripti quam circumscripti exhibeantur.*

QUAE PRAEMIO ORNATA EST ANNO MDCCCXXIII.

Cui lecta potenter erit res,
Nec facundia deseret hunc nec lucidus ordo.

HORAT. De Arte poet.

PARS PRIMA.

DE EXOCTAËDRO.

CAPUT I.

Exoctaëdri constructio et proprietates præcipuæ.

§ I.

Exoctaëdri nomine donarunt Geometræ polyedrum ABCD EFGHIKLM (fig. 1), hedris quatuordecim terminatum, quarum sex quadrata sunt æqualia ALME, ABCD, EDGF, CGHI, IBLK et KMFH; reliquæ autem octo triangula regularia æqualia ADE, EMF, FHG, GDC, CBI, IHK, KML et LAB : quæ hedræ ita sunt inter se dispositæ, ut quodvis quadratum EDGF quatuor circumdetur triangulis AED, DCG, GHF, FEM.

Numerum istius solidi acierum AB, BC, CD, etc. quatuor et viginti æqualem invenies, si attenderis, hedram quamlibet quadratam lateribus quatuor, quamlibet triangularem tribus definiri, adeoque quadratorum sex, solidi superficiem ingre-

dientium, summam laterum esse æqualem 4×6; et octo triangulorum æqualem 3×8; quorum laterum, exoctaëdri acies constituentium, quodvis duabus hedris est commune; ergo habetur acierum numerus $\frac{4 \times 6 + 3 \times 8}{2} = 24$.

Quod ad angulos exoctaëdri solidos attinet, quorum vertices sunt A, B, C, D etc., numero dantur duodecim; constant enim angulis hedrarum planis, quorum numerus laterum copiam æquat, scilicet 4×6 pro quadratis et 3×8 pro triangulis : ad cujusvis autem anguli solidi EADFME formationem quatuor concurrunt anguli plani AEM, MEF, FED, DEA. Omnium igitur angulorum exoctaëdri solidorum summa exprimitur formula $\frac{4 \times 6 + 3 \times 8}{4} = 12$.

§ II.

Cubus exoctaëdro præbuit originem, hoc quidem modo : cubi ABCDEFGH (fig. 3) singulis aciebus AB, BC, CD, etc. in punctis *a*, *b*, *c*, *d*, *e*, *f*, *g*, *h*, *k*, *l*, *m*, *n*, bifariam sectis, per tria quæque puncta proxima *a*, *k*, *b*; *g*, *c*; *c*, *d*, *e*, etc. plana aguntur *akb*, *bgc*, *cde*, etc., quibus omnes cubi anguli solidi auferuntur pyramidibus B*akb*, C*bgc*,

D*cde*, etc., et remanet solidum *abcdefghklmn*, quatuordecim planis comprehensum, quorum sex *abcd*, *cgfe*, *gbkh*, *hlnf*, *lkam* et *mned* sunt quadrata, cubi hedris inscripta, ideoque æqualia; reliqua octo triangula sunt a cubi solidis angulis relicta *akb*, *amd*, *dec*, *cbg*, *ghf*, *fne*, *nml* et *lkh*, quorum omnia latera illis quadratis sunt communia, quamobrem æquilatera sunt et inter se æqualia. Quum insuper inter ista plana talis ordo intercedat, ut singulum quadratum *abcd* quatuor ambiant triangula *akb*, *bgc*, *ced* et *dam*; juxta definitionem polyedrum *abcdefghklmn* est exoctaëdrum.

Quadrilatera *abcd*, *cgfe* etc., quadrata esse diximus cubi hedris inscripta; quodlibet enim eorum *abcd* in aliqua cubi hedra ABCD ita constitutum reperitur, ut triangula *a*B*b*, *b*C*c*, *c*D*d*, *d*A*a* sint prorsus æqualia, utpote omnia in B, C, D, A rectangula, cum cathetis ex constructione æqualibus, singulum enim aciei cubi exstat dimidium : hinc inferri potest, esse $ab = bc = cd = da$.

Habetur insuper angulus *bad*, qui simul cum angulis B*ab* et A*ad* summam duorum rectorum æquat, horum verò angulorum quisque æqualis est semirecto, ergo angulus *bad* rectus et rhombus *abcd* quadratum.

§ III.

Hinc sequitur, ut exoctaëdrum aciei datæ *ab* a cubo dedu-

catur, super *ab* quadratum *abcd* construendum esse, circa quod aliud circumscriptum ABCD cubi adhibendi suppeditabit hedram.

§ IV.

Inter exoctaëdri proprietates hæ a præcedenti constructione ad cubi naturam relatâ proxime efficiuntur :

1° Omnes Exoctaëdri acies sunt invicem æquales, perinde ac quadratarum hedrarum diagonales.

2° Exoctaëdri hedræ quadratæ sibi perpendiculariter insistunt.

3° Diagonales *bd*, *ge*, *hn*, *km* (fig. 3), sunt omnes inter se et ad hedras cubi CD, FE, GH, AB parallelæ iisque æquales. Idem valet de diagonalibus *ac*, *kg*, *lf*, *me* parallelis ad AC, GF, HE, AD; pariterque de diagonalibus *bh*, *cf*, *dn*, *al*, parallelis ad rectas CF, DE, AH, BG.

4° Acies *ad*, *bc*, *hf*, *ln* sunt quoque inter se et ad diagonales BD, GE, parallelæ, quarum sunt dimidiæ, quod inde intelligitur, quod triangula A*ad* et ABD sunt similia, ob AB = AD et A*a* = A*d*; unde *ad* parallela ad BD, et *ad* : BD = AB : *a*A = 2 : 1, vi constructionis. Eodem modo invenientur *bc* parallela ad BD; *hf* et *ln* parallelæ ad GE : sunt autem BD et GE parallelæ et æquales; nam B*g* et DE sunt simul rectæ CF et parallelæ et æquales, hincque BGED parallelogrammum.

Similes prorsus rationes conducent ad *dc*, *ab*, *lh*, *nf* invicem et cum AC et HF; *kb*, *hg*, *ne*, *md* invicem et cum GC et HD; *kh*, *bg*, *de*, *mn* invicem et cum BF et AE; *gc*, *fe*, *lm*, *ka* invicem et cum DF et AG atque tandem *gf*, *ce*, *am*, *kl* invicem et cum CE et BH parallelas.

5° Exinde sequitur, exoctaëdri hedras triangulares quascumque binas oppositas *mad* et *hgf* esse parallelas : nam illorum latera *ad* et *hf* *am* et *hg* ad invicem sunt parallela.

§ V.

Angulorum exoctaëdri solidorum quisque *bakgcb* (fig. 5) efformatur concursu quadratorum duorum *abcd* et *bkhg* sibi perpendiculariter insistentium (§ præc. 2°), ut diagonales quidem *ac*, *kh* invicem sint parallelæ (§ eod. 3°); quorum igitur positio respectiva hisce omnino determinata est eamque ob causam etiam positio triangulorum *akb* et *cbg*, quæ illum angulum claudunt. Inde consequi possumus, omnes exoctaëdri angulos solidos esse æquales.

§ VI.

Exoctaëdri acies efficiunt quatuor hexagona *akhfed*, *kbcenl*, *hgcdml* et *abgfnm* (fig. 3) quæ plana esse et regularia sic ostendemus : in aliquo eorum hexagonorum *kbcenl* agatur diagonalis *ke*, quæ erit ad AD parallela, quoniam B*k*

et D*e* parallelæ sunt et æquales. Sed sunt etiam *bc* et *ln* ad eamdem AD parallelæ; ergo parallelæ *ln*, *ke* et *bc* et ideo plana sunt *kbce* et *kenl*. Ductâ diagonali *lc* eodem planè modo invenietur planum esse *lkbc*, quod idem est ac *kbce*; plana igitur *kbce*r et *kenl* duas rectas *ke* et *kl* communes habent, quamobrem in unicum confluere debent *kbcenl*.

Cum insuper hexagoni *kbceln* omnia latera sint æqualia (§ 4, 1°) et bina quæque opposita *bc* et *ln*, *kb* et *ne*, *ce* et *kl* parallela (§ 4, 4°), diagonalesque *ke*, *bn* et *lc* æquales, nam est *ke* = BD, *bn* = CE, *lc* = CG, et AD = CE = CG; hinc recte concludi potest hexagonum *kbceln* esse regulare. Quod de reliquis *akhfed*, *hgcdml* et *abgfnm* simili plane argumento probatur.

Quolibet horum hexagonorum *akhfed* exoctoëdrum in duas æquales partes dirimitur *akhfedcbg* et *akhfedmln*; nam eidem basi *akhfed* insistunt et utriusque reliquæ hedræ tres sunt quadratæ et triangulæ quatuor eodem ordine dispositæ.

§ VII.

Diagonales *ke*, ad hexagonum *kbcenl*, *hd* ad *hgcdml*, *af* ad *abgfnm*, et omnes ad quartum hexagonum *akhfed* competunt; in unico igitur puncto O sese bifariam secant, quod illorum quatuor planorum intersectionem denotans a verticibus *a*, *k*, *h*, *f*, *e*, *d* æqualiter et quidem pro acie exoctaëdri distat; nam ex hexagoni regularis *akhfed* natura sequitur O*a* = O*k* = O*h* = O*f* = O*e* = O*d* *ak* = *kh* etc.

Palam est, reliquas illorum hexagonorum diagonales *bn*, *cl* et *gm* eodem in puncto O bifariam esse dividendas : itaque distantia puncti O a quovis vertice exoctaëdri *a*, *b*, *c*, etc. æqualis est aciei *ab*.

Exinde hoc proximum consectarium est, ut punctum O a quavis etiam hedra quadrata itemque a quavis triangulari æquidistet; pyramides enim quadrangulares P*abcd*, P*cgfe* etc. itemque triangulares P*dce*, P*cgb* etc. inter se sunt penitus æquales; itaque æquales etiam illarum altitudines. Ergo punctum O exoctaëdri centrum est, idemque cum cubi ABCD EFGH centro congruere quisque facile perspiciet.

§ VIII.

Junge centrum O exoctaëdri cum centro P quadrati *abcd* ope rectæ OP, quo invenies triangula OP*b*, OP*d* et OP*c* omnino æqualia, habent enim latus OP commune et O*b* = O*d* = O*c* (§ præc.), P*b* = P*d* = P*c*; ergo anguli OP*b*, OP*d* et OP*c* æquales et recti, quia OP*b* et OP*d* sunt deinceps positi; ergo OP perpendicularis ad planum *abcd*, ideoque centri O ab illo plano indicat distantiam. Porro triangulum OP*c* rectangulum congruit etiam cum *b*P*c*, ob hypotenusas O*c* et *bc* æquales et cathetum communem P*c* : itaque OP = *b*P, quae est distantia centri O ab hedra quadrata *abcd*, cujus semidiagonali est æqualis.

§ IX.

Jam exploremus distantiam exoctaëdri centralem a qualibet hedra triangulari bgc (fig. 3). Quo in consilio ex O ad planum bgc demittatur perpendiculum OQ, quod in medium hujus trianguli punctum Q cadat oportet; est enim pyramis $Obgc$ regularis, quia $Ob = Og = Oc = bg = gc = cb$ (§ 7); erit igitur recta bQR perpendicularis ad gc, cum $g\mathrm{R} = c\mathrm{R}$, $b\mathrm{Q} = \frac{2}{3}\, b\mathrm{R}$, atque triangulum O Q$b$ rectangulum subministrabit

$$\begin{aligned} \overline{OQ}^2 &= \overline{Ob}^2 - \overline{bQ}^2 \\ &= \overline{bc}^2 - \left(\tfrac{2}{3}\, b\mathrm{R}\right)^2 \\ &= \overline{bc}^2 - \tfrac{4}{9}\overline{b\mathrm{R}}^2; \end{aligned}$$

est autem

$$\begin{aligned} \overline{b\mathrm{R}}^2 &= \overline{bc}^2 - \overline{c\mathrm{R}}^2 \\ &= \overline{bc}^2 - \frac{\overline{cg}^2}{4} \\ &= \overline{bc}^2 - \frac{\overline{bc}^2}{4} = \frac{3\,\overline{bc}^2}{4}: \end{aligned}$$

ergo $\overline{OQ}^2 = \overline{bc}^2 - \frac{4}{9}\cdot\frac{3}{4}\,\overline{bc}^2 = \frac{2}{3}\,\overline{bc}^2$

et $OQ = \sqrt{\left(\frac{2}{3}\,\overline{bc}^2\right)} = bc\sqrt{\frac{2}{3}}$, ubi OQ distantiam quæsitam, bc exoctaëdri aciem designat.

Notandum est, OQ productam per verticem C cubi transituram esse, quoniam perpendiculum ex C ad trianguli *bgc* planum debet esse CQ, ob rectas C*b*, C*g* et C*c* æquales; unde efficitur, ut rectæ OQ et CQ in unam coalescant.

§ X.

Exoctaëdrum ab octaëdro regulari eadem prorsus ratione, qua a cubo, obtinetur; bifariam enim divisis octaëdri ABC DEF (fig. 5) aciebus AB, AC, BC etc. in punctis *a*, *b*, *c* etc., hisque punctis ope rectarum *ab*, *bc*, *cd* etc. inter se conjunctis, solidum delineabitur *abcdefghklmn*, quod comprehenditur sub triangulis octo *abc*, *bef* etc. octaëdri hedris ita evidenter inscriptis, ut sint æquilatera et æqualia; et sub quadrilateris sex *agfb*, *bedc* etc., quorum unum modo singulis octaëdri angulis solidis B, C etc. adscriptum est, et quæ ita sunt ex constructione constituta, ut *agfb* et *klmd* cum AFEC, *ackh* et *femn* cum BCDF, *bedc* et *gnlh* cum ABED omnia sua latera, quorum simul sunt dimidia, mutuo parallela habeant: est enim AB = BC, et fecimus $aB = \frac{AB}{2}$, $Bb = \frac{BC}{2}$; ergo *ab* parallela ad AC, et $ab = \frac{AC}{2}$; haud aliter se habent *bf*, *fg* etc. respectu rectarum CE, EF etc. Cognita est autem octaëdri regularis ABCDEF proprietas, ut AFEC, BCDF et ABED quadrata sint æqualia; ergo *agfb*, *bedc* etc. quadrata quoque æqualia.

(Conf. Legendre, Geom. appendice aux livres VI et VII, prop. 2, et liv. V prop. 14).

Polyedrum igitur *abcdefghklmn* octo terminatum est triangulis æquilateris et æqualibus, quæ quadratis sex æqualibus circumscribuntur; itaque absque dubio exoctaëdrum est (§ 1).

Liquet octaëdri, quod ad construendum exoctaëdrum aciei datæ *ab* adhibetur, aciem AC duplam aciei *ab* esse, quoniam $ab = \frac{AC}{2}$ supra obtinuimus.

CAPUT II.

CUBUS INSCRIPTUS ET CIRCUMSCRIPTUS.

§ XI.

In exoctaëdro ABCDEFGHIKLM (fig. 2) hedrarum triangularium centra sint *a*, *b*, *c*, *d*, *e*, *f*, *g*, *h*, quorum bina vicina rectis *ab*, *bc*, *cd*, *da*, *af*, *fg*, *gb*, *gh*, *hc*, *he*, *ef* et *ed*, numero duodecim, conjungantur. Inter istas rectas quampiam *ab* consideremus : notum est centra *a* et *b* jacere in perpendiculis æqualibus RP et BQ ad IA et GC, quæ illis in punctis P et Q bifariam secantur, atque esse $aB = \frac{2}{3}\,PB = Bb = \frac{2}{3}\,BQ$. Hinc, ducta PQ, enascuntur triangula PBQ et *aBb* similia; unde infertur *ab* ad PQ ideoque etiam ad AC quadrati ABCD diagonalem esse parallelam; nam rectæ AP et QC æquales sunt parallelæ (§ 4, n° 4°).

Eodem prorsus modo inveniuntur *dc* ad AC, *ad* et *bc* ad diagonalem BD parallelæ. Quum igitur diagonales AC et BD sibi perpendiculariter insistunt, sequitur quadrilaterum *abcd* rectangulum esse et ad ABCD parallelum (conf. Legendre Géom. liv. 5, prop. 13); idem autem rectangulum quadratum esse mox videbitur : excitatis enim rectis A*a*R et A*d*S, erit RS æqualis BD, itaque triangula ARS et PBQ omnino æqualia, utpote lateribus mutuo æqualibus gaudentia; indeque angulus BAS æqualis angulo PBQ; quo fit, ut triangula *d*A*a* et *a*B*b*, ubi dantur $dA = Aa = aB = Bb$, invicem sint perfecte æqualia; ergo $da = ab$ et rectangulum *abcd* quadratum.

Simili ratiocinio reliqua quadrilatera quinque *adef*, *afgb*, *fghe*, *gbch* et *hedc* concursu rectarum *ab*, *bc*, *cd* etc. efformata, quadrata esse ostenditur, et quidem inter se et cum *abcd* æqualia, quoniam quodlibet illorum latus binis quadratis commune est; unde concludi potést *abcdefgh* cubum esse inscriptum.

§ XII.

Triangula PBQ et *a*B*b* invicem similia vi § præcedentis hanc suppeditant proportionem

$$ab : PQ = aB : PB = 2 : 3.$$

Est autem $PQ = AC = AB\sqrt{2}$, quoniam AC diagonalis quadrati ABCD est; ergo

2*

$$ab : AB\sqrt{2} = 2 : 3,$$

et

$$ab : AB = 2\sqrt{2} : 3 = 4 : 3\sqrt{2}$$

itaque

$$ab = \frac{4AB}{3\sqrt{2}},$$

quo valore ratio inter acies *ab* cubi inscripti et AB exoctaëdri exhibetur.

§ XIII.

Nemo non videt exoctaëdrum cubo, a quo illud § 2 obtinuimus, esse inscriptum, et ab inverso, ipsi exoctaëdro cubum circumscriptum; unde colligitur methodus, illud polyedrum cubo circumcingendi, delineando scilicet circa ejus quamlibet hedram quadratam *abcd*, (fig. 3), alio quadrato ABCD, quæ erit cubi hedra, cujusque latus se habebit ad exoctaëdri aciem, ut $\sqrt{2} : 1$: nam in triangulo isosceli *a*B*b* rectangulo est

$$\overline{ab}^2 = 2\ \overline{aB}^2 = 2.\ \frac{\overline{AB}^2}{4} = \frac{\overline{AB}^2}{2},\quad \text{itaque } ab = \frac{AB}{\sqrt{2}}.$$

CAPUT III.

OCTAËDRUM INSCRIPTUM ET CIRCUMSCRIPTUM.

§ XIV.

Ex centro *c* quadrati CD exoctaëdri ABCDEFGH (fig. 4) ad centra *a*, *b*, *e*, *d* quadratorum quatuor proximorum AE, AB, BF et FE age rectas *ca*, *cb*, *ce*, *cd*,

quas exoctaëdri aciei CA invenies æquales. Ductis enim diagonalibus AB et CD parallelogrammum efficitur CABD (§ 4, nro. 3), cujus latera AB et CD in *b* et *c* bifariam sunt divisa; ergo $cb = AC$.

Rectarum *ca*, *cb* etc. numerus est $\frac{4 \times 6}{2} = 12$, quoniam a singulis sex exoctaëdri quadratis quatuor rectæ emittuntur, quarum quævis binis convenit quadratis. Eædem rectæ concurrunt ad formationem triangulorum $\frac{12}{3} \cdot 2 = 8$ æquilaterorum et æqualium *abc*, *cde* etc. quodlibet enim ex illarum rectarum tribus formatur, quæ omnes binis triangulis sunt communes. Inde patet, *abcdef* octaëdrum esse inscriptum regulare, cujus acies exoctaëdri aciem æquat.

§ XV.

Quod ad octaëdrum circumscriptum attinet, illud est evidenter octaëdrum, a quo exoctaëdrum deduximus (§ 10), et cujus hedræ circa exoctaëdri triangula ita circumscribuntur, ut illorum latera dupla sint laterum exoctaëdri.

CAPUT IV.

TETRAËDRUM INSCRIPTUM ET CIRCUMSCRIPTUM.

§ XVI.

In exoctaëdro ABCDEFGHIKLM (fig. 6) assume BLC, IKH, FME et AGD quadrato inter se distantia, quorum si centra N, Q, O et P rectis NQ, QO, ON, OP, PN et PQ copulaveris, tetraëdrum NQOP obtinebis regulare inscriptum. Rectæ enim NQ, QO etc. hedrarum cubi inscripti diagonales sunt (§ 11), ergo invicem æquales et triangula NQP, QPO, OPN et NQO constituta æquilatera ipsisque æqualia, tetraëdrum igitur NQOP regulare efformant, quippe quæ omnia sua latera habent communia.

Perspicuum est, aciem NQ ad cubi inscripti aciem sese habere, ut $\sqrt{2} : 1$, cum illa sit diagonalis quadrati super hac formati (§ 11); hanc vero invenimus æqualem aciei exoctaëdri per $\frac{4}{3\sqrt{2}}$ multiplicatæ (§ 12); ergo est

$$NQ : AB \times \frac{4}{3\sqrt{2}} = \sqrt{2} : 1$$

et

$$NQ : AB = \frac{4\sqrt{2}}{3\sqrt{2}} : 1 = 4 : 3.$$

§ XVII.

Exoctaëdri quatuor accipe hedras triangulares AIB, HGF, ECD et LKM (fig. 7), quadrato inter se distantes, quales

§. præc. usurpavimus : circa HGF simile triangulum *abc* efforma, ductis per H, G, F rectis *ab*, *ac*, *bc* ad GF, FH, HG parallelis ; hoc triangulum, cujus latus duplum est lateris trianguli HGF, erit hedra octaëdri circumscripti (§ 15), cujus vertex *a* communis illi hedræ, quæ circa AIB, vertex *b* hedræ, quæ circa LKM, et vertex *c* hedræ, quæ circa DCE descripta est. Hæc igitur tria puncta *a*, *b*, *c* in intersectionibus producti plani HGF per reliqua tria sunt collocata.

Circa *abc* denuo triangulum QOP simile construe, ductis per *a*, *b*, *c*, lateribus QO ad *bc* et GH, OP ad *ac* et HF, PQ ad *ab* et GF parallelis : quod triangulum profecto in producto plano HGF versatur, itemque *abc* : ejusdem trianguli latera istius plani intersectiones sunt cum cæteris tribus : nam QO parallela est ad GH, ergo etiam ad IB adeoque ad planum AIB, quocum punctum *a* commune habet; ergo QO huic plano inest. Sic quoque patefiet, OP et PQ in planis LKM et DCE jacere, propter OP ad HF, indeque ad KM, et PQ ad GF, indeque ad CE parallelas.

Porro per Q rectam QN ad AB, et per O rectam ON ad IA parallelas emitte, quibus determinabis triangulum NOQ, quod aperte in plano AIB producto et huic triangulo simile est, hoc est, æquilaterum, ideoque et ob latus commune OQ, prorsus æquale triangulo QOP : unde NQ = QP. Præterea habentur QP ad CE, et NQ ad AB hincque ad DC parallelæ; junctis igitur NP, triangulum enascitur NQP simile triangulo DCE, præcedentibus æquale et in plano DCE.

Palam est, triangulum NOP quoque esse illis æquale et in plano LKM, quia in eo latus OP reperimus, et ducta est ON parallela ad AI ideoque etiam ad LK.

Hinc recte concludi potest, NOPQ tetraëdrum esse regulare exoctaëdro ABCDEFGHIKLM circumscriptum.

§ XVIII.

Hujus tetraëdri acies OP quadrupla est aciei HF exoctaëdri; nam OP trianguli QOP latus, duplum est lateris *ab* trianguli inscripti *abc*; et ob similes rationes *ab* ipsum lateris HF duplum est.

CAPUT V.

DODECAËDRUM INSCRIPTUM ET CIRCUMSCRIPTUM.

§ XIX.

Priusquam hujus capitis argumentum aggrediamur, aliquot propositiones de divisione rectarum media et extrema ratione, quæ in usitatioribus Geometriæ elementis non occurrunt, et quas passim in auxilium vocabimus, præmittamus oportet, quæ sunt :

1° Si rectæ quatuor proportionem constituunt, cujus alterutra ratio conflata est e recta cum quovis ejus segmento me-

diæ et extremæ rationis, sive etiam e binis alicujus rectæ hoc modo divisæ segmentis; altera ratio complectetur pariter rectam cum simili ejus segmento, aut bina similia segmenta.

Ponamus rectam AB (fig. 8) media et extrema ratione in D divisam, majori segmento BD, ita ut sit

$$AB : BD = BD : AD.$$

Accipiamus insuper proportionem

$$AB : BD = BC : BE,$$

et dico BE majus esse segmentum ex BC quemadmodum est BD ex AB. Ex collatis enim hisce binis proportionibus efficitur:

$$BD : AD = BC : BE,$$

sed est etiam $BD : AD = BE : EC$; ergo

$$BC : BE = BE : EC;$$

quod indicat, BE majus esse segmentum ex BC, et ideo EB minus.

Fingamus porro haberi

$$BD : AD = BE : EC,$$

ubi BD et AD bina sunt totius AB segmenta; exinde, prima proportione repetita, elicies

$$BE : EC = AB : BD = BC : BE;$$

hoc est, BE et EC sunt quoque ambo totius BC segmenta.

2° Inde sequitur, minus segmentum AD totius AB esse majus ipsius BD; est enim

$$AD : BD = BD : AD.$$

3° Ab inverso si datur AD majus segmentum ex BD, erit ipsa BD majus totius AB : nam tunc habetur

$$BD : AD = AD : BD - AD,$$

unde infertur

$$BD : BD + AD = AD : BD$$

vel

$$BD : AB = AD : BD.$$

4° Summa quadratorum super AB et super ejus minore segmento AD constructorum tripla est quadrati super majore segmento BD, vel

$$\overline{AB}^2 + \overline{AD}^2 = 3\,\overline{BD}^2.$$

Nam proportio

$$AB : BD = BD : AD$$

suppeditat

$$\overline{BD}^2 = AB \times AD,$$

itaque

$$2\overline{BD}^2 = 2AB \times AD,$$

indeque

$$\overline{AB}^2 + \overline{AD}^2 - 2\overline{BD}^2 = \overline{AB}^2 + \overline{AD}^2 - 2AB \times AD$$
$$= (AB - AD)^2 = \overline{BD}^2;$$

ergo

$$\overline{AB}^2 + \overline{AD}^2 = 3\overline{BD}^2.$$

§ XX.

Jam aggrediamur exoctaëdrum ABCDEFGH (fig. 9.), cujus centrum in P : per C agatur KL parallela ad AB, ita ut KC = CL = AN = NB, hoc est, puncta K et L duo sint cubi circumscripti vertices (§ 13); tum centrum P cum K et L rectis PK et PL copuletur : deinde AN et NB diagonalis AB, et CM diagonalis CE dimidiæ, in *a*, *b*, *d* media et extrema ratione dividantur, minoribus segmentis N*a* et N*b* versus medium N positis. Quibus peractis demonstrabimus, per planum *adb* protensum rectas PK et PL ita in punctis *c* et *f* pervadere, ut *acdfb* pentagonum sit regulare.

§ XXI.

Hunc in finem ducantur PC, PN, N*d* et *cf*. Primum habentur NP et CD parallelæ, quoniam utraque plano ACB perpendiculariter insistit (§ § 8 et 4, 2°); sunt igitur in eodem plano NC*d*P, ad quod perpendicularis est AB, quippe quæ est ad NC et NP (§ 8); sunt autem AB et KL parallelæ; ergo etiam KL ad idem planum NC*d*P perpendicularis.

Ex quo sequitur, triangula PCK et PCL in C esse rectangula, ideoque ob CK = CL et commune latus CP prorsus æqualia. Idem valet de triangulis *ad* N et *bd* N in N rectangulis et æqualibus; *a*N enim et N*b* minora sunt æqualium AN et NB segmenta.

3*

Triangulum Ndb suppeditat

$$\overline{db}^2 = \overline{dN}^2 + \overline{Nb}^2 ;$$

triangulum vero NCd in C etiam rectangulum (§ 4, 2°), præstat

$$\overline{dN}^2 = \overline{NC}^2 + \overline{Cd}^2 = \overline{NB}^2 + \overline{bB}^2 ;$$

quo valore in æquationem superiorem introducto, prodit

$$\overline{db}^2 = \overline{NB}^2 + \overline{bB}^2 + \overline{Nb}^2 ;$$

sed ex constructione Nb minus est segmentum ex NB; ergo $\overline{NB}^2 + \overline{Nb}^2 = 3\,\overline{bB}^2$ (§ 19, 4°); itaque

$$\overline{db}^2 = 3\,\overline{bB}^2 + \overline{bB}^2 = 4\,\overline{bB}^2$$

et

$$db = 2\,bB;$$

est autem bB majus segmentum dimidiæ AB, ergo 2bB vel Aa + bB majus segmentum totius AB, et ideo ab minus; ergo db majus segmentum AB, indeque etiam ab majus segmentum ipsius db (§ 19, 1° et 2°).

§ XXII.

Recta Nd, quæ cum binis planis adb et NCdP duo puncta a et N habet communia, istorum planorum intersectionem indicat; in illa igitur PC, quæ plano NCdP inest, ab altero plano adb intersecabitur in puncto g: pariter quoque cf, quæ cum CP in eodem plano KPL versatur, hanc

necessario in eodem puncto g permeat, ubi CP per planum adb transit, quia cf in hoc plano jacet. Quibus intellectis habetur, ob parallelas Cd et NP,

$$Cg : gP = dg : gN = Cd : NP \ldots\ldots (1).$$

Porro duximus KL parallelam ad AB sive ab, ergo parallela est ad planum $acdfb$, ideoque ad cf intersectionem hujus plani cum plano KLP; hinc sequitur esse

$$CP : gP = LP : fP = KL : cf,$$

indeque

$$CP - gP : gP = KL - cf : cf,$$

vel

$$Cg : gP = KL - cf : cf,$$

qua proportione cum (1) comparata, exsurgit

$$dg : gN = KL - cf : cf = Cd : NP,$$

ubi ultima ratio constat ex recta NP = CM (§ 8) cum majori ejus segmento Cd; ergo erit etiam dg majus segmentum ex gN, et KL — cf majus ex cf (§ 19, 1°): sed KL — cf et cf simul constituunt totam KL; ergo cf ipsa majus ex KL (§ 19, 3°), vel ex AB, quoniam KL = AB; ergo $cf = db$ (§ 21).

§ XXIII.

Præterea dantur AB et cf ad KL parallelæ, sunt igitur et inter se in parallelo situ; unde infertur

$$dg : gN = dm : ma = dn : nb;$$

invenimus autem dg majus segmentum ex gN, ergo etiam

dm majus ex ma, et dn majus ex nb; atque nb majus ex db (§ 19, 3°); itaque $nb = ab$ (§ 21), et dn majus segmentum ab : quoniam vero etiam

$$ab : mn = db : dn,$$

ergo mn minus segmentum ab æque ac dn est ex db; ergo dn et nm bina segmenta ex ab, hincque

$$ab = dn + mn = nb \ldots\ldots (2).$$

Deinde habetur

$$ef = db = dn + nb = 2\,dn + mn,$$

post introductum nempe valorem præcedentem (2) loco nb.

Atqui est etiam

$$cf = cm + mn + nf;$$

ergo

$$2dn + mn = cm + mn + nf,$$

et

$$2dn = cm + nf \ldots\ldots\ldots (3).$$

Triangula KPC et CPL, adN et Ndb prorsus æqualia (§ 21) conducunt ad similia cPg et gPf, mgd et dgn etiam æqualia, unde $cg = gf$ et $mg = gn$, ideoque $cm = nf$: hinc æquatio (3) abit in $2\,dn = 2\,cm = 2\,nf$; itaque

$$dn = cm = nf \ldots\ldots (4).$$

Quo valore substituto, æquatio (2) præstat

$$ab = mn + cm = mn + nf = nc = mf.$$

Nacti quoque sumus $ab = bn$, et facile eruitur $da = db$, $dm = dn$ indeque $am = bn$; ergo

$$ab = nc = mf = bn = am \ldots . (5);$$

hinc sequitur $acnb$ et $amfb$ rhombos esse super ab constructos, quare bf ad ad et ac ad db, parallelas, indeque triangula bnf et acm tertio mdn similia, ubi datur $md = dn$; ergo etiam $nb = bf = ab$, et $ac = am = ab$: itaque $bf = ab = ac$.

Triangula cnd et bnf lateribus $cn = nb$, ex æquat. (5), et $dn = nf$, (4), gaudentia, sunt penitus æqualia; ergo $cd = bf$. Itidem æqualia sunt cma et dmf, ob $am = mf$, (5), et $cm = dn = dm$ (4) : unde $ac = df$.

Pentagonum igitur $acdfb$ æquilaterum est : quod æquiangulum etiam invenies, denotans triangula acd, cdf et dfb lateribus mutuo æqualibus prædita esse, ideoque æqualia : unde æquales etiam angulos acd, cdf et dfb. Insuper facile ex prædictis perspicientur hæ æquationes :

$$\begin{aligned} < cab &= cad + dab \\ &= cdm + dmn = cdm + cma \\ &= dcm + mca = dca; \\ < abf &= abn + nbf \\ &= mnd + ndf = bnf + ndf \\ &= nfb + nfd = bfd. \end{aligned}$$

Ergo anguli acd, cdf, dfb, fab et bac æquales, hoc est, pentagonum $acdfb$ æquilaterum est etiam æquiangulum, ideoque regulare.

§ XXIV.

Pentagonum $acdfb$ ultra plana ADC et CFB non extendi patebit, si ducta fuerit per d recta RS parallela ad AB vel ab, quæ tota plano $acdfb$ inest; quare AR et RB, quibus puncta A et R, B et S junguntur, hujus plani exhibentur intersectiones cum ADC et CFB. Hinc portio ARSB istius plani triangulis ADC et CFB manifesto subjecta est. Liquet autem, ab ARSB pentagonum $acdfb$ comprehendi : nam est RS parallela ad DF, quippe quæ ad AB (§ 4, 3°), unde triangula CdR et CdS cum CMD et CMF similia, ideoque isoscelia et Cd $=$ dR $=$ dS. Est autem Cd $=$ Aa $=$ bB (§ 20), et cf $=$ db $=$ Aa $+$ bB (§§ 21 et 22), atque cf in g dimidiata est (§ 23), ergo cg $=$ Rd $=$ gf $=$ dS; quum insuper AB, cf et RS sint parallelæ, et AB reliquis major, nullum remanet dubium, quin pentagonum $acdfb$ plano quadrilateri ARSB contineatur : ergo hoc pentagonum nullo modo partim ultra plana triangulorum ADC et CFB prostare potest.

§ XXV.

Rectæ PK et PL in c et f media et extrema ratione dividuntur : nam ob parallelas cf ad KL et NP ad Cd (§ 22), est Pc : cK $=$ Pf : fL $=$ Pg : gC $=$ PN : cd; ergo, quia cd majus segmentum ex PN (ibid.), est etiam cK majus ex Pc, fL majus ex Pf; ideoque ipsæ Pc et Pf majora sunt ex PK et PL (§ 19, 1° et 3°).

Si usurpentur M*h* minus segmentum ex ME, æquale *md*; O*k*, O*l* minora segmenta ex OF, OG diagonalis FG dimidiis, et T, Q duo alii cubi circumscripti vertices (§ 13), ut LF = FT, LB = BQ, atque agantur PT et PQ; eadem qua pro plano *adb* factum est ratione probabitur, planis *dkh* et *kbl* rectas PL, PT, PQ in punctis *f*, *p*, *q* media quoque et extrema ratione dividi, enascentibus pentagonis *dhpkf* et *kfbql* regularibus.

Sic tria efformantur pentagona regularia *acdfb*, *dhpkl* et *kfbgl*, sub tribus exoctaëdri verticibus C, F, B, quæ ob latera *fd*, *fk*, *fb* communia, adinvicem æqualia sunt, in *f* angulum dodecaëdri regularis solidum constituentia. Quod si eadem ratione cæteræ hedrarum exoctaëdri quadratarum semidiagonales sectæ, et pari modo sub quovis reliquo ex duodecim illius verticibus aliud æquale pentagonum per tria quæque divisionum puncta directum fuerit; hæc pentagona præcedentibus adjungentur ad dodecaëdrum regulare *abcdefg hiklmnopqrstu* (fig. 10) comprehendendum: cujus vertices duodecim *a*, *b*, *d*, *h*, *k*, *l*, *s*, *r*, *f*, *p*, *n*, *u* in sex exoctaëdri quadratorum diagonalibus AC, BI, GE, FK, HM et DL innituntur; reliqui octo sub singula hedra triangulari subjacent (§ 24). Hoc igitur dodecaëdrum quasi inscriptum haberi potest.

§ XXVI.

Hujus dodecaëdri acies *ab* est ex constructione minus diagonalis AC segmentum (fig. 10): hinc proportio

$$AC : AC - ab = AC - ab : ab;$$

unde deducitur æquatio

$$AC \times ab = \overline{AC}^2 - 2\,AC \times ab + \overline{ab}^2,$$

cujus solutio conducit ad

$$ab - \tfrac{3}{2}\,AC = \pm \sqrt{\left(\frac{5\,\overline{AC}^2}{4}\right)},$$

ubi membrum sinistrum est evidenter negativum, quoniam AC et eo potius 3AC major est quam ab; signum igitur negativum solum est admittendum, quod subministrat

$$ab = \tfrac{3}{2}\,AC - \sqrt{\left(\frac{5\,\overline{AC}^2}{4}\right)} = \frac{3 - \sqrt{5}}{2}.\,AC.$$

Est autem $AC = AB.\sqrt{2}$; ergo

$$ab = \frac{(3 - \sqrt{5})\,\sqrt{2}}{2}.\,AB$$

$$= \frac{3 - \sqrt{5}}{\sqrt{2}}.\,AB,$$

qua formula exponitur ratio numerica aciei ab dodecaëdri inscripti ad aciem AB exoctaëdri.

§ XXVII.

Hic paulisper in explorandis aliquot dedecaëdri proprietatibus remoremur, quæ nobis in altera parte prodesse et ex præcedente inscriptione erui poterunt.

1° Recta *dn* (fig. 10), qua dodecaëdri oppositi hedrarum binarum contiguarum *aedcb* et *aonmb* vertices *d* et *n* copulantur, æqualis est aciei *ab* per $\frac{2}{3-\sqrt{5}}$ multiplicatæ. Est enim $dn = BD$, quia B*dn*D parallelogrammum, propter rectas B*d* et D*n* parallelas et æquales (§ 4, 3°), utpote majora dimidiarum BI et DL segmenta : ergo (§ 26)

$$BN = BD = AC = \frac{2ab}{3-\sqrt{5}}.$$

2° Distantia PN centri P dodecaëdri a medio N ejus aciei *ab* puncto æqualis est $\frac{ab}{3-\sqrt{5}}$, quod ex eo consectarium est, ut dodecaëdrum inscriptum cum exoctaëdro sit concentricum : nam cuncta illius pentagona *aedcb*, *dhikc*, etc., tres habent vertices *a*, *d*, *b*; *d*, *h*, *k*, etc., in exoctaëdri diagonalibus AC, BI, OE, etc., ita constitutos, ut perspicue ab exoctaëdri centro æquali intervallo distent : ergo perpendicula, de hoc centro ad illa pentagona demissa, æqualia erunt atque incident in eorum puncta, quæ ab *a*, *b*, *c*; *d*, *h*, *k*, etc., æqualiter sunt remota (Legendre Géom., liv. 5, prop. 5, Coroll.); quæ igitur puncta pentagonorum *aedcb*, *dhikc*, etc., necessario centra sunt. Hinc patet exoctaëdri centrum ab omnibus inscripti dodecaëdri tum verticibus tum hedris æquidistare, quod eo redit, ut illud cum ipsius dodecaëdri centro congruat.

Recta igitur PN quæsita centrum exoctaëdri P cum centro N quadrati ABCD connectitur : ergo PN = AN = $\frac{AC}{2} = \frac{ab}{3 - \sqrt{5}}$ (1° hujus § et § 8).

3° Dodecaëdri quodpiam latus *ab* assume et oppositum parallelum *rs*, nec non *fp*, *kl*, quæ angulis *a* et *b* in pentagonis *feaop* et *kcbml*; atque etiam *dh* et *nu*, quorum extremitates *d*, *n*, ad *ab* et *h*, *u* ad *rs* pari modo adversantur : quorum laterum si centra N, O, Q, etc., bina quæque proxima rectis copulaveris, octaëdrum resultabit dodecaëdro inscriptum, cujus latus erit æquale $\frac{ab \sqrt{2}}{3 - \sqrt{5}}$.

Nam dodecaëdri acies *ab*, *rs*, *pf*, etc. de quibus agitur, diagonalibus AC, BI, HM, etc, insident; puncta igitur earum media N, O, Q, etc., quadratarum exoctaëdri hedrarum centra sunt, quorum conjunctione rectis lineis facta octaëdrum inscriptum effici, § 14 ostensum est; cujus acies æqualis est aciei AB, ideoque æqualis $\frac{ab \sqrt{2}}{3 - \sqrt{5}}$ (§ præc.).

4° Si earumdem dodecaëdri acierum *ab*, *rs*, *fp*, *kl* centra N, O, Q, R, T, U bina quæque opposita rectis NO, QR, TU colligaveris, et cuivis NO in extremitatibus N, O tamquam in centris quadrata, super lateribus æqualibus NO constructa, perpendiculariter opposueris, ita ut illa latera reliquis rectis

QR et TU mutuo sint parallela : quadrata illa sex in cubum dodecaëdro circumscriptum convenient, cujus acies erit æqualis $NO = \frac{2ab}{3-\sqrt{5}}$.

Hac enim ratione enasci cubum exoctaëdro circumscriptum (§ 13), plane intelligitur, cujus hedrarum centra sunt N, O, Q, R, T, U, quæ exoctaëdri quadrata ABCD, KIFL, etc., ita circumdant, ut sua latera mutuo horum diagonalibus parallela et æqualia habeant : est autem NO parallela et æqualis diagonalibus BI et DL, nam BILD parallelogrammum (§ 4, 3°), et pariter QR parallela et æqualis diagonalibus HG et ME, atque etiam TU diagonalibus BD et IL : hæ igitur rectæ cubi aciebus æquales sunt et mutuo parallelæ : atque insuper exoctaëdri quadratis, indeque cubi hedris perpendiculariter insistunt.

Hinc palam est, præcedente constructione ad cubum circumscriptum exoctaëdro et idcirco etiam dodecaëdro ipsi inscripto, cujus acies sex tangit, nos conduci debere. Illius cubi acies est æqualis $NO = AC = \frac{2ab}{3-\sqrt{5}}$ (1° hujus §).

§ XXVIII.

Ostendemus, planis *bo*, *bd*, *bl*, *di*, *df*, *fo*, etc. (fig. 11), per duodecim exoctaëdri singulos vertices A, B, C, D, E, F, etc., parallele ad dodecaëdri inscripti hedras ductis, dodecaëdrum circumscriptum determinari.

Ex istis planis unum modo *bd* exhibeamus, quod per verticem B exoctaëdri ad hedram $a'b'c'd'e'$ dodecaëdri inscripti, illi subjectam, actum est. Ex centro P exoctaëdri excitentur rectæ Pa', Pb', Pc', Pd', Pe', quæ productæ in punctis *a*, *b*, *c*, *d*, *e*, planum *bd* attingunt. Quibus peractis, rectæ *ab*, *bc*, *cd*, *de*, *ea*, puncta *a*, *b*, *c*, *d*, *e* jungentes, manifesto parallelæ erunt ad $a'b'$, $b'c'$, $c'd'$, $d'e'$, $e'a'$; quare pentagonum *abcde* angulis mutuo æqualibus cum $a'b'c'd'e'$ gaudebit (Conf. Legendre Géom. liv. 5, prop. 13); ergo est æquiangulum. Præterea habentur triangula *Pab*, *Pbc*, *Pcd*, *Pde*, *Pea*, mutuo similia triangulis $Pa'b'$, $Pb'c'$, $Pc'd'$, $Pd'e'$, $Pe'a'$. Hæc vero omnia invicem penitus sunt æqualia, quia P dodecaëdri inscripti centrum est (§ 27, 2°); ergo illa quoque inter se æqualia : indeque $ab = bc = cd = de = ea$, quamobrem pentagonum *abcde* regulare. Hinc etiam $Pa = Pb = Pc = Pd = Pe$.

Per B age parallelam ad $b'd'$, quæ tota in plano *abcde* versatur et cum cubi circumscripti (§ 13) acie coincidat necesse est; quoniam $b'd'$ parallela est ad $a'e'$ vel AE. Atqui rectæ Pb' et Pd' illius aciei extremitates centro P copulant (§ 20) : quæ igitur extremitates aliæ esse non possunt nisi *b* et d', ubi rectæ Pb' et Pd' planum *abcde* perforant. Ergo *bBd* est cubi circumscripti latus; et rectæ *Pa*, *Pb*, *Pc*, *Pd*, *Pe*, in a', b', c', d', e' media extrema dividuntur, quarum majora efficiunt segmenta cubi inscripti radios Pa', Pb', Pc', Pd', Pe' (§ 25).

Si pariter e centro P per reliquos dodecaëdri inscripti vertices aliæ rectæ actæ fuerint ad reliqua plana, quas per exoctaëdri vertices dirigi posuimus; simili plane modo invenietur, illis in singulo plano pentagona regularia designari, *aonmb*, *bmlkc*, *ckihd*, *dhgfe*, *efpoa*, *etc.*; quorum quodlibet aliquam habet diagonalem, instar *bd*, cubi circumscripti aciem; nimirum *bo*, *bl*, *di*, *df*, *fo*, *etc.*; ita ut rectæ e centro P excitatæ omnes sint adinvicem et rectis P*a*, P*b*, P*c*, P*d*, P*e* æquales, ut pari modo pro cubi inscripti radiis majora habeantur segmenta, qui omnes sunt invicem æquales.

Sed perspicuum est, inter illas rectas tantum P*a*, P*b*, P*c*, P*d*, P*e* plano *bd* cum circumstantibus quinque *bo*, *bl*, *di*, *df*, *fo* communes esse : ergo secundum rectas *ab*, *bc*, *cd*, *de*, *ea* planum *bd* ab illis intersecatur.

Quodcumque igitur duodecim planorum modo laudatorum ita ambientibus intersecabitur, ut pentagonum constituatur regulare : itaque ea simul dodecaëdrum *abcdefghiklmnop qrstu* ampletentur, quod inscriptum ex eo jure dici potest, quo ejus superficies singulos exoctaëdri vertices attingit.

§ XXIX.

Ex cognita pentagoni regularis *abcde* proprietate, cujus vi diagonalis *bd* majori gaudet segmento e quovis latere *ab*, habetur

$$bd : ab = ab : bd - ab,$$

qua colligitur

$$\overline{ab}^2 = \overline{bd}^2 - ab \times bd,$$

cujus æquationis solutio suppeditat

$$ab = \frac{(\sqrt{5} - 1)\, bd}{2}.$$

Est autem bd cubi circumscripti latus; ergo $bd = \mathrm{AB}\sqrt{2}$ (§ 13); proinde

$$ab = \frac{(\sqrt{5} - 1)\sqrt{2}}{2}\,\mathrm{AB} = \frac{(\sqrt{5} - 1)\,\mathrm{AB}}{\sqrt{2}},$$

ubi AB exoctaëdri, ab dodecaëdri circumscripti aciem designat.

§ XXX.

Quum singulis dodecaëdri circumscripti *abcefghik*...... pentagonis una tantum conveniat diagonalis, quæ cum cubi circumscripti acie coalescit (§ 28), consquens est; hoc dodecaëdro cubum illum etiam circumcingi, et ita quidem ut octo cubi vertices totidem dodecaëdri inhæreant. Hinc late patet, fieri non posse, ut dodecaëdri circumscripti planis exoctaëdri superficies intersecetur.

Inde etiam colligi potest methodus dodecaëdro cubum inscribendi, quæ nobis paullo post multum inserviet. Nempe propositi dodecaëdri duæ eligantur hedræ contiguæ *abcde* et *aefpo*, atque in illis diagonales bd et of aciei communi ae parallelæ, quarum extremitates dodecaëdri vertices b, d, f, o assequuntur, qui vertices cum u, r, l, i rectis

plane oppositis connectantur, et cubus obtinebitur inscriptus *bdforliu*; cujus acies (§29)

$$bd = \frac{(\sqrt{5}-1)\,ab}{2}.$$

Etenim diagonales *bd* et *of* sunt evidenter ex præmissis cubi exoctaëdro circumscripti acies duæ, quæ per B et F transeunt; ergo *b*, *d*, *f*, *o* quatuor illius cubi vertices: reliquos autem iis in cubo ratione diametri oppositas esse palam est; quum vero hujus vertices omnes in iisdem dodecaëdri insideant, liquet eum dodecaëdro esse concentricum, ideoque illorum diametros coalescere.

CAPUT VI.

Icosaëdrum Inscriptum et circumscriptum.

§ XXXI.

Esto exoctaëdrum ABCDEFGHIKLM (fig. 12), cui icosaëdrum regulare inscribi debet. In singulis ideo quadratis unam diagonalem age AD, CH, BF, EM, GK, IL, quarum directiones sibi decussatim obvertuntur: harumque partes dimidias AN, ND, CO, OH, IQ, QL, etc., media et extrema ratione dirime in punctis *a*, *b*, *c*, *d*, *e*, *f*, *etc.*, majoribus segmentis versus centra N, O, Q, etc., cadentibus.

Junge deinde punctum c punctis a et b, et triangulum abc æquilaterum esse hocce modo ostenditur: ex centro P excitetur PN, quæ quadrato ACDE perpendiculariter insistet (§ 8); unde parallela erit diagonali CH; ergo planum est NCOP, cui recta AD, quoniam duabus rectis NC et NP in eo versantibus, perpendicularis est: ducta igitur Nc triangula exorientur acN et Ncb in N rectangula: quapropter

$$\overline{ac}^2 = \overline{aN}^2 + \overline{Nc}^2,$$

triangulum vero NCc in C quoque rectangulum subministrat

$$\overline{Nc}^2 = \overline{NC}^2 + \overline{Cc}^2 = 3\overline{cO}^2 = 3\overline{aN}^2,$$

quia ex constructione Cc minus segmentum ex CO = AN; itaque cO, ejusdem majus, æquale aN majori ex AN (§ 19, 4°). Hinc infertur

$$\overline{ac}^2 = \overline{aN}^2 + 3\overline{aN}^2 = 4\overline{aN}^2,$$

indeque

$$ac = 2aN = ab = bc,$$

quia triangula acN et Ncb sunt evidenter æqualia.

Eodem prorsus modo rectæ be, bf punctum b cum extremis ef; ec, ed punctum e cum extremis cd, etc., jungentes omnes invicem et cum ef, cd, etc., invenientur æquales, cum iis sub quolibet exoctaëdri vertice D, I, etc., triangulum æquilaterum, bef, cde, etc., triangulo abc æquale efficientes. Ex illis triangulis tria abc, cde, ebf sub singulo exoctaëdri triangulo CDI in tribus punctis concurrunt b, c, e triangulum bce ipsis æquale intercipientia. Ergo viginti paria efforman-

tur triangula, sub singulis exoctaëdri verticibus duodecim, et octo sub exoctaëdri triangulis; quæ icosaëdri regularis inscripti *abcdefghiklm* revera constituunt terminos.

Est *ab* duplum majus segmentum dimidiæ diagonalis AD, ergo ipsius AD majus segmentum; hincque æqualis aciei dodecaëdri circumscripti, (§ 29), vel $\frac{(\sqrt{5}-1)AB}{\sqrt{2}}$.

§ XXXII.

Octo illius icosaëdri hedræ, quæ exoctaëdri triangulis subjacent, hisce sunt parallelæ. Quod ut intelligatur, sint *abc* (fig. 14) talis hedra triangulo ABC supposita, P exoctaëdri centrum, D cubi circumscripti vertex (§ 13), unde anguli ADC, ADB, BDC itemque DA*a*, DC*c*, DB*b* omnes recti et DA = DB = DC. Agantur *a*D, *b*D, *c*D et PM, PN, PO in M, N, O media diagonalium AE, BF, CG puncta, atque etiam PD, planum *abc* in *d* penetrans, idemque punctum cum *a*, *b*, *c* rectis *da*, *db*, *dc* connectatur. Hisce peractis, habebuntur primum triangula DA*a*, DB*b* et DC*c* manifesto æqualia, quandoquidem rectæ *a*A, *b*B, *c*C minora sunt segmenta æqualium AM, BN, CO (§ præc.); inde D*a* = D*b* = D*c*. Deinde triangula PM*a*, PN*b*, PO*c* sunt quoque æqualia, quoniam PM, PN, PO æqualia perpendicula ad quadrata AE, BF, CG; ergo P*a* = P*b* = P*c*: quæ res facit, ut triangula DP*a*, DP*b*, DP*c*, ideoque anguli DP*a*, DP*b*, DP*c* æquales sint: hinc denique æqualia quoque triangula *d*P*a*, *d*P*b*, *a*P*c*, et *da* = *db*

= *dc*. Recta igitur PD per centrum *d* trianguli *abc* transit, cui ob æqualitatem obliquarum P*a*, P*b*, P*d* perpendiculariter insistit. Sed eadem recta planum ABC in centro sub angulis rectis permeat (§ 8) : ergo plana *abc* et ABC sunt parallela.

Exinde eadem, qua in dodecaëdro circumscribendo usi sumus ratione (§ 28), demonstrare possumus, si exoctaëdri triangula et pariter icosaëdri octo hedræ illis parallelæ utrimque ad mutuam intersectionem fuerint productæ, polyedra efficienda esse similia; illa autem in octaëdrum circumscriptum concurrunt (§ 15); hæ igitur octaëdrum quoque regulare conficient.

Hinc veram habemus rationem icosaëdri octaëdro circumcingendi, producendo nimirum illas acto icosaëdri hedras donec sibi occurrant, vel plana per illas ducendo. Hedræ illæ sine operosa demonstratione exhiberi possunt; quarum nempe quatuor *aic*, *cbe*, *bfg* et *gah* (fig. 12) contiguas *abc* et *abg* in quadrato ACDE concurrentes circumdant, quoniam subjectæ triangulis quatuor illud quadratum ambientibus censentur; reliquæ autem prioribus parallelæ sint oportet.

§ XXXIII.

Per singulos exoctaëdri vertices A, B, C, D, E, F, G, etc., (fig. 13) duc plana duodecim icosaëdri inscripti (§ 31) hedris parallela, quæ illis subsunt. Ejusmodi planum esto *bcd* per verticem G ad suppositum icosaëdri triangulum MNO paral-

lelum : ad illud e centro P icosaëdri inscripti (quod cum exoctaëdri centro congruere ex eo manifestum est, cum illius vertices omnes in exoctaëdri diagonalibus ita sint constituti, ut ab ejus centro æquidistent) ex isto inquam centro per vertices M, N, O emittantur radii PM, PN, PO, donec satis producti per planum *bcd* in *d*, *c*, *b*, pervadant, inde ex conjunctis *db*, *bc*, *cd* triangulum enascetur *dbc* æquilaterum, utpote simile triangulo NNO ob *db* ad MN, *bc* ad NO et *cd* ad OM necessario parallelas.

Porro denotantibus L et K diagonalium DF et GI media puncta, agantur PL, PG, NL et GK : quibus oriuntur triangula PQL et QNG ob parallelas KG et PL similia (§ 8); unde

$$PQ : QG = PL : NG;$$

est autem NG minus segmentum ex KG = PL (§ 31); ergo etiam QG minus ex PQ (§ 19, 1°). Quum vero rectæ P*b* et PG in N et Q eadem ratione dividantur plano MNO ad *dbc* parallelo, sequitur esse

$$PQ : QG = PN : Nb = PM : Md = PO : Oc;$$

ergo N*b*, M*d*, O*c* minora radiorum PN, PM, PO sunt segmenta.

Eadem ratione invenientur cæteri icosaëdri inscripti radii, ad reliqua plana duodecim modo laudata extensi; in singulis triangulum æquilaterum et æquale triangulo *dbc*, ob æqualem a centro P distantiam denotatur : quo fit, ut illa triangula in duodecim illis radiis sese intersecent eodem prorsus ordine, quo icosaëdri inscripti hedræ, quibus sunt parallelæ : ergo

illæ supra quodlibet exoctaëdri triangulum aliud intercipient sibi æquale, quibuscum icosaëdrum simul terminant *abc defgh*....... quod circumscriptum haberi potest, esti duodecim tantummodo illius triangula exoctaëdrum attingant.

§ XXXIV.

Parallelæ MN et *db* præstant

$$db : MN = PN + Nb : PN;$$

atqui invenimus Nb minus segmentum ex PN; ergo $Nb = \frac{3-\sqrt{5}}{2}$ PN; (§ 26) indeque

$$db : MN = PN + \frac{3-\sqrt{5}}{2} PN : PN = 5-\sqrt{5} : 2.$$

Hinc (§ 31)

$$db = \frac{(5-\sqrt{5})\,MN}{2} = \frac{(5-\sqrt{5})(\sqrt{5}-1)\,AB}{2\sqrt{5}}$$

$$= \frac{3\sqrt{5}-5}{\sqrt{2}}\,AB,$$

ubi AB exoctaëdri, *db* circumscripti icosaëdri aciem designat.

CAPUT VII.

Sphæra inscripta et circumscripta.

§ XXXV.

Sphæra, quæ e centro exoctaëdri radio æquali illius aciei per $\sqrt{2}$ divisæ describitur, ejusdem quadrata singula tanget; ille enim valor est magnitudo perpendiculorum de illo centro ad has hedras demissorum, quæ earumdem hedrarum dimidias diagonales æquant (§8). Eadem sphæra exoctaëdri triangula non attinget, quum hæc pro acie, per $\frac{\sqrt{2}}{3}$ multiplicata, a centro distent (§9), quæ distantia præcedente evidenter major. Sphæra igitur hoc modo obtenta exoctaëdro inscripta esse videtur. Circumscriptam vero juxta § 7 acquires, si de eodem centro radio æquante ipsam exoctaëdri aciem descripseris.



PARS ALTERA.

DE ICOSIDODECAËDRO.

CAPUT I.

CONSTRUCTIO ET PRÆCIPUÆ PROPRIETATES.

§ XXXVI.

CUNCTIS dodecaëdri regularis ABCDEFGHIKLMNO.... (fig. 17) lateribus AB, BC, CD, etc., in punctis *a*, *b*, *c*, etc. bifariam sectis, si per terna puncta *a*, *b*, *c*, etc., quæque proxima *a*, *b*, *g*; *b*, *h*, *k*; *c*, *d*, *i*, etc., plana agantur *abg*, *bhk*, *cdi*, etc., quibus omnes dodecaëdri solidi anguli pyramidibus *agb*B, *bhc*C, *cid*D, etc., tolluntur : quod ubi factum fuerit, solidum remanebit polyedrum *abcdefghiklmnopqrstu*..... sub duobus et triginta hedris comprehensum, scilicet sub pentagonis duodecim *abcde*, *eklmf*, *fnoga*, etc., singulis dode-

caëdri hedris duodecim ex constructione ita manifesto inscripta, ut regularia sint et æqualia, ac sub triangulis viginti *agb*, *bhc*, *cid*, etc., ex ablatis viginti dodecaëdri solidis angulis effecta; quæ omnia sua latera cum illis pentagonis habent communia, indeque æquilatera sunt et mutuo æqualia. Hoc polyedrum, quale integrum exhibet figura 15, *Icosidodecaëdri* nomen ab hedrarum numero traxit.

§ XXXVII.

Ut acierum AB et *ab* rationem elicias, ductam accipe diagonalem AC, qua oriuntur triangula aBb et ABC, ob AB $= BC$ et $aB = \frac{AB}{2}$, $Bb = \frac{BC}{2}$ similia, quapropter

$$ab : AC = aB : AB = 1 : 2,$$

unde $AC = 2ab$; est autem latus AB majus segmentum diagonalis AC; ergo $AB = \frac{(\sqrt{5}-1)}{2} AC$: et vicissim $AC =$ $\frac{2AB}{\sqrt{5}-1}$; ergo $\frac{2\,AB}{\sqrt{5}-1} = 2ab$; hinc colligitur et

$$AB = (\sqrt{5}-1)\,ab.$$

§ XXXVIII.

Idem polyedrum ab icosaëdro regulari ABCDEFGH IKL....... (fig. 19) eodem prorsus modo deduces: nimirum illius aciebus AB, AD, AF etc. in *a*, *b*, *c* etc bifariam

quoque divisis, bina quæque vicina divisionum puncta rectis lineis *ab*, *bc*, *cd* etc. copula. Hac ratione solidum delineabis *abcdefghiklm*.......... cujus superficies viginti componitur triangulis æquilateris et æqualibus *efa*, *aib*, *bmc* etc., quæ singulis icosaëdri hedris sunt inscripta : atque insuper pentagonis duodecim *abcde*, *afghi*, *iklmb* etc. quæ illorum triangulorum lateribus unum sub quolibet icosaëdri solido angulo definita sunt. Unde jam liquet, illorum latera omnia esse æqualia : singulum insuper *abcde* planum et æquiangulum reperies, non oblitus, ejus latera *ab*, *bc*, *cd*, *de*, *ea* ideoque ex constructione ad BD, DF, FH, HK, KB parallela esse; pentagonum vero BDFHK ex icosaëdri natura planum esse et regulare : quamobrem planum est pariter *abcde* illi parallelum et cum eo angulis mutuo æqualibus præditum, id est, æquiangulum (Conf. Legendre Géom. append. aux liv. VI et VII, prop. 2, et liv. V, prop. 14).

Solidum igitur *abcdefghiklm*......... sub viginti triangulis æquilateris et æqualibus, et duodecim pentagonis regularibus æqualibus comprehenditur : quæ eumdem ordinem, cui hedræ icosidodecaëdri, § 36 constructi, obediunt, sequuntur, ut nempe quodlibet pentagonum quinque triangulis cingatur : ergo illud icosidodecaëdri quoque est natura præditum.

§ XXXIX.

Icosidodecaëdri acierum numerus formula $\frac{12 \times 5 + 20 \times 3}{2} = 60$ exhibetur, angulorum vero solidorum $\frac{12 \times 5 + 20 \times 3}{4} = 30$; quod facile perspicitur, cum hedrarum pentagonarum summa laterum itemque angulorum sit 12×5, et triangularium 20×3, quodvis autem latus polyedri tanquam acies, binis hedris commune, et ad formationem cujuslibet anguli solidi quatuor conspirent plani hedrarum anguli.

§ XL.

Præcendentes constructiones cum cognita dodecaëdri et icosaëdri regularium natura qui comparaverit, facillime icosidodecaëdri proprietates sibi poterit informare : e quibus, præter acierum æqualitatem, ea in primis notanda est, cujus vi cuilibet hedræ tum pentagonæ ABCDE (fig. 15) tum triangulari AGB alia opponitur parallela; illi KLMNO; huic vero NMP. Nam hedræ in dodecaëdri pentagonæ, triangulares in icosaëdri hedris versantur; quarum in utroque horum polyedrorum regularium binæ quævis oppositæ sunt parallelæ.

§ XLI.

Icosidodecaëdri quivis angulus solidus *baimcb* (fig. 19) concursu quatuor planorum producitur, scilicet triangulorum duorum *abi*, *cbm*, totidemque pentagonorum *ibmlk*, *abcde*: priorum inclinatio eadem est, quæ hedris icosaëdri regularis, posteriorum, quæ hedris autem dodecaëdri regularis invicem convenit : hinc jam concludi potest, omnes icosidodecaëdri angulos solidos invicem esse æquales.

Illud autem clarius in lucem prodibit, si hisce rationibus additum fuerit, triangulorum *aib*, *bmc*, latera *ai* et *mc* lateri AD icosaëdri generantis, ideoque inter se parallela esse, ut eorum situs mutuus omnino sit stabilitus hincque etiam situs pentagonorum *ibmlk* et *abcde*.

§ XLII.

Perspicuum est icosaëdri hedras cum similibus dodecaëdri et icosidodecaëdri hedris, quibus inscriptæ sunt, concentricas esse; unde recte concludi potest, distantiam centralem binarum quarumvis hedrarum pentagonarum et triangularium vicinarum eamdem esse. Prior enim eadem est, quæ in dodecaëdro, posterior quæ in icosaëdro inter centra binarum hedrarum adjacentium existit.

Sint α et β (fig. 17) centra pentagonorum *afnog* et *gpqhb*

contiguorum icosidodecaëdri *abcdefghikl*......, quæ communia sunt hedris AHIKB, et BKLMC dodecaëdri componentis ABCDEFGH (§ 36). Duc rectas $\alpha\beta$, HM et de punctis H et M demitte perpendicula ad latus KB, quæ ex pentagonorum AHIKB et BKLMC æqualium natura erunt $H\alpha g$ et $M\beta g$ æqualia, in punctum g medium KB incidentia et per centra α, β pervadentia, cum sit $\alpha g = g\beta$. Hinc similia sunt triangula HgM et $\alpha g\beta$, indeque

$$\alpha\beta : HM = \alpha g : Hg \ldots\ldots (1).$$

Porro emitte $A\alpha o$ aliud simile perpendiculum ex A ad dimidium latus IK in o, quo obtinebis triangula $H\alpha A$ et $o\alpha g$ etiam similia, ob og parallelam ad IB, parallelam ad HA (§ 37), atque quoniam

$$\alpha g : \alpha H = og : HA$$

et

$$\alpha g : \alpha H + \alpha g = og : HA + og$$

vel

$$\alpha g : Hg = og : HA + og.$$

Est autem HA dodecaëdri, og icosidodecaëdri acies; ergo $HA = (\sqrt{5} - 1)\, og$ (ibid); e quo sequitur esse

$$\alpha g : Hg = og : (\sqrt{5} - 1)\, og + og$$
$$= 1 : \sqrt{5} \ldots\ldots\ldots\ldots\ldots (2);$$

qua proportione cum (1) collata, prodit

$$\alpha\beta : HM = 1 : \sqrt{5};$$

atqui $HM = \dfrac{2\, AB}{3 - \sqrt{5}}$; (§ 27, 1°) ergo

$$\alpha\beta : 2\, AB = 1 : \sqrt{5},$$

ideoque

$$\alpha\beta = \frac{2\ AB}{\sqrt{5}(3-\sqrt{5})} = \frac{2\ AB}{3\sqrt{5}-5},$$

ac denique loco AB valore $(\sqrt{5}-1)\ ab$ introducto, emergit

$$\alpha\beta = \frac{2(\sqrt{5}-1)\ ab}{3\sqrt{5}-5} = \frac{4ab}{5-\sqrt{5}},$$

qua æquatione ratio exhibetur distantiæ centralis $\alpha\beta$ binorum quorumvis pentagonorum contiguorum ad aciem ab.

§ XLIII.

Hic obiter oblatam arripiamus, quæ nobis mox proderit, occasionem computandi distantiam $H\alpha$ verticis H a centro α in pentagono regulari quocumque HIKBA. E proportione $\alpha g : Hg = 1 : \sqrt{5}$, (§ præc. (2)), elicitur

$$\alpha g = \frac{Hg}{\sqrt{5}},$$

sed est $H\alpha = Hg - \alpha g$; ergo

$$H\alpha = Hg - \frac{Hg}{\sqrt{5}} = \frac{(\sqrt{5}-1)\ Hg}{\sqrt{5}}.$$

Porro, ducta HB, erit

$$\overline{Hg}^2 = \overline{HB}^2 - \overline{gB}^2;$$

atqui diagonalis HB majori gaudet segmento lateris AB, ergo (§ 29)

$$AB = \frac{\sqrt{5}-1}{2}.\ HB,$$

et HB $= \frac{2\ AB}{\sqrt{5}-1}$: præterea $gB = \frac{kB}{2} = \frac{AB}{2}$; unde

$$\overline{Hg}^2 = \frac{4\ \overline{AB}^2}{(\sqrt{5}-1)^2} - \frac{\overline{AB}^2}{4} = \frac{(16-(\sqrt{5}-1)^2)\ \overline{AB}^2}{4(\sqrt{5}-1)^2};$$

itaque

$$Hg = \frac{\sqrt{(16-(\sqrt{5}-1)^2)}\ AB}{2(\sqrt{5}-1)};$$

quo valore in æquatione superiore pro Hg substituto, acquiritur

$$H\alpha = \frac{(\sqrt{5}-1)\ \sqrt{(16-(\sqrt{5}-1)^2)}\ AB}{\sqrt{5} \times 2(\sqrt{5}-1)},$$

quæ æquatio reducitur ad

$$H\alpha = \frac{\sqrt{(10 + 2\sqrt{5})}\ AB}{2\ \sqrt{5}}.$$

§ XLIV.

Ut parem centrorum α, β, triangulorum *aib* et *bmc* (fig. 19) distantiam $\alpha\beta$ acquiras, age rectas bB et bF, quæ sunt evidenter æquales et perpendiculæ ad AD, quoniam BDA et ADF duæ sunt icosaëdri regularis hedræ, et AD in b dimidiatum est (§ 38); hæ insuper perpendiculares triangulis BDA et ADF communes, quibus inscribuntur *aib* et *bmc*, per centra α, β transibunt; sic ut habeantur $\alpha b = b\beta = \frac{Bb}{3} = \frac{bF}{3}$.

Exinde, junctis BF, enascentur triangula BbF et $\alpha b \beta$ similia, quæ præbent

$$\alpha\beta : BF = \alpha B : \alpha b = 1 : 3.$$

At BF, pentagoni regularis BDFHK diagonalis, media et extrema ratione divisa majus continet segmentum ejusdem pentagoni latus KH = AB; ergo AB $= \frac{(\sqrt{5}-1)}{2}$ BF (§ 29); et BF $= \frac{2\ AB}{\sqrt{5}-2}$: $= \frac{2.\ 2\ ab}{\sqrt{5}-1} = \frac{4ab}{\sqrt{5}-1}$; quia ex icosidodecaëdri constructione (§ 38) est manifesto AB = $2ab$: itaque

$$\alpha\beta : \frac{4\ ab}{\sqrt{5}-1} = 1 : 3;$$

indeque

$$\alpha\beta = \frac{4\ ab}{3\ (\sqrt{5}-1)}.$$

§ XLV.

Esto Q (fig. 17) centrum dodecaëdri ABCDEFG....... icosidodecaëdrum *abcdefghikl*...... generantis (§ 36), ex quo ad illius vertices A, B, C rectæ excitentur QA, QB, QC æquales, pariterque ad *a* et *b* icosidodecaëdri vertices et laterum AB, BC, media (ibid), emittantur Q*a* et Q*b*; quibus peractis triangula quatuor exorta QA*a*, Q*a*B, QB*b* et Q*b*C in *a* et *b* rectangula atque invicem penitus æqualia esse facile intelligitur; unde Q*a* = Q*b*.

Eodem quo factum est modo reperies distantiam centri Q a quolibet alio icosidodecaëdri vertice; indeque sola argumentandi ratione, veluti § 7 traditum est, deduces perpendicula de hoc centro Q ad icosidodecaëdri hedras in earum media concidere, quæ pro quavis earum specie seorsim inter se sunt æqualia. Qua re intelligitur punctum Q icosidodecaëdri centrum esse.

§ XLVI.

Quæ cum ita sint, determinare possumus distantiam centri Q icosidodecaëdri ab ejus verticibus itemque ab hedris et pentagonis et triangularibus.

Quod ad primam Qa attinet, illam (in § 27, 2°) jam invenimus æqualem $\frac{AB}{3-\sqrt{5}}$; est enim recta quæ dodecaëdri centrum Q cum medio ejus latere AB copulat: ergo $Qa = \frac{AB}{3-\sqrt{5}} = \frac{(\sqrt{5}-1)\,ab}{3-\sqrt{5}} = \frac{2\,ab}{\sqrt{5}-1}$, valore AB ex § 37 recepto.

§ XLVII.

Intervallum $Q\beta$ centri Q a quolibet pentagono æquale est $\frac{ab}{\sqrt{(5-2\sqrt{5})}}$. Ductis enim gQ et $g\beta$, triangulum oritur

$Qg\beta$ in β rectangulum in quo habetur

$$\overline{Q\beta}^2 = \overline{Qg}^2 - \overline{g\beta}^2.$$

Inventæ autem sunt $Qg = \frac{2\,ab}{\sqrt{5}-1}$ (§ præc.), sive etiam $Qg = \frac{4\,ab}{6-2\sqrt{5}} = \frac{2\,ab}{3-\sqrt{5}}$; atque $g\beta$, qua centrum β pentagoni regularis $bgpqh$ cum vertice g copulatur, æqualis $\frac{\sqrt{(10+2\sqrt{5})}\,gb}{2\sqrt{5}} = \frac{\sqrt{(10+2\sqrt{5})}\,ab}{2\sqrt{5}}$; (§ 43), unde $\overline{g\beta}^2 = \frac{(10+2\sqrt{5})\,\overline{ab}^2}{20} = \frac{2\,\overline{ab}^2}{5-\sqrt{5}}$. Quibus substitutis valoribus æquatio superior abit in hanc

$$\overline{Q\beta}^2 = \frac{2\,\overline{ab}^2}{3-\sqrt{5}} - \frac{2\,\overline{ab}^2}{5-\sqrt{3}} = \frac{\overline{ab}^2}{5-2\sqrt{5}},$$

e qua denique deducitur

$$Q\beta = \frac{ab}{\sqrt{(5-2\sqrt{5})}}.$$

§ XLVIII.

Haud secus, si fuerit centrum Q cum medio x trianguli agb junctum, ducta gx prodibit triangulum Qxg in x rectangulum (§ 45), e quo colligitur

$$\overline{Qx}^2 = \overline{Qg}^2 - \overline{gx}^2.$$

Sed est centrum x trianguli regularis agb in perpendiculari gR ad medium ab, atque $gx = \frac{2}{3} gR$: hinc $\overline{gR}^2 = \overline{ag}^2 - \overline{aR}^2 = \overline{ab}^2 - \frac{\overline{ab}^2}{4} = \frac{3\overline{ab}^2}{4}$, atque $\overline{gx}^2 = \frac{4}{9} \overline{gR}^2 = \frac{4}{9} \cdot \frac{3}{4} \overline{ab}^2 = \frac{\overline{ab}^2}{3}$: invenimus demum $Qg = \frac{2\, ab}{3 - \sqrt{5}}$ (§ præc.) : ergo $\overline{Qx}^2 = \frac{2\, \overline{ab}^2}{3 - \sqrt{5}} - \frac{\overline{ab}^2}{3} = \frac{(3 + \sqrt{5})\, \overline{ab}^2}{3\,(3 - \sqrt{5})} = \frac{(3 + \sqrt{5})^2\, \overline{ab}^2}{12}$, indeque

$$Qx = \frac{(3 + \sqrt{5})\, ab}{\sqrt{12}},$$

ubi Qx icosidodecaëdri distantiam centralem a qualibet hedra triangulari, ab ejusdem aciem denotat.

CAPUT II.

DODECAËDRUM INSCRIPTUM ET CIRCUMSCRIPTUM.

§ XLIX.

Proponatur icosidodecaëdrum ABCDEFGHIK...... (fig. 16), in quod dodecaëdrum regulare est inscribendum. Hedrarum omnium triangularium EFA, AGB, etc., centra $a, b, c, d, e, f, g, h, i, k, l, m, n, o, p$, etc., notentur, quorum bina quæque proxima rectis copulentur ab, bc, cd, de, etc.; eædem rectæ singulis icosidodecaëdri pentagonis ABCDE aliud

simile efficiunt $abcd$ parallelum. Quod ut probetur, excitentur rectæ BaL, BbM, perpendiculares æquales (ut jam observavimus) ad AG, CH, quæ in punctis L, M ab illis bifariam secantur, cum sit Ba = Bb. Ducta igitur LM prodibunt triangula LBM et aBb similia; ergo ab parallela ad LM, quæ ipsa parallela est ad AC; nam acies AG et HC sunt parallelæ (§ 41). Est autem hæc pentagoni regularis ABCDE natura, ut diagonalis AC lateri ED sit parallela; ergo parallelæ ab et ED habentur.

Eadem ratione invenientur bc ad AE, cd ad AB, de ad BC, et ea ad CD parallelæ. Hinc et ex eo quod rectæ ab, bc, cd, etc., omnes sunt invicem æquales (§ 44), facile eruitur, pentagonum $abcde$ planum esse parallelum ad ABCDE, huic simile atque ideo regulare. Item se habet $aefgh$ ratione pentagoni GF habita; $ahikb$ respectu pentagoni GH, etc., et sic sub quocumque icosidodecaëdri pentagono descriptum reperies aliud ipsi parallelum et simile, id est, regulare; ergo rectæ ab, bc, cd, etc., concurrunt ad formanda pentagona duodecim regularia $abcde$, $efgha$, etc., quorum singulum latus duobus pentagonis est commune, et quæ idcirco, dodecaëdrum $abcdefghiklmnop$...... regulare inscriptum amplectentia æqualia sunt; cujus acies (§ 44)

$$ab = \frac{4AB}{3(\sqrt{5}-1)}.$$

§ L.

Dodecaëdri ABCDEFGHIKLMNOP...... (fig. 17), quo icosidodecaëdrum generatur (§ 36), hedris omnibus hujus pentagona circumcinguntur; ergo ei circumscriptum deprehenditur. Proposito igitur icosidodecaëdro *abcdefghikl*......... dodecaëdrum circumscribes, si circa ejus quodvis pentagonum *abcde* aliud simile efformaveris ABCDE, cujus latera illius lateribus sint parallela; plane enim ex constructione § 36 intelligitur, rectas *ab*, *bc*, *cd*, *de*, *ea* diagonalibus AC, BD, CE, DA, EB indeque lateribus DE, EA, AB, BC, CD mutuo parallelas esse.

Quod ad acierum rationem attinet, habetur (ibid.)

$$AB = (\sqrt{5} - 1)\, ab.$$

CAPUT III.

ICOSAËDRUM INSCRIPTUM ET CIRCUMSCRIPTUM.

§ LI.

In icosidodecaëdro ABCDEFGHIK (fig. 18) centrum *a* cujusvis hedræ pentagonæ ABCDE cum centris *b*, *c*, *d*, *e*, *f* pentagonorum quinque ambientium AF, BG, CH, DI, EK rectis *ab*, *ac*, *ad*, *ae*, *af* copula. Eædem rectæ juxta § 42 inter se æquales, circa singulum centrum *a* quinque triangula æquilatera et æqualia *abc*, *acd*, *ade*, *aef*, *afb*; ideoque circa

duodecim centra a, b, c, etc., ejusmodi triangula $\frac{5 \times 12}{3} = 20$ intercipiunt, quoniam quodlibet abc ad tria ex illis centris a, b, c, pertinere debet. Inde patet, eis rectis icosaëdrum regulare *abcdefghikl*......... circumscribi, cujus vertices duodecim a, b, c, d etc., quod ideo inscriptum est.

Habetur acies $ab = \frac{4\ AB}{5 - \sqrt{5}}$ (§ 42).

§ LII.

Icosidodecaëdrum *abcdefg*...... (fig. 19) in icosaëdro ABCDEFG....ita construximus (§ 38), ut ab hoc illud manifesto circumscribatur, singulis ejus hedris ADB, ADF etc. icosidodecaëdri triangulares omnes *aib*, *bmc* etc. circumdantibus, cum lateribus AB, BD, DA etc mutuo parallelis ad *ib*, *ba*, *ai* etc., quorum dupla sunt.

CAPUT IV.

Octaëdrum inscriptum et circumscriptum.

§ LIII.

Icosidodecaëdrum in dodecaëdri circumscripti octaëdri (§ § 50 et 36) mediis lateribus suos habet vertices : dodecaëdro inscripti in iisdem pariter vertices siti sunt (§ 27, 3°): unde

consequens est, octaëdri quod dodecaëdro, icosidecaëdrum circumscribenti, inscriptum est, singulos sex vertices in totidem icosidodecaëdri verticibus infixos, ideoque octaëdrum huic et ipsum inscriptum esse.

Proposito igitur icosidodecaëdro LMNO (fig. 20) qui octaëdrum inscribere cupit, illi primum dodecaëdrum circumscribat (§ 50), cujus sex eligat acies, ordine § 27, 3° indicato inter se dispositas; earumque media puncta, cum sex icosidodecaëdri verticibus, A, B, C, D, E, F, rectis AB, BC, CD, etc., connectat; qua ratione desideratum obtinebit octaëdrum ABCDEF, cujus acies AB æquabit dodecaëdri circumscripti aciem factore $\frac{3-\sqrt{2}}{\sqrt{2}}$ (ibid.), adeoque ipsius icosidodecaëdri aciem factore $\frac{\sqrt{2}\,(\sqrt{5}-1)}{3-\sqrt{5}}=\frac{2\sqrt{2}}{\sqrt{5}-1}$ multiplicatam; nam illius acies ad hujus se habet sicut $\sqrt{5}-1$ ad 1 (§ 50).

Cæterum vertices A, B, C, D, E, F absque dodecaëdri auxilio etiam obtineri possunt; sunt enim manifesto seni icosidodecaëdri vertices a se invicem æqualiter remoti.

Octaëdri autem hedris ABC, CDE, etc., icosidodecaëdri superficies intersecari non potest, cum hoc ejusdem convexitati prorsus adversaretur.

§ LIV.

Icosidodecaëdri quatuor assume triangula *agf*, *bhi*, *dkl*, *emn* (fig. 21), quæ duo contigua *abc* et *cde* ambiunt, atque simul quatuor ipsis mutuo parallela (§ 40), quæ si ad communem intersectionem produxeris, octaëdrum enascetur regulare circumscriptum ABCDEF. Omnium enim icosidodecaëdri triangulorum plana eadem sunt, in quibus hedræ icosaëdri circumscripti jacent (§ 52); atque octaëdrum efformari vidimus concursu octo talium icosaëdri hedrarum (§ 32).

Acies comparandi gratia, de centro P, icosidodecaëdri, octaëdro tuto communi, demitte perpendiculum PN ad triangulum *bhi*, quod in hedram octaëdri ABC extenditur. Inde junctis *b*N, AN, emergent æquationes :

$$\overline{PN}^2 = \overline{PA}^2 - \overline{AN}^2 = \overline{Pb}^2 - \overline{bN}^2 ;$$

unde

$$\overline{PA}^2 - \overline{AN}^2 = \overline{Pb}^2 - \overline{bN}^2 .$$

Est autem N triangulorum regularium *bhi* et ABC centrum; ergo $\overline{bN}^2 = \frac{\overline{bh}^2}{3}, = \frac{\overline{ab}^2}{3}, = \overline{AN}^2 = \frac{\overline{AB}^2}{3}$ (§48); atque insuper invenimus $Pb = \frac{2\,ab}{\sqrt{5}-1}$ (§ 46); unde $\overline{Pb}^2 =$

$\frac{4\,\overline{ab}^2}{6-2\sqrt{5}} = \frac{2\,\overline{ab}^2}{3-\sqrt{5}}$, et notum est esse PA quadrati ABFD semidiagonalem, itaque $\overline{PA}^2 = \overline{AB}$. Hisce valoribus substitutis æquatio superior transformabitur in hanc

$$\frac{\overline{AB}^2}{2} - \frac{\overline{AB}^2}{3} = \frac{2\,\overline{ab}^2}{3-\sqrt{5}} - \frac{\overline{ab}^2}{3},$$

qua denuo conducimur ad hanc novam

$$AB = \sqrt{(7+3\sqrt{5})}\,ab.$$

CAPUT V.

CUBUS INSCRIPTUS ET CIRCUMSCRIPTUS.

§ LV.

Dodecaëdri inscripti (§ 49) singuli vertices icosidodecaëdri mediis triangulis insident; si igitur hujus binorum triangulorum vicinorum *abc*, *cde* (fig. 22) centra L, M recta LM, itemque circumjacentium quatuor *bhi*, *kld*, *afg*, *emn* centra D et C, A et B rectis DC et AB colligaveris; sunt LM illius dodecaëdri acies, DC et AB duæ diagonales pentagonorum super LM constitutorum, illi parallelæ : hinc patet centra D, C, A, B et opposita quatuor E, F, G, H, (centra nempe triangulorum quatuor illis parallelorum) octo eos

dodecaëdri inscripti vertices esse, qui cubum ABCDEFGH ipsi inscriptum recipiant (§ 30), quod icosidodecaëdro etiam profecto inscriptum est.

Habetur AB æqualis aciei dodecaëdri factore $\frac{(\sqrt{5}-1)}{2}$ multiplicatæ (ibid.), ergo (§ 49),

$$AB = ab \times \frac{\sqrt{5}-1}{2} \times \frac{4}{3(\sqrt{5}-1)} = \tfrac{2}{3}\, ab.$$

§ LVI.

Sint a, b, c, d, e, f (fig. 23) iidem sex icosidodecaëdri vertices, quos in octaëdro inscribendo usurpavimus (§ 53), et quæ sibi adversantur a et f, b et d, c et e, illa rectis af, bd, ce copula. Deinde super lateribus cuivis illarum rectarum af æqualibus quadrata sex efforma ABCD, CDEF, etc., quorum bina quæque ABCD, EFGH alicujus harum rectarum af extremis a, f, uti centris, illi perpendiculariter appone, ut eorum latera BC, AD, GF, HE parallela sint ad aliam earumdem rectarum bd. Hac ratione cubum obtinebis ABCDEFGH, icosidodecaëdro circumscriptum, cujus acies $AB = \frac{4ab}{\sqrt{5}-1}$.

Observato enim icosidodecaëdri vertices omnes in mediis circumscripti dodecaëdri (§ 50) lateribus inniti (§ 27, 4°), manifestum fit, constructione nostra nos ad cubum, illi dodecaëdro, adeoque etiam ipsi icosidodecaëdro, circumscriptum conduci.

Eodem in loco reperies hujus cubi aciem AB æqualem esse aciei dodecaëdri ductæ in factorem $\frac{2}{3-\sqrt{5}}$: est autem hæc ipsa æqualis ($\sqrt{5}-1$) ab (§ 50) : ergo

$$AB = \frac{2(\sqrt{5}-1)\,ab}{3-\sqrt{5}} = \frac{4ab}{\sqrt{5}-1}.$$

CAPUT VI.

Tetraëdrum inscriptum et circumscriptum.

§ LVII.

Inter icosidodecaëdri vertices octo, qui cubum admittunt inscriptum (§ 55) quatuor selige diagonaliter oppositos A, B, C, D (fig. 24), qui rectis inter se conjuncti tetraëdrum efficiunt ABCD manifesto inscriptum et regulare, quandoquidem omnia ejus latera illius cubi sunt diagonales. Inde AB æqualis aciei inscripti cubi per $\sqrt{2}$ multiplicatæ reperitur, quare æqualis aciei icosidodecaëdri in $\frac{2\sqrt{2}}{3}$ ductæ (§ 55).

§ LVIII.

Si octaëdri ABCDEF (fig. 25) proposito icosidodecaëdro circumscripti (§ 54) hedris quatuor oppositis CBD, ACE, ABF et FED, triangula similia LMN, LNO,

OLM et MNO inscribuntur, quorum latera illorum lateribus mutuo sint parallela, hisce tetraëdrum enasci LMNO, octaëdro ABCDEF, ideoque etiam icosidodecaëdro, quod ab illo incliditur (§ 54), circumscriptum, collato § 17, quisque facile perspiciet.

Habetur hujus tetraëdri acies LM octaëdri aciei dupla, ergo æqualis ipsius icosidodecaedri aciei, factore $2\sqrt{(7+3\sqrt{5})}$ multiplicatæ (§ 54).

CAPUT VII.

SPHÆRA INSCRIPTA ET CIRCUMSCRIPTA.

§ LIX.

Denotante *ab* icosidodecaëdri aciem, est illius solidi centri distantia a singulis verticibus $= \frac{2ab}{\sqrt{5}-1}$ (§ 46), a pentagonis $= \frac{ab}{\sqrt{(5-2\sqrt{5})}}$ (§ 47) eadem est et a triangulis æqualis $\frac{(3+\sqrt{5})}{\sqrt{12}}$ *ab* (§ 48). Primus itaque horum valorum sphæræ circumscriptæ radium, et reliqui radium sphæræ inscriptæ suppeditant: ille enim est tertio manifesto minor.

TANTUM.

Fig. 2.




Fig. 3.




Fig. 5.




Fig. 6.




Fig. 9




Fig. 10




Fig. 12




Fig. 13




Fig. 15.




Fig. 17




Fig. 16









Fig. 18





Fig. 21.
C
F
i
k
h
l
N
P
D
b
d
e
f
a
A
c
m
g
n
E


Fig. 22.
E
F
i
k
h
l
D
C
d
b
H
G
L
M
c
e
f
a
m
A
B
g
n


Fig. 24
B
D
C


Fig. 25.
M
B
L
F
D
A
C
O
E
N



XII.

LUDOVICI JOSEPHI DELWARDE

RESPONSIO

AD QUAESTIONEM JURIDICAM.

LUDOVICI JOSEPHI DELWARDE

NINOVENSIS

IN ACADEMIA LOVANIENSI JURIS CANDIDATI

RESPONSIO

AD QUAESTIONEM AB ORDINE JURECONSULTORUM PROPOSITAM :

Quid sit exceptio rei venditae et traditae, quae ejus fundamenta, qui effectus, cui et contra quem detur, quisnam sit ejus usus in actione Publiciana? Singula responsa confirmentur tum ex textibus Juris Romani, tum a Ratione, denique elucidentur Decisiones circa hanc exceptionem notatu digniores, quae in eodem jure sparsim inveniuntur.

QUAE PRAEMIO ORNATA EST ANNO MDCCCXXIII.

RESPONSIO

AD

QUAESTIONEM JURIDICAM.

INTRODUCTIO.

Quamquam Dominus rem suam a quocumque possessore (1) vindicare possit, fit tamen aliquando ut rei vindicatio quam intentat sit inutilis. Quod quidem toties contingit, quoties petitor suscepit obligationem efficiendi, ut res petita maneat penes possessorem; tunc enim ratio juris multo magis postulat ut teneatur ad rem ab eo non auferendam, qui casus,

(1) Non solum a possessore sed et a detentore rem suam vindicare potest, vid. L. 9. in fine. ff. *de rei vind.*; sed dum dicimus, a quocumque possessore vindicare posse, nomen *possessor* pro omni eo sumimus qui habet restituendi facultatem.

cum possit etiam in aliis negotiis contingere (1), frequentissime tamen occurrit in emptione venditione, quo contractu non est alius frequentior.

Scilicet ex contractu emptionis venditionis oritur obligatio rem tradendi, et plerumque (2) etiam venditor tenetur de evictione. L. 11. § 2. ff. de Action. Empt. Ex utraque hac venditoris obligatione sequitur obligatio rem non avocandi; in primis facile intelligimus eum qui tenetur ad rem tradendum multo magis teneri ad eamdem non avocandum. Ut autem intelligatur etiam ex obligatione praestandi evictionem, oriri obligationem non avocandi, animadvertendum est (3)

(1) Veluti si quis permutaverit rem, cujus eo tempore quo permutabat, Dominus non erat, sed deinde Dominium acquisivit, hanc rem avocare non poterit, ne obligationem suam violet, idem dicendum est de re donata a non Domino, sed cujus postea Dominus factus est. Sic etiam is, in cujus fundo superficies est, et soli et superficiei est Dominus, ita ut ipsi competat in rem actio adversus omnes possessores et detentores, sed repelletur, si adversus superficiarium experiatur, idque ideo quod se obligavit, ut pateretur eum superficiem habere.

(2) Dico plerumque tantum evictionem praestandam esse, notum est enim, actionem de evictione in quibusdam casibus cessare, veluti dum emptor sciens rem alienam emit, vel pactus est, ne venditor de evictione teneatur.

(3) Sunt casus, in quibus is qui de evictione tenetur, tamen non potest cogi ad defendendum emptorem; veluti dum fidejussor venditoris se pro evictione obligavit, videtur obligatus non esse ad defendendum emptorem, cujus rei ratio est, quod fidejussor, nisi aliud actum sit, videatur solummodo intervenire pro iis obligationibus, de quibus emptor periclitatur, non potest autem dici emptor in periculo esse, ne defendatur in possessione rei venditae, nam non praestita defensione, salva ipsi est, re ablata, actio de evictione, qua poterit consequi etiam a fidejussore, quanti sua interest, rem non fuisse evictam.

eum quocum de evictione agi potest, exceptis paucis casibus, obligatum esse ad defendendum emptorem. Quod si emptorem contra alios protegere, multo magis contra semet ipsum debet, nam contra alios non semper efficacem defensionem praestare potest, contra se vero semper potest desistendo nimirum ab actione (1).

Igitur his duabus obligationibus efficitur, ut venditor rem quam vendidit ab emptore avocare non possit, etiamsi eo tempore quo vendebat Dominus non fuerit et quo tempore agit, Dominus sit, sed in hac dissertatione de ea tantum obligatione non avocandi quae oritur ex obligatione tradendi sermo esse debet, seu quod idem est, tantum de exceptione rei venditae et traditae est agendum (2).

Praeterea plerumque continget, ut fidejussor prorsus ignorans, quibus defensionibus uti possit venditor, etiamsi emptorem defendere vellet, tamen sit incapax eumdem defendendi.

Quamquam fidejussor qui sine ulla alia stipulatione de evictione se obligavit, non teneatur ad defendendum emptorem, tamen in quibusdam casibus receptum est, ut non possit avocare rem, pro qua fidejussit, ne facto suo non stare videatur. L. 11. Cod. de Eviction.

(1) Hoc est quod vulgo dicunt : quem de evictione tenet actio, eumdem agentem multo magis repellet exceptio.

(2) Quod quidem attendendum est, nam si ea exceptio, quae oritur ex obligatione praestandi evictionem, etiam ad hanc materiam spectaret, de multis quaestionibus tractandum esset, quae nunc tamquam ad rem non pertinentes possunt praetermitti.

CAPUT I.

§ I.

REM *alienam distrahere quem posse, nulla dubitatio est*, dicit *J. C.* in Lege 28. ff. de Contrah. emp. vend., nam *Emptio est et Venditio.* Contingit non nunquam ut non Dominus, qui vendidit et tradidit rem, deinde Dominium ejusdem rei acquirat Sunt qui putant in hoc casu statim ac venditor Dominium acquirit, in emptorem Dominium hoc transire, seu Dominium ex eo tempore emptori adjici ex quo venditor Dominus factus est. Vid. Voet. ad Tit. *de exceptione rei venditae et traditae* in initio; sed haec sententia, tamquam rationi juris repugnans, admittenda non videtur, a quo enim tempore quaesitum fuit venditori Dominium plerumque nullum intervenit factum, ex quo colligi possit venditorem consensisse in ejus translationem. Verum quidem est, hic non requiri ad translationem Dominii traditionem proprie dictam, quum res jam sit penes eum in quem proprietas transferenda est. Vid. § 43. *Inst. de acquiren. rer. Dom.* et lege 8. ff. eodem, sed ficta nihilominus deberet intervenisse traditio, quae tamen intervenisse dici non potest, nisi saltem venditor declaraverit voluntatem suam. Praeterea si Dominium translatum esset, non esset opus emptori concedere exceptionem, ipso enim jure rem petere non

posset venditor. Objicietur fortasse si rem alienam pignori dedit debitor et deinde Dominus ejusdem fiat, pignus ipso jure convalescere, L. 41. ff. de Pignoratitia actione, sed in pignore hoc singulari jure receptum est, recipiendique ratio fuit, alias enim quum creditori nullum jus reale in re pignori data quaesitum esset, debitor ab eo tempore quo Dominium nactus esset, in praejudicium prioris creditoris aliis creditoribus pignus concedere, vel aliud jus reale transferre posset, quod certe non est verendum emptori rei alienae; ejusmodi enim emptori possidenti consultum est exceptione rei venditae et traditae, et, possessione amissa, actione publiciana. Praeterea etiamsi debitor, Dominium rei pignori datae nactus, alii eamdem rem pignori non dedisset, tamen plerumque creditor hypothecaria agere non posset. Dico *plerumque*, nam utili actione hypothecaria agere potuisset saltem in casu L. 18. ff. de pig. et hyp.

Quod si proprietas a venditore non recessit, consequens est, in rem actione ipsum experiri posse, sed inutilis fit haec actio si emptor excipiat contractum emptionis venditionis non pati ut rem venditam venditor auferat. Ex his intelligi potest, quaenam sit vis exceptionis rei venditae et traditae.

§ II.

Fundamentum hujus exceptionis est contractus emptionis venditionis, vi cujus venditor tenetur ad rem tradendum, unde si nondum tradidisset, emptor eum cogere posset ad tradendum, etiamsi eo tempore quo vendebat Dominus non esset, medio autem tempore Dominus factus sit. L. 46. ff. de

action. empti. qui vero alium cogere potest ad tradendum, necesse est ut is multo quidem magis impedire possit eundem quo minus avocet. Sed quare, qui tenetur ad rem tradendum, a fortiori tenetur eamdem non avocare? R. hoc ratio postulat et legibus cautum est; vid. leg. 156. § 1. ff. de reg. juris, in qua dicitur : *cui datur* actio, eidem *multo magis* exceptionem competere *quis dixerit*, idem habet L. 1. § 4. ff. de superficiebus, itaque facilius alicui conceditur retinere rem, quam petere; in hoc autem casu emptor posset agere ut rem emptam sibi traderet, L. 46. ff. de act. empti. ergo a fortiori eamdem retinere potest, opposita exceptione (1).

§ III.

Cum exceptio rei venditae et traditae fundetur in eo quod aequum non sit ut venditor recedat ab obligatione quam suscepit, et nemo ad implendam obligationem ex contractu bilaterali compelli possit, nisi altera quoque pars sese paratam exhibeat ad satisfaciendum, sequitur exceptioni rei venditae et traditae non aliter esse locum quam soluto pretio; pretio enim non soluto, si emptor removere velit venditorem

(1) Si quaeras ulterius quare facilius detur retentio rei quam petitio? ratio esse videtur, quod is qui vult retinere rem nihil debeat probare, et defungatur negando actori jus competere, hoc est quod dicitur : jus actoris dumtaxat in judicium deduci; ei vero qui agit incumbit probatio, et actore non probante reus absolvitur et res apud possessorem manebit, propterea quod nulla detur ratio mutandi statum rerum. L. ult. cod. de R. V. *et possessor hoc ipso quod possidet, plus juris habet quam ille qui non possidet, nec jus suum probat.* Lib. 2. ff. *uti possidetis.*

hac de qua agimus exceptione, seu, quod idem est, propterea quod non stet contractui, replicabit venditor se non ante obligationi suae satisfacere debere, quam satisfecerit emptor. Hanç ob rem in pluribus legibus de industria addita esse videntur verba : *soluto pretio* vide leg. 72. ff. de rei vind. et leg. 2. ff. de exceptione rei vend. et trad. et L. 4. § 32. ff. de doli mali except. et Cujacium ad leg. 14. ff. de Publ. in rem actione, pag. 1386, edit. Lut. Paris. 1658. Dicendum tamen est, emptore offerente pretium, in rem actionem inutilem fieri, ex quo enim tempore offert pretium, non deest amplius obligationibus suis, ergo nec suis deesse ultra potest venditor.

Quod si venditor rei alienae fidem habuisset de pretio, et Dominium nactus, ante in rem ageret quam dies ad solutionem pretii praestitutus venisset, exceptioni rei venditae et traditae replicatio de non soluto pretio opponi non poterit; nam in hoc casu emptor non solvens pretium non videtur defuisse obligationibus suis.

§ IV.

Explicato fundamento exceptionis rei venditae et traditae, sequitur ut dicamus de ejus effectibus.

Animadvertendum est tum demum hanc exceptionem prodesse, si opposita sit, ita ut ab emptore omissa suppleri non possit officio judicis, et necessario sequatur condemnatio, ratio est, quod haec exceptio non sit juris, sed facti, ejusmodi autem exceptiones opponendae sunt. Vid. Cujacium loco

praecedenti §° laudato. Hanc ob rem JCti Romani loquentes de eo cujus Dominium obnoxium est exceptioni rei venditae et traditae, dicunt, eum ipso quidem jure in rem agere posse, sed exceptione summoveri, ideo etiam in lege 14. ff. de publ. in rem actione, dicitur fieri posse, ut res emptori auferatur, quod per ignorantiam non sit usus exceptione quam opponere potuisset.

Quod si quis hanc exceptionem opponere omiserit, non cessabit ideo actio de evictione, ita ut quidem in arbitrio emptoris sit, utrum rem velit retinere, aut re ablata de evictione agere, nec est attendendum, quod dicunt, dum emptoris culpa vel negligentia factum est, ut res evicta fuerit, eum de evictione agere non posse L. 55. ff. de evict., nam quamquam hoc generaliter verum sit, in hoc tamen casu locum non habet; nam si venditor, actione de evictione intentata, excipiat emptoris culpa rem fuisse evictam, emptor de dolo replicabit, cum vindicando rem quam ipse vendidit dolo egerit LL. 17. 18. 73 ff. de evict.

CAPUT II.

§ V.

Ex iis quae diximus de fundamento exceptionis rei venditae et traditae intelligi potest, quandonam ei sit locus. Scilicet generaliter statui potest, tunc huic exceptioni locum esse, dum domino rem suam vindicanti opponi potest, ipsum vi contractus emptionis venditionis obligatum esse ad tradendum. Itaque quoties venditor rei alienae, dominus postea factus, petit rem quam vendidit, toties hac exceptione repelletur; potest autem multis modis contingere ut venditor post venditionem dominium acquirat, veluti dum haeres existit domino, quo casu quamquam proprietas ipsi quaesita sit, eaque non transiverit in emptorem, ut docuimus § primo, tamen in rem actio ex jure dominii nascens erit ipsi inutilis, opposita exceptione de qua disserimus vide L. 112. ff. de regul. juris. Idem dicendum est, dum res distracta venditori deinde legata est, vel mortis causa donata (1). Venditor rei alienae aliis etiam modis ejus dominium deinde potest acquirere, nempe actu aliquo inter vivos, sed in hoc casu tam multa concurrere debent, ut locus esse possit exceptioni rei

(1) In mortis causa donatione, prout in legatis, Dominium sine traditione transfertur L. 16 et 30 ff. De M. C. D.

venditae et traditae, ut ejusmodi casus non facile sit eventurus; notandum est, actu inter vivos proprietatem non transferri sine traditione; itaque necesse erit ut ab emptore rei emptae possessio pervenerit ad dominum, et dominus eamdem deinde in venditorem transtulerit animo transferendi dominium, (1) si deinde venditor possessionem amittat, eaque ad emptorem devenerit, et venditor petat rem, tunc demum locus erit exceptioni rei venditae et traditae.

Etiam huic exceptioni locus erit, si possessio rei venditae ab emptore amissa pervenerit ad venditorem, et deinde dominus huic titulo oneroso vel lucrativo rem concedat (2) et venditor deinde possessionem amittat, eaque perveniat ad emptorem.

§ VI.

Quamquam, ut vidimus, dominus rei sine traditione vel naturali vel ficta non possit transferre dominium in venditorem, potest tamen ei cedere actionem in rem, quae sibi

(1) Vide POTHIER, *de la tradition*, ubi dicitur : traditioni quae requiritur ad translationem dominii non aliter locus esse potest, quam si rem possideat is qui tradit, et transferat possessionem; sunt tamen qui contrariam sententiam tuentur, dicuntque, dominium transferri per nudum factum traditionis etsi vacua rei possessio non transferatur, quae sententia, si sit admittenda, casus in quo venditor, non dominus venditionis tempore, deinde actu inter vivos dominus fit, et ab emptore rem vindicat, multo facilius contingere potest.

(2) Dum res jam est apud eum in quem dominium transferendum est, nuda voluntas sufficit Cfr. L. 8. ff. de acq. rer. Dom.

tamquam domino competit. Vid. Pothier, *Traité du Droit civil*, *tome* 1.. *Traité du contrat de vente*, *partie* 2, *ch.* 1, *sect.* 2, *art.* 6, *p.* 527, *éd.* 4°, et hoc in casu venditor si actione cessa agat tamquam procurator in rem suam, saltem laedet obligationem quam suscepit eam rem vendendo, scilicet tradendi rem et praestandi emptori habere licere, unde etiam hoc casu repelli potest exceptione rei venditae et traditae.

§ VII.

Ex ante dictis palam est, venditorem rei alienae ejusdem deinde dominum fieri posse tam actu inter vivos, quam ultima voluntate, sed et opinor hoc etiam per ususcapionem contingere posse : talis casus erit sequens : supponamus emptorem rei venditae possessionem amisisse, eamque ad Titium E. G. pervenisse, Titium deinde eamdem possessionem in Maevium bona fide et justo titulo accipientem transtulisse, ita ut Maevius fuerit constitutus in conditíone usucapiendi, si deinde venditor ante completam usucapionem haeres existat huic Maevio, et possessionem, quam defunctus habuerat, adprehendat etiam mala fide, attamen erit in conditione usucapiendi § 7. Inst. de usucap., et auctoris sui tempore usus, usucapionem complebit, et dominus fiet; quae postquam acciderunt si venditor possessionem amittat, resque perveniat ad emptorem, et tunc tamquam dominus eamdem ab ipso petat, repelli quoque poterit exceptione rei venditae et traditae.

§ VIII.

Huc usque egimus de casu in quo ipsi venditori post venditionem perfectam dominium quaeritur. Quid ergo si venditor decedens eum relinquit haeredem qui dominus est istius rei venditae et traditae? Quamquam venditor sine consensu domini rem distrahens ejus dominium mutare non potuerit, neque etiam dominium translatum videri possit, propterea quod dominus venditoris haereditatem adiverit, quo ex facto non sequitur eum consensisse in translationem dominii; attamen si dominus ex asse haeres existat venditori, totam rem vindicare impedietur L. 1. § 1. ff. *de except. rei vend. et trad.*; si autem haeres tantum fuerit pro parte, pro ea parte rem apud emptorem relinquere debebit, pro qua est haeres L. 14. Cod. de rei vend.; ratio est, quod haeres succedat in omnes obligationes defuncti pro portione sua haereditaria, defunctus autem tenebatur ad transferendam vacuam possessionem, et propter illam obligationem non potuisset ipse avocare rem etiamsi dominium nactus fuisset, ergo etiam haeres ejus non potest avocare. Sed quare is, qui pro parte tantum haeres existit, tantum impeditur vindicare pro parte? Ratio est, quod obligatio non avocandi oriatur ex obligatione tradendi, obligatio autem haec tradendi est dividua (1) ergo si-

(1) Sunt qui dixerunt obligationem tradendi dividuam non esse, et quidem hoc putaverunt decisum esse in lege L. 72. princ. ff. *de verb. obl.*, sed notandum est in hac lege sermonem esse de obligatione ad solum factum traditionis sive de nuda obligatione ad rem subjiciendam potestati accipientis sine ulla translatione juris aut possessionis et talis tradendi obligatio aeque individua est ac ipsummet factum traditionis, hoc vero loco loqui-

militer obligatio non avocandi debet esse dividua; quod si obligatio non avocandi dividua sit transit in quemque haeredem tantum pro portione haereditaria; fortasse quis instabit dicens plerumque contingere ut is qui pro parte dumtaxat haeres existit, tamen nullam partem rei vindicare possit; sed haec contraria non sunt iis quae diximus; nam si quis tantum haeres pro parte attamen in totum vindicare impediatur, hoc non fit propter exceptionem rei venditae et traditae, sed propter aliam exceptionem quae oritur ex obligatione venditoris de evictione, secundum principium : *Quem de evictione tenet actio eumdem agentem repellit exceptio*, nam qui de evictione tenetur, plerumque (1) etiam debet defendere emptorem, obligatio autem defendendi est individua (2), et proinde transit in quemque haeredem in solidum, quod si quisque haeres debeat in solidum defendere emptorem in

mur de obligatione tradendi in qua traditio fieri debet ad translationem dominii vel possessionis, quum autem dominium vel possessio etiam possint pro partibus pro indiviso transferri, dicendum est hanc obligationem tradendi etiam dividuam esse.

In lege citata JCtum agere de traditione quae in nudo facto consistit, hanc legem inspicienti in oculos incurrit; nam obligationem tradendi, de qua agit, videtur aequiparare aliis obligationibus faciendi ibidem enumeratis.

(1) Venditor qui de evictione tenetur, semper debet defendere emptorem, non item is quis pro emptione venditione fidejussit, ut antea monuimus in notis ad introductionem.

(2) Si spectetur natura obligationis defendendi, negandum est per se hanc obligationem individuam esse, potest enim ei satisfieri pro parte; scilicet potest venditor emptorem defendens efficere, ut tantum pars rei apud eum maneat, veluti si petitor jus suum in certa parte rei probare non potuerit, sed obligationem defendendi leges individuam esse voluerunt; vide L. 62. § 1. ff. de evict. L. 45. § 5. ff. de verb. obl. L. 139 eodem; quae vero rationes Romanos impulerint ut hoc ita statuerent tamquam a materia alienum hic inquirere visum non est.

possessione rei venditae, multo magis rem ab eodem auferre impeditur : sed observemus, haec individua obligatio non avocandi cum non oriatur ex obligatione tradendi, sed ex obligatione venditoris individua emptorem defendendi, de hac non disseremus; in hac dissertatione solummodo agendum est de obligatione non avocandi quae oritur ex obligatione tradendi, sive, quod idem est, de exceptione rei venditae et traditae.

§ IX.

Ex iis quae §§phis praecedentibus disputavimus consequens est, eum qui pro parte tantum haereditatem venditoris obtinuit, si venditor *de evictione non teneretur* nullo casu posse in totum repelli, nam deficiente exceptione quae ex obligatione de evictione nascitur, emptori recurrendum est ad exceptionem *rei venditae et traditae*, qua, ut expositum est §pho praec., haeres non potest summoveri ultra portionem haereditariam. Hinc intelligi potest in quo fundetur decisio legis 14 Cod. de rei vend. Cujus species haec est : aliquis emerat fundum Titii a matre ejus sciens, eumque traditum acceperat, deinde Titius matri suae successerat; decidit lex Titium ab emptore repelli posse pro qua parte ad eum pertinet hereditas matris. Itaque si Titius pro parte dumtaxat haeres fuit, pro qua parte heres non est fundum vindicare poterit. Ratio est, quod cum emptor sciens emerit fundum Titii ab ipsius matre, haec de evictione non teneretur, atque adeo ipse Titio matris heredi tantum poterit opponere exceptio-

nem (1) rei venditae et traditae. Quum autem exceptio rei venditae et traditae sit consequentia obligationis tradendi, sequitur solummodo pro parte posse opponi hanc exceptionem ei, qui tantum pro parte potest cogi ad tradendum. Qui vero tantum pro parte haeres existit venditoris, tantum pro parte ad tradendum tenetur Cfr. ea quae dicta sunt § 8.

His rite intellectis, adparet hanc notabilem differentiam esse inter exceptionem quae ex obligatione de evictione nascitur et exceptionem rei venditae et traditae (2) quod illa cesset dum quis mala fide rem emit, huic vero locus sit etiamsi quis sciens rem alienam emerit ut probatur lege laudata cod. *de rei vind.* in qua dicitur : a malae fidei emptore repelli haeredem venditoris pro ea parte qua successit (3).

§ X.

Ex praecedentibus patet pupillum non posse vindicare rem quam tutor non ejus nomine, sed tamquam suam vendiderit, si pupillus tutori haeres exstiterit, nam per aditionem haere-

(1) Ideo non potest esse locus huic exceptioni, quia in hac specie venditor de evictione non tenetur; scilicet dum emptor sciens rem alienam emit venditor non tenetur de evictione.

(2) POTHIER, *Traité du contrat de vente, part.* 2, *chap.* 1, *sect.* 2, *art.* 6, illas exceptiones confundere videtur quae tamen, ut patet ex iis quae diximus, distinguendae sunt.

(3) Ibidem quidem sermo est de exceptione doli, sed in hac lege, ut in multis aliis, exceptio doli et exceptio rei venditae et traditae concurrunt.

ditatis transivit in omnes obligationes tutoris sui, tutor autem rem alienam tamquam suam vendens se obstrinxerat omnibus obligationibus venditoris, venditor autem tenetur ad tradendum, et per hoc multo magis ad non avocandum, ergo ejus haeres debet iisdem obligationibus satisfacere.

Animadvertendum est hunc casum distinguendum esse ab eo, in quo tutor sine decreto magistratus rem immobilem pupilli ejus nomine alienasset; tunc enim etiamsi pupillus deinde haereditatem tutoris sui obtinuisset, tamen ipsi non obstaret exceptio rei venditae et traditae, cujus rei ratio est, quod ejusmodi venditio sit nulla L. 2, 10, 11, 15. cod. de praed. et aliis reb. etc.

§ XI.

Ex antecedentibus etiam fluit quid juris s[illegible] si [illegible]duciarius rem fideicommisso subjectam alienaverit, et fidei[illegible]missarius fiduciario haeres exstiterit. Sane fideico[illegible] hanc rem potuisset vindicare, si haeres fiduciarii no[illegible]sset, sed haereditatem adeundo obstrinxit se obligatione [illegible]vocandi, qua tenebatur fiduciarius.

Hinc etiam si maritus fundum dotalem vendiderit [illegible] quam suum, uxor ab eo haeres scripta non poterit efficac[illegible] in rem agere, opposita exceptione de qua agimus, quamvis [illegible] haeres non exstitisset, agenti nihil obstaret.

CAPUT III.

§ XII.

ANTEA diximus fundamentum hujus exceptionis esse contractum emptionis venditionis, ex quo deduximus, eam opponi posse cuicumque rem suam vindicanti emptio venditio objici potest. Ex eo quod sufficiat ad hanc exceptionem, vindicanti obstare contractum emptionis venditionis, etiam sequitur, huic exceptioni locum esse, etiamsi contrahentes erraverint in dominio, modo consensum dederint in emptionem venditionem, et proinde subsistat hic contractus. Hinc intelligi potest decisio legis 49 ff. Mandati; cujus species haec est: servum Titii emi ab alio bona fide, isque mihi traditus fuit, deinde mandato meo Titius, qui ignorabat suum esse, eumdem vendidit et tradidit; quaeritur, utrum Titius errore detecto eum vindicare possit?

Constat dominium non esse translatum, nam non aliter jus hoc transfertur, quam si concurrat ex utraque parte voluntas L. 55. ff. *de obl. et act.* in specie hic proposita voluit quidem procurator transferre jus mandantis, non vero suum, non poterat transferre jus mandantis, qui nullum habebat, nec ipsius procuratoris jus translatum est, deficiente voluntate, ita ut hic verum sit dicere, procuratorem voluisse quod

non poterat, quod autem poterat non voluisse; quum itaque dominium apud procuratorem remanserit, dicendum est ei in rem actionem competere; in dicta tamen lege 49 deciditur, vindicationem ei *non esse concedendam* (1); hujus decisionis ratio in principiis Juri Romano propriis quaerenda est. Scilicet apud Romanos principium alterum non posse alteri acquirere tam late patebat, ut ne mandatarius quidem actionem aut obligationem mandanti acquirere posset; quare qui mandatum susceperat, ita debebat contrahere, ac si suum negotium gereret, unde si quis pro alio rem venderet, obligationes venditoris tenebatur suscipere (2), venditor autem tenetur ad rem tradendum, et proinde multo magis ad eam non auferendam ab emptore (3).

(1) Hoc est eum agentem repelli, nam stricto jure habet actionem.

(2) Quamquam generatim verum sit, eum qui procuratorio nomine vendit obligationes venditoris suscipere, tamen si monuerit emptorem, se tamquam procuratorem vendere, tacite pactus videtur, ne ipse teneatur de evictione, sed emptor fidem mandantis sequatur, vide L. 68. ff. *de evictione;* quod ibi de creditore pignus jure creditoris vendente dicitur, etiam verum est de mandatario; creditor enim pignus vendens tamquam debitoris mandatarius habetur L. 1, 2 Cod. *creditorem evictionem pignoris non debere.*

(3) Hoc loco forte nobis quis occurret dicens, eum qui procuratorio nomine vendit venditoris quidem obligationes succipere, sed deinde ei competere mandati actionem L. 45. ff. mandati, qua cogat mandantem, ut has obligationes suscipiat, talique modo procuratorem suum liberet: vide VOET ad tit. mandati, n° 23. Itaque istis obligationibus mandatario ademptis, et in mandantem translatis, non posse fieri, ut mandatarius propter illas obligationes impediatur avocare rem suam, utpote quibus liberatus est.

Ut objectio ex illa lege deducta resolvatur, notandum est illas obligationes in capite mandatarii non extingui, ob hoc solum, quod actione mandati mandans compulsus fuerit, ut eas susciperet, seu quod idem est, ideo non intervenire novationem, quae tunc demum locum habebit, dum consentiente emptore obligationes in mandantem erunt translatae, expressumque sit, hoc factum esse novandi animo L. ult. Cod. de Novat.; sed si

Objicietur, quod mandatarius in hoc casu non teneatur ad tradendum, eo quod venditio non valuerit defectu consensus, propterea quod procurator putaverit se rem mandantis, non vero suam vendere; sed ut in omni negotio examinandum est, in quo error versetur, ut decidi possit, an ob hunc errorem id quod actum est ruere debeat, nec ne, sic etiam in hac specie. Hic error circa dominium dumtaxat versatur; est autem emptio venditio, etsi dominium non transferatur vide L. 28. ff. *de coutrah. emp, vend.*, hic error non adficit substantiam contractus, sed cadit in id, sine quo contractus consistere potest. Quamvis mandatarius non voluerit suam proprietatem transferre, tamen consensit in rem et pretium, nulla igitur inveniri potest ratio, ob quam emptio venditio non valeret. Frustra objicitur L. 15. ff. de *jurisdic.* ubi dicitur: *si per errorem alius praetor pro alio fuerit aditus nihil valere quod actum est*, sed lata differentia est inter utrumque casum, in lege laudata error revera circa substantiam negotii versatur, litigantes inter se convenerant de certo praetore adeundo, seu pacti erant, ut certo judici se subjicerent, itaque totum negotium versabatur circa judicem, quem elegerant, et proinde si alius judex pro alio sit aditus,

emptor nolit mutare obligationes procuratoris, hic tantum potest cavere, se contra emptorem defensum iri a mandante ut in Leg. citata § 2 dicitur.

Hic etiam objici potest decisio Legis 49, veram quidem esse jure veteri, sed jure novo eam non sequendam, utpote quo jure ut ex L. 13. § 25 ff. de Act. empti. patet, utilis actio et obligatio mandanti acquiritur. Haec objectio ruit, si quis animadvertit, ob hoc, quod mandans utiliter ex contractu procuratoris obligatur, non cessare directam actionem contra procuratorem, scilicet praetor non voluit diminuere, sed augere jura eorum qui cum procuratore contrahunt, ita ut et mandatarium et mandantem obligatum habeant.

dicendum est in substantia negotii erratum fuisse. Quum autem emptio venditio consistere possit, etiamsi dominium non transferatur, etiam potest consistere, dum in dominio erratum est; si emptio venditio valeat, mandatario incumbunt obligationes venditoris; venditor vero tenetur ad praestandam emptori vacuam possessionem et per consequentiam ad possessionem ab eo non auferendam, ergo mandatarius eadem obligatione obstrictus est.

Obstare videtur L. 35. ff. *de acquir. rer. dom.* secundum quam *mandatarius errans non potest rem suam amittere.* Quomodo haec lex potest consistere, cum iis quae supra diximus? Respondemus Jureconsultum tantum decidere, dominium a procuratore non recessisse, eumque non attingere hanc quaestionem, utrum efficaciter in rem agere possit. Nec obstat quod dicitur, neminem errantem rem suam amittere, ex nostra autem interpretatione mandatarium revera rem suam amittere, cum eamdem ab emptore auferre non possit, nam his verbis Jure Consultus hoc solum voluit indicare, quod nemo errans dominium rei suae amittat, quae decisio rationi juris consentanea est, nam dominium non transfertur, nisi adsit concurrat consensuum, et transferentis, et accipientis. Quum vero error excludat consensum (1) facile intelligitur, quare Jureconsultus dicat, procuratorem non amisisse rem suam, seu potius non amisisse dominium. Quod si quis attendat hanc legem sub titulo ff. *de acquir. et amitt. rer. dom.* inveniri, eo

(1) Nihil enim magis est contrarium consensui, quam error ut in Leg. 15. ff. *de Jurisprud.* dicetur.

magis videbit ibidem tantum decisum esse, quod dominium apud procuratorem remanserit.

Ex iis patet, praedictam legem cum principiis Juris cohaerere, etiamsi non recurratur ad Hypothesim, quae quidem absurda non est, sed tamen probari non potest. Scilicet non est dicendum Jureconsulto propositum fuisse casum, in quo procurator ad tradendum tantum fuerat constitutus, eumque hac de causa decidere rem procuratori amissam non esse, cum tali procuratori rem vindicanti nulla possit objici exceptio, nata ex obligationibus venditoris quas nequaquam suscepit.

Fatendum est, hanc legem hoc modo intellectam etiam rationi juris congruere, mihi tamen verius videtur, JCtum tantum decidere dominium translatum uon esse, idque propterea quod, ut jam dictum est, haec lex relata sit ad titulum in quo de dominio agitur. Praeterea videtur JCtus verbis : *quia nemo errans rem suam amittat* uti tamquam Synonimis verborum : *non recessit ab eos dominium et nulla est alienatio*.

§ XIII.

Ex eo quod huic exceptioni locus sit etiamsi contrahentes errarint in dominio, modo error versatus non fuerit in ipso contractu emptionis venditionis, sequitur etiam, quid juris in casu sequenti. Quod si putans me fundum haereditario nomine acquisivisse, utpote quem inveneram in haereditate

Titii, a quo haeres scriptus eram, hunc fundum vendam, significemque emptori dominium mihi eo, quo dixi, modo quaesitum esse, quaeritur, utrum deinde videns, me aliunde dominium adeptum fuisse, priusquam Titio haeres existerem, atque possessionem ejus dumtaxat apud testatorem fuisse, in rem actione uti possim?

Et dicendum est, dominium non esse translatum, nam volui transferre dominium, quod titulo haeredis nactus eram, quod cum non existeret transferri non poterat; nec dici potest, in emptorem transivisse id dominium, quod nactus eram, utpote de quo ne cogitatum quidem fuit (1), ita ut consensus meus plane fuerit restrictus ad dominium quod putabam me ex causa haereditaria acquisivisse. Quamquam haec ita sint, tamen rem ab emptore auferre non potero obstante exceptione rei venditae et traditae arg. L. 49. ff. *mandati*. Ratio est quod error in dominio non possit vitiare emptionem venditionem, utpote quae consistere potest, etiamsi dominium non transferatur.

Obstabit quoque exceptio doli in hoc casu, nam venditum a me fundum vindicans ea de causa, quod erravissem in modo acquisitionis, dolo agere videor, nullam enim possum adferre rationem, ob quam venditurus non fuissem, si scivissem, ejus proprietatem ad me alio titulo pervenisse.

(1) Semper recurrit principium, secundum quod dominium non aliter transfertur, quam si adsit ex utraque parte voluntas.

XIV.

Huc pertinet etiam casus, de quo fit mentio in lege 15 § ult. de contrahenda emptione venditione. Aliquis mihi rem meam ignoranti vendidit, priusquam autem mihi traderetur, ego eam quoque vendidi, et jussu meo venditor tradidit ei, cui ego vendideram. Inpromptu est dominium a me non recessisse, credebam enim me non habere dominium, quia res mihi nondum tradita fuerat (1), eram igitur eo animo ut per traditionem venditoris mei dominium, non vero meum, transferretur, et proinde non recessit a me dominium. L. 15. § ult. supra laudata. Nihilominus tamen emptio venditio fuit valida (2) atque tenebar tradere rem, et multo magis eam ab emptore avocare volens exceptione summovebor.

(1) Dum res aliqua vendita est, dominium non prius in emptorem transit, quam res ipsi tradita est, jura enim realia non nudis pactis, sed traditionibus transferuntur L. 20. cod. de pactis.

(2) Hoc de secunda emptione venditione intelligendum est, prior enim contractus emptionis venditionis nullus est, nam suae rei emptio non valet. L. 16. ff. de contr. empt.



CAPUT IV.

§ XV.

Nulla dubitatio est, et ex ante dictis sequitur, ei hanc exceptionem dari, cui res vendita et tradita est, sed et ei quoque, cui res vendita quidem, sed nondum tradita fuit, modo sine vitio ejusdem possessionem nactus sit, competit L. 1. §. ult. ff. hoc titulo, nam etiam in hoc casu verum est quod venditor posset cogi ad tradendum si emptor possessionem non acquisivisset; intelligetur autem emptor sine vitio possessionem nactus esse, si non vi, non clam, non precario ab adversario suo possidet, etiamsi adversus alios injusta esset ejus possessio; quod si clam venditore possessionem ingressus esset, vel precariam ab eo possessionem haberet, vel eumdem ex possessione dejecisset, nihil ageret volens venditorem hac exceptione repellere, ante enim in suam possessionem restituendus esset venditor, quam ulterius procederetur.

Notandum est, in casu quem tractavimus, exceptione rei venditae et traditae opus esse, etiamsi venditor quum vendebat, et eo tempore, quo emptor possessionem nactus est, dominus esset, nam quum ipse venditor non tradidit, sed emptor vel ab alio ejus possessionem nactus est, vel va-

cuam adprehendit, dominium non est translatum, dominium enim non transfertur nisi per traditionem, et in traditione concurrere debet voluntas ex utraque parte, quod cum hic locum non habuerit, dominium mansit apud venditorem (1), ergo in rem actionem habet, sed quam possit emptor exceptione excludere.

§ XVI.

Constat igitur venditorem, si rem, quam vendidit petat, hac exceptione summoveri, JCtus quoque decidit L. 1. § 2. ff. h. t. similiter repelli posse eum, cujus mandato res vendita fuit.

Quod dicimus mandanti rem venditam vindicanti obstare exceptionem rei venditae et traditae, de eo casu intelligendum est, in quo mandans dominus factus est, postquam res vendita et tradita fuerat, nam si eo tempore, quo res ejus voluntate tradita est, dominus fuisset, de exceptione rei venditae et traditae non posset superesse quaestio, nempe dominium translatum fuisset, ut enim in leg. 9. § 4. ff. *de acquir. rer. dom.* dicitur, nihil interest, utrum ipse dominus, per se

(1) Proprietatem penes venditorem mansisse probari potest argumento leg. 14. ff. *de publ. in rem actione*, in qua etiam proponitur casus, ubi possessio emptori sine voluntate Domini quaesita est, et proinde dominium translatum non est; dicitur, si quis prohibuit tradi rem, quae ipsius voluntate a procuratore fuerat distracta, et procurator nihilominus tradiderit, competere emptori exceptionem contra mandantem, si rem petat. Ex eo, quod emptori exceptio accommodetur, intelligitur dominium translatum non esse, alias enim mandans ipso jure non posset agere, quod et rationi consentaneum est.

tradat, an voluntate ejus quis alius. Hinc lex 1. § 2. ff. h. t. de ejusmodi casu intelligenda est, in quo mandans non dominus eo tempore, quo res ex ejus voluntate tradita fuerat, deinde dominium acquisivit.

§ XVII.

Porro quemadmodum mandanti, cujus voluntate res vendita et tradita fuit, postea dominium nacto, opponi potest haec exceptio, si tamquam dominus eamdem rem petat, sic etiam is qui pignori rem dedit, eidem exceptioni obnoxius est, utpote qui mandanti aequiparatur : si ob causam judicati pignora capta sint, et auctoritate judicis distracta, eo tempore quo condemnatus nondum dominus eorum erat, condemnatus ipse, deinde dominus factus, eas res vindicare etiam impedietur, obstante exceptione rei venditae et traditae. Arg., ex leg. 13 cod. *de eviction.* Quod etiam eruitur ex eo, quod is qui se obligat alteri, omnia sua bona in securitatem crediti devincire videatur, quam ob rem creditor auctoritate magistratus bona debitoris sui vendens hoc ipsius consensu facere videtur.

§ XVIII.

Sicuti venditori, qui in instrumento venditionis dixerat, se ex certa causa dominium rei venditae nactum esse, eo nomine quaestionem referenti, quod ex alia causa dominium nactus sit, opponi potest haec exceptio, quod diximus in

§ 13, similiter etiam in eodem casu exceptio rei venditae et traditae mandanti objici potest, quod expresse decisum habetur in lege 49 ff. mandati. Ubi supponitur, dominus alicui mandasse, ut rem quamdam venderet, emptorique diceret, ipsum ex causa determinata dominum esse, et deinde mandans detexerat, se ex alia causa dominum factum esse, quamquam dominium translatum non sit, quod ex § 13 eruitur, tamen, ut JCtus decidit, mandans cum effectu rem vindicare non poterit.

§ XIX.

Mandanti oberit haec exceptio, etiamsi res a procuratore tradita sit contra quam prohibuerat, modo ejus voluntate fuit vendita et pretium procuratori solutum, atque hic casus, ut jam in nota ad § 15 dictum est, similis est ei, in quo emptor rei sibi venditae et non traditae ab emptore, sine vitio possessionem nactus est, in utroque quidem casu dominium translatum esse negandum est, sed emptori consultum est exceptione quam hic vocare possumus *rei tradendae* vide L. 14 ff. *de publ. in rem act.* et Cujacium ad hanc legem loco in § 3 hujus disp. laudato.

Quod si *pretio non soluto* mandans denunciaverit procuratori suo, ut rem non traderet, tunc re nihilominus tradita, et fide de pretio habita, illa denunciatio efficiet, ut mandans sine metu exceptionis rei venditae et traditae in rem agere possit. Mandans nimirum generaliter prohibuit, ne res traderetur, quae prohibitio, utpote generalis, ex animo man-

dantis duos casus comprehendit, etenim qui rem tradi generaliter prohibet, vult ut res non tradatur, si pretium solutum non sit, et vult ut non tradatur, etiamsi pretium sit solutum, in posteriori casu re contra prohibitionem tradita, mandans nihilominus repelletur, ut supra dictum est, sed si res fuit tradita contra ejus prohibitionem *pretio non soluto*, in hunc casum prohibitio efficax erit. Hoc eruitur ex leg. 1 § 2 hoc tit. in qua dicitur : domino vindicanti rem venditam non obstare hanc exceptionem, etiamsi ejus mandata fuerit vendita, si probetur eum mandasse, ne traderetur antequam pretium solveretur. Itaque dum prohibuit mandans rem tradi non soluto pretio, inutiliter ipsi haec exceptio objiceretur; sed generalis prohibitio etiam casum non soluti pretii comprehendit, ergo pro hoc casu saltem haec prohibitio effectum habere debet. Haec est etiam sententia Cujacii dicentis in lege 14 ff. *de publ. in rem act.* propositum fuisse casum in quo pretium solutum erat; vide sententiam hujus interpretis in libris quaestionum Papiniani libro 6to ad Leg. 14. *de publ. in rem actione* pag. 138, B.

Animadvertendum est legem 1 § 2 *de exceptione rei venditae et traditae* intelligendam esse, de procuratore qui non solum rem tradiderit contra prohibitionem, sed etiam fidem habuerit de pretio; fide enim de pretio non habita, etiamsi ipse mandans tradidisset, nihil vindicanti obstaret, nam tunc exceptio rei venditae elideretur replicatione *pretium solutum non esse.*

§ XX.

Quod si procurator rem minoris vendidisset quam ei mandatum erat, mandanti si rem suam petat non poterit hanc exceptionem objicere emptor. L. 1. § 3. ff. hoc tit. quum enim procurator fines mandati excesserit, res sine voluntate mandantis vendita fuit.

Hinc etiam, si tibi mandassem ut certam domum venderes ad me pertinentem, tu vero aliam vendideris ad me quoque pertinentem, non obstabit mihi haec exceptio.

Quod si procuratori non fuerit determinatum pretium, quo rem vendere deberet et cum emptore colludens rem vili vendiderit, quaeres utrum emptor adversus mandantem uti possit exceptione rei venditae et traditae? et videtur, posse defendi argumento Legis 7. § 6. ff. *pro emptore*, hanc exceptionem ei opponi non posse : ratio est, quod res non videatur ex voluntate mandantis vendita, mandantis enim voluntas erat ut procurator ejus, quo posset maximo pretio, rem venderet, et exceptio *rei ex ejus voluntate venditae* doli replicatione summovebitur.

§ XXI.

Contingere etiam potest, quis venditionem rei suo quidem nomine, sine mandato tamen factam, ratam habuit : cum ratihabitio ex ipsa voluntate ratum habentis retro recurrat ad

tempus quo venditio contracta fuit, L. 16. § 2. ff. *de pign. et hyp*. L. 6. § 9. ff. *de neg. gestis*, perinde erit ac si ab initio consensum dedisset; quod si ab initio consensum dedisset, repelleretur exceptione rei venditae et traditae tamquam mandans, ergo nunc etiam repelli potest.

Quod si tamen in hoc casu hic, qui ratum habuit, dominus fuerit tempore ratihabitionis, exceptioni rei venditae et traditae non erit locus, dominium enim sola domini declaratione transfertur, dum is jam possidet, in quem dominium transferendum est; unde, cum supponatur emptori res ante tradita fuisse, dicendum est a tempore ratihabitionis ab eo, qui ratum habuit, recessisse dominium, et emptori quaesitum esse, itaque is, qui ratum habuit non est amplius dominus, et ne stricto quidem jure potest in rem agere; contra forsitan is, qui ratam habuit venditionem sua contemplatione contractam, hoc tempore dominus nondum erat, sed postea tantum dominium rei venditae ipsi obtigit : hoc in casu putamus nullam alienationem intervenisse, nec enim eo tempore, quo ratihabitio intervenit, potuit transivisse proprietas, nemo potest transferre id quod non habet, nec post ratihabitionem, nam ab eo tempore nulla amplius intervenit declaratio voluntatis ex parte ejus, qui ratum habuit; cum igitur manifestum sit, dominium ab eo non recessisse, superest ei actio, sed obstabit exceptio rei venditae et traditae, cujus rei ratio est, quod ratihabitio fecerit ejus negotium, quod ab initio ejus non erat, sed ejus contemplatione gestum, ut in illa lege 6. § 9. ff. *de neg. gestis* dicitur.

§ XXII.

Hinc quoque deciduntur sequentia, aliquis ex parte dimidia haeres totum aliquod praedium, quod in haereditate continebatur vendidit, monuitque venditorem, se et partem suam, et partem cohaeredis sui vendere, cohaeres vero ejus deinde ratam habuit venditionem; si cohaeredes illi ex capite defuncti dominium habebant, non solum ejus dominium qui vendidit, sed et ejus qui ratum habuit negotium ab altero gestum, translatum est. Si contra defunctus non dominus sed possessor tantum fuerit praedii venditi, ex antedictis patet nec per traditionem, nec per ratihabitionem, dominium translatum esse; sed suppone, haeres ille, qui ratam habuit venditionem, postea dominus factus est totius praedii venditi, an rem posset petere sine metu exceptionis rei venditae et traditae? opinamur eum repelli posse exceptione rei venditae et traditae pro dimidia parte praedii, idque ideo quod ratihabitione effectum sit, ut ipse videatur dimidiam partem vendidisse.

CAPUT V.

§ XXIII.

Ex iis, quae huc usque stabilivimus, fluit regula haec generalis : venditorem rei alienae, cujus deinde dominus factus est, item eum, cujus mandatu res vendita est, et eum, qui ratam habuit venditionem rei contemplatione ipsius factam, exceptione de qua agimus, submoveri; contrarium tamen servatur in quibusdam casibus; toties non obstabit haec exceptio, quoties quis non ut suam, sed ut alterius et in alterius utilitatem vindicat rem, quam ipse vendiderat, veluti si tutor petat rem pupilli quam suo nomine alienaverat; non potuit hic tutor per traditionem auferre dominium pupillo qui, cum adhuc dominus sit, habet certe rei vindicationem, quam tutor ejus intentabit. Contra vero, si tutor post alienationem rei mobilis pupillaris, suo nomine factam, haeres pupillo exstiterit, utiliter sane ipsi vindicanti rei venditae et traditae exceptio objiceretur, patet enim ipsum non velle stare obligationibus, quas contrahendo susceperat, neque dicere poterit, se in alterius utilitatem vindicare, cum hereditas pupilli ad eum pertineat.

§ XXIV.

Quod si tutor rem immobilem pupilli, ipsius nomine sine decreto magistratus distraxerit, fueritque deinde pupilli haeres, et rem vindicet, non obstabit ipsi quidem exceptio rei venditae et traditae: sine dubio tutor, vivo adhuc pupillo, in ejus favorem fundum ab emptore avocare potuisset; et quamquam haeres pupilli factus, idem jus non habeat, hoc tamen non fit vi exceptionis rei venditae et traditae, quia haec exceptio praesupponit emptionem venditionem valide initam, sed potius ideo non potest vindicare tutor, ne factum suum laedat, ne rumpat id quod ipse peregit. arg. L. 25. ff. *de adopt.* L. 13. *pr.* ff. *commun. praed.* L. 44. § 1. ff. *de* O. *et* A. L. *ult.* cod. *de evict.*

§ XXV.

Quod de tutore diximus, qui rem pupillarem tanquam suam vendidit, idem etiam dici potest de marito qui fundum uxoris non dotalem tanquam suum vendidit; potest nimirum maritus eumdem vindicare in utilitatem uxoris suae, salvo contra ipsum emptoris regressu, sed contrarium dicendum est, postquam uxori suae haeres exstitit.

Quod si fundum dotalem contra Legis Juliae prohibitionem alienaverit, et hereditatem uxoris suae obtinuerit, eumdem vindicare impeditur non propter exceptionem rei venditae et traditae, sed ne factum suum laedat, nam adversus factum suum controversiam movere prohibetur arg. d. L. 25. ff. *de adopt.*

CAPUT VI.

§ XXVI.

EXCEPTIO rei venditae et traditae, quae competit emptori, non est restricta ad personam ipsius, sed et competit quibuscum- successoribus ejus, quibus ipse auctor fuit; neque est distinguendum, utrum in rem venditam dumtaxat, an in universum emptoris jus successerint. L. ult. ff. h. t. neque in successoribus etiam particularibus est distinguendum, utrum rem titulo oneroso, an lucrativo ab ipso acceperint; itaque si quis rem emit a non domino, ad quem deinde proprietas rei venditae pervenit, eamque sibi traditam emptor alii vendiderit et tradiderit, posterior emptor rei venditae et traditae exceptione adversus priorem venditorem aeque uti poterit, ac prior emptor potuisset, idemque est de eo cui legata vel donata res est ab emptore, si donatarius vel legatarius a venditore conveniatur.

§ XXVII.

Quod autem exceptio rei venditae et traditae, non solum emptori, sed etiam quibuscumque ejus successoribus accommodetur, fundatum est in eo, quod haec exceptio sit realis, exceptiones autem reales ad quemcumque successorem cum

re, cui adhaerent, transeunt; hoc est etiam consentaneum L. 28. cod. *de evict.*, in qua dicitur, emptori eas defensiones seu exceptiones prodesse, quibus ejus auctor uti poterat.

Simpliciter verum non est, quod quidam dicunt, exceptionem hanc tamquam realem *ad quemcumque rei possessorem* transire; in exemplo, forte emptor possessionem amiserat rei venditae, eaque pervenerat ad aliquem, qui nil egerat cum emptore, non proderit sane huic haec exceptio, quamvis revera rei possessor sit, itaque rectius dicendum est, exceptionem hanc, ut et alias reales, iis demum proficere, qui rem possident, et simul causam habent ab eo qui easdem opponere potuisset.

Quum exceptiones reales rem comitentur ad quemcumque successorem emptoris, sequitur exceptionem rei venditae et traditae non solum successoribus immediatis emptoris, sed etiam mediatis competere.

§ XXVIII.

In L. 3. ff. h. t. JCtus dicit, exceptionem, de qua agimus, ideo emptori secundo prodesse, quod intersit primi emptoris secundo rem non evinci; cum autem haec ratio eum dumtaxat casum comprehendat, in quo prior emptor de evictione tenetur vel aliqua actione pulsari potest, et tamen exceptio rei venditae et traditae secundo emptori prosit etiamsi vendi-

5*

tor ejus nullo modo conveniri possit (1) dicendum est hanc rationem non esse adaequatam; evidentius etiam adparet rationem a JCto propositam non esse satis generalem, si attendamus exceptionem rei venditae et traditae non solum secundo emptori, sed etiam quibuscumque primi emptoris successoribus prodesse, itaque etiam iis, *qui titulo lucrativo rem tenentes* propter evictionem auctorem suum convenire non possunt, haecque est plurimorum interpretum sententia. Quod autem in eadem lege dicitur emptori secundo exceptionem rei venditae et traditae prodesse *etsi res ei non fuerit tradita*, ita intelligendum est acsi scriptum esset, *etsi ei non fuerit tradita a primo venditore*, nam quisque facile videt huic exceptioni non aliter locum esse, quam si ei res a secundo venditore fuerit tradita, quum enim, re nondum tradita, secundus emptor non possit conveniri rei vindicatione (2), non potest esse sermo de exceptione rei venditae et traditae.

§ XXIX.

Potest fieri, ut res quae Titio vendita fuerat a non domino, non ei, sed ejus successori, tradatur, quaeritur, utrum hic successor etiam uti possit exceptione rei venditae et traditae? nulla potest esse dubitatio, si successor ille haeres sit Titii,

(1) Veluti dum quis sciens rem alienam emit, vel venditor pactus est, ne de evictione teneatur, in quibus casibus verior sententia est, emptorem ne pretium quidem quod dedit, repetere posse. Vid. L. 11. § 18. ff. *de act. empt.*

(2) Rei vindicatio non potest institui contra eum qui non possidet; L. 36. ff. de reiv.

quum enim tunc ejus personam repraesentet, res videtur eidem vendita et tradita fuisse : hoc etiam inferri potest arg. ex l. 9. *princ. ff. de public. in rem aet.*; quamvis major poterat subesse dubitatio de alio successore, tamen etiam idem dicendum est; non enim potest excogitari ratio, ob quam successor emptoris uti posset exceptione rei venditae et traditae, si res auctori ejus tradita fuisset, et non posset eadem uti, si auctori ejus vendita, ipsi vero tradita fuerit.

Ex eo intelligi potest, quid dicendum sit, si certam rem emerim a non domino, atque istam rem deinde alicui vendiderim, antequam mihi traderetur, jusserimque venditorem meum emptori tradere; emptor meus poterit venditori deinde dominium nacto, et rem vindicanti eodem modo opponere exceptionem rei venditae et traditae, ac si res mihi tradita, deinde a me ipsi quoque tradita fuisset.

§ XXX.

Ut alii quicunque successores emptoris, sic etiam legatarius emptoris uti potest exceptione, qua ejus auctor uti poterat, ut § 26 jam indicatum est. Huc pertinet quaestio in L. 1. § 4. ff. h. t. tractata : servus merces emerat ex causa peculii a non domino, dominus vero servi, priusquam proprietatem mercium illarum nancisceretur, testamento illum servum liberum esse jussit, eique peculium praelegavit; quaerit JCtus,

utrum venditori deinde merces petenti servus ille opponere possit exceptionem rei venditae et traditae. Ex contextu § supra laudati patet, JCti sententiam esse, de hac quaestione dubitari posse, eo quod is a quo merces petuntur, eo tempore, quo contraxit, servus esset, servus autem sibi contrahere non possit. Decidit autem secundum stricta principia Juris ipsi exceptionem rei venditae et traditae non competere, sive Leges civiles ipsi directo hanc exceptionem non concedere, sed utilem ipsi exceptionem, seu exceptionem in factum profuturam : mihi vero non liquet, quam ob causam etiam in casu servo, cui peculium praelegatum est, non competeret directo exceptio rei venditae et traditae; non inficior servum eo tempore, quo contrahebat, sibi nihil ex contractu acquirere potuisse, adeoque sibi non acquisivisse exceptionem rei venditae et traditae, sed etiam negari non potest eum exceptionem domino suo cum possessione mercium acquisivisse L. 44. § 1. ff. *de acq. vel amit. poss.*, quae exceptio domino quaesita, non video, cur in servum, testamento libertate donatum, non possit transmitti eodem modo, ac in quemvis alium; nec dici potest in hac lege propositum esse casum, in quo servus merces illas invito domino emerat, tunc enim emptio venditio foret nulla, in casu vero proposito valet emptio venditio, nam supponitur dominus vi emptionis-venditionis proprietatem mercium acquirere potuisse, quod eruitur in verbis : *dominus..... priusquam proprietatem mercium nansciceretur.*

§ XXXI.

Ut haec exceptio simul cum re transit ab emptore qui eam opponere poterat, in quoscunque ejus successores, sic etiam transit a venditore, cui obstabat, in ejus successores tam particulares, quam universales L. ult. h. t. ff. atque in successoribus particularibus venditoris eodem modo ac in successoribus particularibus emptoris distinguendum non est, utrum rem titulo oneroso, an lucrativo acceperint; successoribus autem universalibus nocet, sive defunctus ipse dominium adeptus sit, et ex ejus capite experiantur, sive rei a defuncto venditae ipsi dominium habeant. L. 14. cod. de *evictionibus* et L. 14. cod. *de rei vind.* L. 3. cod. *de reb. alien. non alien.*, in quibus legibus quidem fit mentio de exceptione doli mali, sed in hac re huic exceptioni exceptio rei venditae et traditae prorsus similis est.



CAPUT VII.

§ XXXII.

Hoc capite dispiciamus, an et quatenus eadem exceptio opponi possit ei, qui tanquam fidejussor intercessit pro venditore : quisque intelligit accidere posse, ut quis fidejubeat ignorans pro venditione rei, cujus dominus est, vel cujus quidem eo tempore, quo emptio venditio contrahebatur, dominium non habebat, sed deinde dominus factus est. In posteriori casu dominium translatum non esse, cuique in oculos incurrit, sed et in priori casu, dominium translatum esse negandum est, fidejussor enim credebat de re sua non agi, itaque non erat eo animo, ut proprietas sua transferretur : sed hoc investigandum est, utrum non possit impediri fidejussor per exceptionem rei venditae et traditae, quominus ab emptore auferat rem, pro qua fidejussit? videtur toties exceptio rei venditae et traditae debere ei obstare, quoties fidejussit pro obligatione tradendi, ex qua oritur obligatio non avocandi; igitur in singula specie inquirendum est, pro quibus obligationibus venditoris fidejussor intervenerit, et si patefiat, eum quoque obligationem tradendi suscepisse, sine dubio poterit exceptione rei venditae et traditae removeri.

§ XXXIII.

Oritur quaestio, undenam colligi possit fidejussorem etiam pro obligatione tradendi intervenisse. Hoc facile poterit dijudicari ope sequentis regulae, quae in natura rerum fundatur : fidejussor dumtaxat videtur rogari intercedere pro iis obligationibus, quibus si non satisfiat a venditore, emptor de damno periclitatur, nisi tamen specialiter aliud actum sit. Itaque si eo tempore fidejussor intervenerit, quo res emptori nondum tradita erat, videbitur fidejussor inter alias obligationes etiam obligationem tradendi suscepisse, cujus rei ratio est, quod periclitetur emptor, ne huic obligationi non satisfiat; potest enim venditor ante traditionem rem iterum vendere, et secundo emptori tradere (1), vel etiam, si de re mobili agatur, cum re vendita aufugere; quum ergo in hoc casu fidejussor teneatur obligatione tradendi, a fortiori non poterit avocare.

Quod si quis re jam tradita fidejussit, non censebitur fidejussor intercessisse pro obligatione tradendi, idque ideo, quod in hoc casu emptor non amplius periclitetur circa obligationem tradendi, ex quo sequitur, fidejussori rem suam petenti objici non posse exceptionem rei venditae et traditae.

Objicietur fortasse L. 11. cod. *de evict.* et L. ult. *eod.*, in quarum priore dicitur, fidejussor qui se obligavit de evictione,

(1) In hoc casu prior emptor solummodo habebit actionem personalem contra venditorem.

impediri rem avocare, in altera autem, haeres fidejussoris, qui ex sua persona i. e. ex alia quam hereditaria causa dominium vindicat, non posse repelli, unde patet sententiam hujus legis esse, ipsum fidejussorem et heredem ejus, qui jus suum ab eo metitur, impediri posse, quo minus rem ab emptore auferant. Sed respondebimus ibidem non agi de exceptione rei venditae et traditae, sed de exceptione, quae oritur ex eo quod fidejussor se de evictione pro venditore obligavit; hic autem tantum dicimus, exceptionem rei venditae et traditae non obstare fidejussori, qui obligationem tradendi non suscepit.

CAPUT VIII.

§ XXXIV.

SUPEREST dicere de usu exceptionis rei venditae et traditae in actione publiciana; qui publiciana agit, hac exceptione uti potest tamquam replicatione adversus exceptionem dominii, vel aequalis juris; in exemplo, si quis possessionem rei quam bona fide nactus erat ex causa emptionis venditionis, et quam deinde casu fortuito amiserat, a venditore vel ejus successore recuperare velit actione publiciana, atque ipsi opponatur exceptio dominii, vel aequalis juris, hanc exceptionem elidere potest, replicatione *rei venditae et traditae*; ratio, ob quam in hoc casu emptor hac replicatione uti potest, haec est, si emptor ipse rem emptam puta fundum possideret, et venditor dominium nactus ab eo eumdem peteret, submoveretur exceptione rei venditae et traditae : hoc eruitur ex L. 72. ff. *de rei vind.* (1) in qua JCtus postquam dixerat, fundo ab eodem duobus vendito et tradito, priorem emptorem potiorem esse, quanquam venditor, cum posteriori venderet et traderet, dominus fuerit, tanquam fundamentum suae decisionis addit :

(1) Vid. quoque L. 2. ff. *de except. rei vend. et trad.* L. 4. § 32. ff. *de doli mali et metus except.*

nam et si ipse venditor eam rem a priori emptore peteret, exceptione submoveretur, dicit igitur, ideo exceptionem dominii a posteriori emptore oppositam, replicatione elidi, quod ejus auctor repulsus fuisset, si postquam dominium nactus erat, rem a priore emptore petiisset.

§ XXXV.

Ex ante dictis erui potest principium generale : bonae fidei emptorem rei venditae, possessione fortuito amissa, dum a venditore vel successore ejus qui eamdem nactus est, actione publiciana rem petit, adversus exceptionem dominii vel aequalis juris toties uti posse replicatione *rei venditae et traditae*, quoties exceptione *rei venditae et traditae* ipsemet possessor eosdem repellere potuisset. Hoc exemplis magis perspicuum fiet : evenire potest, quis fundum emit a non domino, bona fide, solutoque pretio, fundus ipsi traditur; deinde casu fortuito possessionem amittit, eaque pervenit ad venditorem, qui vel dominium jam acquisiverat, vel post obtentam possessionem dominus fit (1), emptori publiciana agenti opponetur exceptio dominii, sed haec exceptio poterit elidi, replicatione rei venditae et traditae, seu poterit dicere venditori emptor, *si tu a me possidente fundum venditum et traditum peteres, ego te exceptione rei venditae et traditae submoverem, ergo dum mihi publiciana agenti exceptionem opponis, si dominus non sis, hanc exceptionem excludere possum replicatione rei venditae et traditae*.

(1) Vid. ad § 4. quomodo fiat, ut venditor rei a se venditae, dominium nanciscatur.

§ XXXVI.

Aliquando etiam emptori publiciana agenti opponitur exceptio juris *aeque fortis*; iterum fingendum est, eum, qui bona fide ex causa venditionis possessionem nactus erat, casu fortuito possessionem amisisse, postea vero venditorem heredem exstitisse ei, cui bona fide et justo titulo possessio quaesita erat (1), qui itaque erat in conditione usucapiendi; in hoc casu venditor successit in jus sui auctoris (2), qua propter emptori publiciana agenti, videtur posse opponere *jus aeque forte*, sed exceptio in hoc jure fundata, replicatione rei venditae et traditae elidetur.

(1) Hic casus est satis complicatus, nam supponendum est, possessionem ab emptore recessisse casu fortuito, alium possessionem nactum esse, et hunc possessionem iterum in alium bona fide accipientem titulo oneroso transtulisse, atque huic venditorem heredem exstitisse : dixi *titulo oneroso*, nam si auctor venditoris tantum titulum lucrativum habuisset, venditor non haberet jus aeque forte, arg. L. 6. § 11. ff. *quae in fraud. cred. facta sunt.* Unde nil posset opponere emptori publiciana agenti, et proinde emptor non indigeret replicatione rei vend. et trad.

(2) Hujus rei ratio est, quod successor universalis etiam si in mala fide sit, tamen maneat in conditione usucapiendi § 12 inst. *de usucap.* et proinde quae publiciana ejus auctori competebat, ea etiam ipsi competere debet; aliud dicendum est de successore particulari, in quem, si in mala fide sit, publiciana transmitti nequit, propterea quod apud ipsum non amplius currat usucapio, ab ejus auctore coepta. L. 12. § 13. ff. *de acq. et amitt. poss.* Itaque si venditor ab aliquo titulo particulari mala fide, ut plerumque continget, possessionem nactus sit rei, quam jam vendiderat, etiamsi auctor ejus usucaperet et publicianam haberet, tamen ipse non habebit; et proinde non poterit opponere *jus aeque forte.*

§ XXXVII.

Notandum est hanc replicationem non aliter efficacem fore, quam si solutum sit pretium, nec obstat L. 8. ff. *de publ. in rem act.* in qua dicitur; publiciana actione quem experiri posse, etiam si pretium rei solutum non sit; nam haec lex de eo casu intelligenda est, in quo publiciana non contra venditorem, sed contra alios instituitur, qui profecto se tueri non possunt, allegantes pretium venditori non esse solutum; nec enim eorum interest; exceptio haec ex ipso contractu emptionis venditionis, qui bilateralis est, nata, tantum venditori ipsi ejusque heredibus datur quibus emptor obligatus est solvere; et certe si publiciana quis agat contra eum a quo emit, dubitari nequit, quin repellendus sit, pretio nondum soluto, nam venditor posset ab ipso emptore avocare rem sine metu exceptionis (1) nisi paratus esset solvere, ergo a fortiori retinere poterit, agente emptore.

Praeterea ut emptor possidens frustra opponit exceptionem rei venditae et traditae, pretio nondum soluto, inutiliter quoque sic replicabit, quae enim requiruntur ad exceptionem rei venditae et traditae, eadem necessaria sunt ut replicatio in hac exceptione fundata, efficax esse possit.

(1) Non enim ante dominium a venditore recedit, quam si pretium ipsi solutum sit, nisi fidem habuisset de pretio § 41. inst. de rerum divis. et si agat tanquam dominus, non poterit ipsi opponi exceptio rei vend. et trad., quoniam pretio non soluto, justa est causa vindicanti L. 1. § ult. in fine de except. rei vend. et trad.

§ XXXVIII.

Quod si emptor pretium offerret, videtur fundum avocare posse a venditore, arg. eorum quae diximus § 3, et quidem si venditor fidem habuisset de pretio, vel pactus esset ne intra certum tempus pretium peteret, emptor rem a venditore publiciana auferre posset, etiam pretio non soluto, ratio est, quod emptor non solvendo pretium ante terminum dilationis non defuerit obligationibus suis.

§ XXXIX.

Ut exceptio rei vend. et trad. etiam potest opponi iis, quorum mandatu res fuit vendita, vel qui ratam habuerunt venditionem, si hi eamdem avocare tentent, sic etiam per modum replicationis opponitur iisdem, si possessionem nacti conveniantur publiciana, quod probatur L. 14. ff. *de public. in rem act.* cujus casus hic est : procurator vendiderat rem mandatu domini, dominus autem prohibuerat ne traderet, et procurator nihilominus tradiderat; dicit JCtus emptorem tuendum esse, sive possideat sive petat rem, i. e. sive emptor possideat, et mandans qui dominium retinuit, velit auferre rem, de quo casu antea diximus, sive emptor possessionem casu fortuito amissam a mandante, ad quem pervenerat, recuperare velit.

§ XL.

Hic opportune quaeritur, utrum ei qui pro venditione rei suae ab alio facta fidejussor intercessit, responderi possit re-

plicatione rei venditae et traditae? Distinguendum est secundum principia § 33 tradita, utrum fidejussor etiam intervenerit, pro obligatione tradendi, quo casu si emptor petat a fidejussore rem, pro cujus venditione intercesserat, et fidejussor opponat exceptionem *dominii* aut similem, emptor uti poterit replicatione rei venditae et traditae; ubi enim exceptio rei venditae et traditae datur possidente emptore, etiam dabitur replicatio rei vend. et trad. possessione casu fortuito amissa, motaque actione publiciana.

CAPUT IX.

§ XLI.

Antea diximus exceptionem rei vend. et trad. esse realem, et proinde competere non emptori solum, sed et ejus successoribus, tam particularibus quam universalibus, sine distinctione utrum sint mediati an immediati, nocere autem quibuscunque venditoris successoribus, vel ejus cujus mandatu res fuit vendita, vel qui ratam habuit venditionem, vel qui pro emptore fidejubens, suscepit obligationem tradendi, idem de replicatione rei venditae et traditae dicendum est, et quod ad successores emptoris attinet, si quis intellexerit, quo modo et quare exceptio rei venditae et traditae ad eos transeat, simul aeque perspiciet quomodo et quare uti possint replicatione de qua agimus; aliqua solummodo de successoribus venditoris monenda sunt.

Quod si venditor dominium nactus decesserit, et aliquem reliquerit heredem, ejus dominium in heredem translatum (1)

(1) In hoc casu potest contingere, ut venditor cui dominium quaesitum erat etiam possessionem nactus esset, antequam moreretur, potest quoque evenire, ut solummodo dominium nactus sit, et haeres ejus vel possessionem jam haberet, tempore aditae hereditatis, vel deinde acquisiverit, quae quidem momenta non sunt attendenda, propterea quod nullam diversitatem in jure efficiant.

erit, qui proinde emptori publiciana agenti exceptionem dominii opponere poterit, sed ut haec exceptio defuncti replicationi rei vend. et trad. obnoxia erat, sic etiam si heres eadem utatur, eadem replicatione elidetur. Arg. L. 4. § 32. ff. *de doli mali et metus except.*

Quod si venditor reliquerit heredem dominum rei, quam vendiderat, et hic conventus publiciana objiciat exceptionem dominii, haec exceptio eodem modo elidi poterit replicatione rei venditae et traditae, ac in casu praecedenti. Replicatio enim illa oritur ex eo quod is qui publiciana convenitur, tenetur ad non avocandum; in hoc casu dominus rei venditae, qui simul haeres est venditoris, tenetur ad non avocandum, quia successit in obligationes venditoris.

§ LXII.

Haec de heredibus venditoris, addenda quaedam de successoribus particularibus : Interdum quis rem, quam ante vendiderat et tradiderat non dominus, deinde dominium nactus, in alium transfert. Hocce casu is, in quem posterius res translata est, acquisivit dominium, ideoque emptori publiciana rem petenti, potest objicere exceptionem dominii, talis est casus L. 52. ff. *de rei vind.* Aliquis bona fide fundum emerat a non domino, soluto pretio fundus ipsi fuerat traditus, deinde venditor fundi haeres exstitit domino fundi, itaque dominium nactus est, quod dominium in emptorem non transivisse,

supra fuse explicatum est. Quum venditori jam dominium quaesitum esset, emptor casu fortuito possessionem amisit, eaque devenit ad venditorem, ita ut et dominium et possessio apud eum essent, ipse tunc vendidit et tradidit fundum alii, et sic dominium transtulit; dicitur in hac lege, aequius esse, ut prior emptor potior sit, i. e. priorem emptorem actione publiciana a secundo posse auferre rem, ratio est, quod prior emptor fundum a venditore avocare potuisset, venditor autem non potuit in successores suos plus juris transferre quam ipse habebat; itaque cum venditoris exceptio dominii esset obnoxia replicationi rei venditae et traditae, eadem exceptio eidem replicationi obnoxia esse debet ratione secundi emptoris, hoc est quod dicitur in L. 4. § 32. ff. de doli mali et met. except. quod *venditor intelligatur eum fundum rursus vendidisse, quem in bonis non habebat;* quod non ita intelligendum est, ac si videretur illum fundum vendidisse, cujus dominus non erat, sed cujus possessio ab ipso ope actionis publicianae auferri poterat.

Obstare videntur ultima verba legis 31. § 1. ff. *de actionibus empti*, ubi dicitur : si *alter ex emptoribus a domino emisset, eum omni modo tuendum esse.*

Ut objectio, quae ex hac lege oritur, intelligatur, sciendum est, quid JCtus in antecedentibus dicat. Neratius auctor hujus legis primo agit de casu, in quo duo emptores separatim emerant, et traditam acceperant eamdem rem a non domino,

sive ab eodem sive a diversis; deciditque in utroque casu i. e. sive ab eodem sive ab alio atque alio emerint, eum tuendum esse, qui prior rem traditam accepit. Ita JCtus statuit, pro eo casu quo uterque a non domino emerat, quae decisio an vera sit, et consentanea sententiis caeterorum JCtorum postea examinabimus; sed deinde Neratius addit : *Si alter ex his a domino emisset, eum omnimodo tuendum esse*, atqui in casu supra exposito posterior emptor a domino emerat, ergo tuendus est.

Quod si lex haec sola de hac quaestione consuli posset, profecto ita respondendum esset, sed aliae permultae leges aperte contrarium decidunt, ut L. 72. ff. *de rei vind.* et L. 2. h. T. et L. 4. § 32. *de doli mali et met. except.* L. 73. ff. *de evict.*, harumque legum sententia sine dubio praeferenda est, praesertim quum rationi juris, et aequitati multo magis congruat, Neratii contra sententia ab aequitate recedit : hujus antinomiae ratio fortasse haec est : Neratius erat JCtus antiquioris aevi, et non sine ratione praesumi potest eo tempore, quo ipse vivebat, nondum fuisse cogitatum de eo casu, quo res sua ab ipso domino auferri posset. Quod tamen dubium non patitur; quare forsan ipse nimium generaliter locutus est.

Notandum est, posse contingere, ut secundus emptor, vel alius, qui *titulo oneroso* rem comparavit, non solum exceptionem dominii priori emptori, sed etiam exceptionem *aequalis juris* qua bonae fidei possessor, eidem opponere possit (1),

(1) Hanc exceptionem opponet, dum videbit se cum difficultate dominium probaturum esse.

nam si bona fide emit, fuit constitutus in conditione usucapiendi, itaque acquisivit jus idem, quod prior emptor, et proinde exceptionem hanc ipsi opponere potest, sed haec exceptio eodem modo replicatione elideretur ut exceptio dominii.

§ XLIII.

Jam dictum est de casu, quo venditor rei alienae dominium nactus erat, antequam de eadem re iterum disponeret, videamus de casu in quo venditor, antequam de re iterum disponeret, ratione ejusdem publicianam acquisiverat: fortasse cui mirum videbitur, venditorem rei alienae ratione ejusdem posse publicianam acquirere, nam is demum publicianam habet, qui constitutus fuit in conditione usucapiendi, et non aliter quis constituitur in conditione usucapiendi, quam si bona fide et justo titulo possessionem alicujus rei sibi comparaverit, non potest autem intelligi venditor sibi bona fide comparare rem, cujus possessionem sciebat se emptori suo vi contractus emptionis venditionis relinquere debere, quam itaque erat conscius se jure non posse retinere (1); quamquam haec ita sint, poterit tamen venditor publicianam acquirere, veluti dum haeres existit ei qui publicianam habebat, nam quanquam haeres mala fide possideat rem, quam defunctus bona fide possidere coeperat, tamen manet in conditione usucapiendi, § 7 Inst. *de usucap.*, ergo etiam dicendum est, eum

(1) Venditor videt, aequitatem postulare, ut possessio rei quam vendidit et tradidit, potius apud emptorem sit quam apud se, et hac de causa non possidet bona fide.

posse publicianam habere possessione forte amissa, quem casum §° 36 jam tetigimus.

Hoc itaque posito, venditorem publicianam nactum esse, iterum de re vendita disponens eam transferre potest, et fiet, ut is qui ab eo causam habet, et ex capite auctoris sui (1), et ex capite suo conditionem usucapiendi, et, possessione amissa, publicianam habeat, ita ut ex duplici capite exceptionem *aequalis juris* opponere possit, sed haec exceptio eodem modo, ac in casu praecedenti exceptio dominii, erit inutilis, opposita replicatione rei venditae et traditae.

Notandum est, eum qui rem accepit a venditore, tunc tantum aequale jus opponere posse, dum bona fide rem comparavit, nam si mala fide rem emerit, sine dubio aequale jus non habebit ex suo capite, utpote qui non fuit constitutus in conditione usucapiendi (2); et ideo nec publicianam habebit, nec etiam ex capite auctoris sui aequale jus habet, nam successori particulari, qui mala fide possidere incepit, non prodest possessio auctoris sui, cum itaque usucapere non coeperit L. 13. § 13. ff. *de acq. vel amitt. poss.* non postest habere

(1) Ideo ex capite auctoris sui publicianam habere potest, quod is qui bona fide rem comparat, ab eo qui usucapiebat, maneat in conditione usucapiendi, seu potius acquirat conditionem usucapiendi sui auctoris, vid. § penult. Inst. de usucap. et L. 14. § ult. ff. de diversis temporalibus etc. etc. et L. 13. § 11. ff. de acquir. et amittenda poss., ex quo patet, quam auctor ejus habebat publicianam, eam quoque ipsi competere debere.

(2) Qui enim titulo particulari mala fide rem alienam acquirit, non constituitur in conditione usucapiendi, ut eruitur ex princ. Inst. *de usucap.*

publicianam, nam is demum publicianam habet qui fuerat in conditione usucapiendi. Ex praecedentibus sequitur successorem particularem venditoris quoties ex capite auctoris sui publicianam habet, toties eamdem ex suo capite habere, ita ut vel utramque habeat, vel nullam. Quare ergo tam subtiliter indagavimus, utrum ex duplici capite ipsi publiciana competat? Mihi videtur non inutile esse hoc inquirere, quoniam potest contingere, ut utraque publiciana non eamdem efficacitatem habeat. Veluti dum successor particularis venditoris ab eo titulo lucrativo rem comparavit, quam ipse venditor titulo oneroso tenebat (1), in hoc casu successor ille venditoris, emptori publiciana agenti, poterit quidem exceptionem juris aeque fortis ex capite sui auctoris, non vero ex capite suo opponere, et dum nulla auctoris sui ratione habita solum modo allegaret, se ex suo capite jus aeque forte habere, ejus exceptio non esset fundata, ita ut emptor replicatione rei venditae et traditae non indigeret.

§ XLIV.

Superest tertio casus : in quo venditor neque dominium neque publicianam habebat, dum de re vendita iterum disponebat, et in hoc casu potest contingere, ut is qui rem comparavit, exceptione aequalis juris uti possit, et ut eadem uti non possit. Hac exceptione uti non poterit, si sciens rem alie-

(1) Hoc ita est, quia in actione publiciana titulus lucrativus non consideratur aeque fortis ac titulus onerosus.

nam sibi comparavit, tunc enim non fuit constitutus in conditione usucapiendi, et proinde non potest ipsi competere actio publiciana, ergo non habet jus aeque forte. Poterit autem hanc exceptionem opponere, si rem emit cum ignoraret, eam esse alienam, sed ejus exceptio iterum replicatione elidetur. Ratio est, quod res ab auctore ejus peti potuisset, ergo etiam ab ipso, quia auctor ejus non potuit plus juris transferre quam ipse habebat. Praeterea si dominium in secundum emptorem aliumve similem fuisset translatum, prior emptor non prohiberetur fundum petere, L. 72. ff. de rei vindicatione, ergo multo minus prohibebitur, dum dominium non acquisivit, is qui ultimo loco rem comparavit, sed tantum fuit constitutus in conditione usucapiendi. Hic pertinet L. 9. § 4. ff. de public. in rem act., in qua dicitur : si duobus idem non dominus separatim vendiderit bona fide ementibus, eum potiorem esse, cui priori res est tradita, id est eum cui priori res est tradita, publiciana rem auferre posse ei qui deinde emit. Scilicet uterque rem acquisivit possessionem titulo oneroso a non domino, adeoque hoc intuitu habent jus aeque forte, sed si contra priorem emptorem publiciana agentem, secundus emptor recurrat ad exceptionem *aequalis juris*, prior emptor utiliter utitur replicatione rei venditae et traditae.

Hic iterum amimadvertendum est, eum solummodo posse opponere exceptionem aequalis juris, qui titulo oneroso rem a venditore traditam accepit, nam cum in actione publiciana hoc speciale sit, ut titulus lucrativus habeatur debilior quam onerosus, qui titulo lucrativo rem tenet, non habet jus aeque

forte, ac is qui ex causa venditionis rem traditam acceperat. Hinc patet necessariam non esse replicationem rei venditae et traditae, dum emptor petit rem ab eo, qui titulo lucrativo ab ejus venditore rem tenet; nam quum possessor nulla se exceptione tueri possit, non indiget emptor actor replicatione.

§ XLV.

Ex praecedentibus patet, replicationem rei vend. et trad., quibuscunque venditoris successoribus aliqua se exceptione tueri conantibus ab emptore publiciana agente objici posse, notandum est autem, hac replicatione emptorem non adversus alios, quam venditoris, vel saltem eorum quos obligatio tradendi obstringit successores uti posse.

Hoc principio duce examinanda est L. 31. § 2. ff. de act. empt. In hac lege primo deciditur, dum duo eamdem rem emerunt ab eodem non domino, eum qui prius traditam accepit, adversus alterum publiciana uti posse; quae decisio prout in § praeced. expositum est, vera est. Deinde JCtus quoque decidit, priorem emptorem etiam tuendum esse si a diversis non dominis emerunt, haec autem decisio falsa esse videtur, nam si prior emptor a secundo rem auferre potest, hoc ideo locum habet, quia replicatio rei venditae et traditae auctori secundi emptoris obstabat, dum vero rem eamdem a diversis non dominis emerunt, is a quo secundus emptor rem comparavit, non contraxerat cum priori emptore, adeoque replicatio rei vend. et trad. ipsi non obstabat, ergo etiam ejus successor

hanc replicationem timere non debebit, dum utetur exceptione juris aeque fortis adversus priorem emptorem publiciana agentem.

Objicitur de valore legum non esse ratiocinandum, sed leges sequendas esse, quales constitutae fuerunt? Respondemus, hanc legem esse contrariam aliis legibus, et in hoc conflictu potius leges rationi juris consentaneas sequendas esse, quam eas quae a ratione juris sunt alienae.

Sunt qui legem 31. § 2. *de act. empt.* conciliare studentes, cum L. 9. § 4. ff. *de public. in rem act.* fingunt, JCtum in L. 31. § 2. agere de publiciana concedenda non uni ex duobus emptoribus contra alterum, sed alterutri ex ipsis contra tertium possessorem, dicuntque in hoc casu recte praeferri eum, qui prius rem traditam accepit, propterea quod, neutro possidente, in reliquis omnibus sint pares. Sed praeterquam quod nil indicet, menti JCti obversatum fuisse ejus modi casum, etiam si hoc fingamus, nihilominus haec lex non congruet cum ratione juris, nam dum duo bonae fidei emptores ejusdem rei, quorum uterque fuit constitutus in conditione usucapiendi, actione publiciana rem petunt ab eodem possessore, is potior non est, qui prior rem traditam accepit, sed is qui prior judici suam intentionem probavit, victoriamque retulit; ratio est, quod possessor judicio prius ab hoc victus ei rem restituere cogatur arg. L. 57. ff. *de petit hered.*, quo facto controversia ulterior erit decidenda inter istos duos petitores juxta distinctionem L. 9. § 4. *de publ. in rem actione.*

XIII.

AUGUSTI MARIAE JUSTINI MOLITOR

RESPONSIO

AD QUAESTIONEM LITERARIAM.

AUGUSTI MARIAE JUSTINI

MOLITOR

JURIS IN ACADEMIA LOVANIENSI CANDIDATI

RESPONSIO

AD QUAESTIONEM AB ORDINE PHILOSOPHIAE ET LITERARUM HUMANIORUM PROPOSITAM :

Conscribatur Historia Senatus Romani; ita quidem ut, accurate fontibus undique excitatis doceatur, quae fuerit origo Potestatis Senatoriae; quae ejus in rem Romanorum publicam, omni tempore, sub qualibet Reipublicae (Regiae, Liberae, Caesareae) forma, et vis et auctoritas; quae hujus auctoritatis incrementa, vicissitudines, imminutio, interitus....

QUAE PRAEMIO ORNATA EST ANNO MDCCCXXIII.

Omnia orta occidunt, auctaque senescunt.

Sallust. Bellum Jugurthi.



L. S.

Quanquam virium tenuitati neutiquam accommodatum opus me adgredi, et tantae moli ferendae imparem esse non ignorabam, infaustique inprimis laboriosi juvenis, qui huic anno praeterlapso operam dederat, conatus ab eo suscipiendo me dehortabantur, plus tamen apud me potuit ingens, qua flagrabam, cupiditas id efficiendi, ut intelligerent Viri praestantissimi et amplissimi, quibus Philosophiae Professoribus usus sum, quique ad cognitionis et scientiae amorem mirum in modum me duxerunt, mea non resedisse studia, sicque in stadium prodire non dubitavi, cujus metam haud providebam.

Seu contigerit incoepto optatus exitus, seu res aliter evenerit, numquam consilii me poenitebit, et ea, quam ex multis disquisitionibus percepi, utilitate meae jam compensantur lucubrationes. In conscribenda autem commentatione mea hunc ordinem secutus sum. Praemissa introductione, totum argu-

mentum in tres libros divisi, quorum primus de Senatu Romano, tempore Regum, secundus tempore Reipublicae, tertius, tempore Imperatorum, ageret: et quo ad cognoscendum omnia illustria magis magisque in aperto essent, Senatoriaeque Potentiae vicissitudines et magni rerum eventus primo paterent obtutu, varios libros in diversas periodos, quarum summa totam Senatus Historiam paucis complectitur, digerere necessarium duxi.

INTRODUCTIO.

DE NONNULLIS, QUAE ROMULO ADSCRIBUNTUR, INSTITUTIS, NOMINATIM DE ORIGINE SENATUS ROMANI ET POTESTATIS DISTRIBUTIONE INTER REGEM, SENATUM ET POPULUM.

Urbis illius, quae rerum gestarum magnitudine, virorum clarorum ac fortium numero, rei bellicae peritia, juris civilis scientia, denique motibus ipsis, quibus dilacerata conquassataque fuit, insignis attonitas etiamnum tenet hominum mentes, Conditor et Parens dicitur Romulus regio loco ortus, quem una cum Remo deducendae coloniae principem Proceres Albanos elegisse vero videtur proximum (1).

Is acer, bellicosus, manu promptus, interfecto fratre, potestate regia annuentibus diis accepta, ubi angusti imperii fines, ditioni Populis plerisque circa degentibus subactis, prolatavit, gnarus (ut ferunt) Imperium Romanum tunc demum stabile firmumque mansurum, si opus vi inchoatum legibus firmaret et communiret, animum haud multo post adjecit ad Rempublicam concinne sapienterque ordinandam (2) : atque, ut ait

(1) Dionysius Halicarnassensis lib. I. p. 36. 57. lib. II. p. 78. ed. Sylburg.
(2) Idem lib. II. p. 82.

Livius (1), *multitudini, quae coalescere in populi unius corpus nulla re, praeterquam legibus poterat, jura dedit.* Primum omnium universam multitudinem, quae hominum tria millia non superabat, in tres partes, quas Tribus vocavit, unamquamque Tribum in decem Curias, Curias istas in decem Decurias distribuit. Deinde agrum quoque partitus est Rex in triginta sortes aequales, singulis Curiis singulos sortiri agros jussis, exempto etiam prius, quantum fanis et delubris sufficeret, et quadam parte, quae juris publici esset (2).

Postea genere claros, virtute commendatos, opibusque, ut tunc ferebant tempora, abundantes ab obscuris, egenis et humilibus discrevit; inde nova in Patricios et Plebeios divisio. Qua tum facta divisione, quum vereretur, ne aliis superbia et arrogantia, aliis invidia exagitatis simultates jurgiaque existerent, rationem iniit quemadmodum utrumque ordinem arctissimo colligaret vinculo, optione cuique e vulgo data patronum sibi e nobilibus eligendi, cui obsequium praestaret, et a quo defenderetur : sicque exortum est jus Clientelae et Patronatus, cujus Sacro-Sancta diu habita sunt a Romanis officia. Iis ita ordinatis, Romulus haud minoris momenti fore ratus, si novam urbem Consilii ope quoque fulcisset (3), (judicabat enim, auctore Cicerone (4), idem quod spartae Lycurgus paulo ante viderat, tum melius jubernari et regi ci-

(1) Lib. I. c. 8.
(2) Dionys. Hal. lib. II. p. 82.
(3) Panvinii civ. Roman. p. 8.
(4) De Republica II. 9.

vitates, si esset optimi cujusque ad illam vim dominationis adjuncta auctoritas,) Senatum constituit tamquam Consilium Reipublicae sempiternum (1), centum viris, quibus corpus annis infirmum, ingenium sapientia validum erat, delectis (2) qui ex auctoritate sive propter caritatem Patres, aetatis causa Senatores vocati (3) cum Regibus Reipublicae consultarent (4). Haec fere omnes.

Verum, quanquam plerique rerum Scriptores, cum veteris tum recentioris aevi, Romulum viribus suis diffidentem non alio consilio Rempublicam ordinasse Imperiique consortes centum viros fecisse arbitrantur, quam ut utilitati omnium prospiceret: ea tamen sententia non comprobanda est illi, qui vera a falsis distinguere, germanam rerum originem, involutasque res intenta ingenii acie explicare consueverit. Etenim si rebus obductas tenebras dispellimus, persuasum nobis erit Romulum potius necessitate coactum jura dedisse et in societatem Regni plures adscivisse, quam quod unum vel spectatae indolis et impigrum Rempublicam capessere non posse intelligeret: aliis verbis, *non ab eo creatos, sed cum eo natos esse Senatores.* Cujus quidem sententiae confirmandae causa varia argumenta hic paucis exponemus, ne quis suo jure temeritatis nos arguere videatur, quod luculenta variorum Scriptorum testimonia parvi fecerimus.

Inprimis error ille, quo plurimi tenentur a Romulo creatos

(1) CICERO pro Sextio. c. 65. LIVIUS 1-8.
(2) SALLUSTIUS Bell. Catil. c. 6.
(3) FLORUS lib. I. c. 1. CICERO de republ. II. 8. II. 28.
(4) EUTROPIUS lib. I. c. 2. VELLEIUS PATERCULUS 1. 8.

institutosque esse Senatores, inde, meo quidem judicio, repetendus est, partim quod omnes fere ea pervasit opinio Romam esse ortam ex colluvie praedatorum, quibus nec juris nec sancti quidquam, nec ulla lex erat praeter Ducis voluntatem, partim quod, quum omnia in monarchiis ex regia auctoritate, (id est, ex potestate summarum rerum Populi nomine administrandarum) fieri soleant, nemo sibi persuadere potuit Senatus originem ab alio fonte, quam a Regis nutu et arbitrio manasse.

Verum quis errantem hanc de origine Urbis non deponet errorem, qui animo reputaverit totam constitutionem Romanorum primariam magnum jam demonstrare culturae gradum: ceu intelligi potest ex origine et cultu nobilitatis haereditariae per Patricios, ex ordinatione Populi in Tribus, Curias, Decurias, ex Religionibus, quae cum constitutione civili arctissime conjunctae religionem publicam effecere; qui Cultus utique non exstitisset, si suis elementis Roma constitisset.

Ea igitur omnia fidem nobis faciunt Romam coloniam fuisse civitatis alicujus excultae et bene moratae, cujus instituta atque mores retulit. Haec autem civitas princeps et Romae quasi fundamentum erat Alba Longa, urbs opulentissima ubi jam pridem florebant omnia illa instituta, quae Romae jam ab initio vigere deprehendimus, et unde una cum Romulo et Remo migravere familiae potentissimae, imperio assuetae, in nova urbe imperii participes futurae, et quae Romulum ad summum locum magis provexerunt, quam potestatem ab illo acceperunt. Quod igitur ad Senatus originem attinet, hoc tenendum est, 1° Senatus socios omnes ejusdem et antiquitatis

et nobilitatis fuisse ab initio, ac Romulum et Remum : 2° usos fuisse Albae Longae eadem auctoritate et dignitate, id est, fuisse ex senatoria gente : 3° Romulum tamen et Remum regio genere ortos, ideoque ex capitibus ejus reipublicae fuisse : igitur in eos vel Romae translatam esse potestatem regiam, tum usu antiquo, tum volentibus Senatoribus : multum itaque abesse, ut a Romulo creati sint Senatores.

Propterea etiam, adeo superbi erant Romae in nova urbe, quoniam una simulque orti erant cum Regibus et ex eadem civitate, ac summum imperium magis magisque in dies arrepta occasione sibi arrogare studuerunt, (quippe qui sibi haud alienam potestatem appetere viderentur) : imo Romulum ipsum, ubi nimiam contra mores patrios potestatem affectavit, e medio sustulerunt; quae omnia utique longe aliter se habuissent, si munus tam conspicuum Regi acceptum referre debuissent.

Huc adde quod Reges Romani non haereditario jure imperii habenas tenuerint, sed ex Patrum auctoritate, qui ipsi continuis ex antiquo tempore nominibus gentiliciis probarunt sese jure patrio Patres esse, neque vero jure regio (1).

Rex igitur Romanorum nihil aliud erat, nisi electum a liberis Senatoribns caput, idque maximam partem ad belli munera; quod quidem apud omnes populos antiquos moris fuit.

Denique huic opinioni auctoritatem id adjungit, quod vel omnino Reges a Senatoribus ejecti sunt, qui, ipsis ejectis, eo-

(1) Excipe tamen Senatores Minorum Gentium qui reipsa a TARQUINIO PRISCO *creati sunt*.

rum potestatem tenuerunt, parum obloquente Populo, qui inscius non erat, quantam in administranda Republica partem sibi reservassent Senatores, ubi Alba Longa migraverunt. Haec sunt, quae tanquam certa referri posse videntur de origine Senatus illius, qui diu orbi terrarum leges praescripsit, et cujus potentia sensim ut fumus in auris evanuit.

Hactenus vidimus rebus praeesse Regem, imperiique participes factos centum viros, qui ejus auctoritatem temperarent. Antequam vero ulterius nostra progrediatur oratio, paulo uberius, prout tamen res postulabit, qualis, lege fundamentali, Regi, Senatui, Populoque auctoritas fuerit concessa, disserere necessarium ducimus, quo ad cognoscendum omnia illustria magis magisque in aperto sint. Si DIONYSIO fides est, haec Regis fuere munia (1): ut sacrificiorum reliquorumque sacrorum cura penes eum foret : deinde ut legum ac consuetudinum patriarum haberet custodiam, omnisque juris, quod vel natura dictat, vel pacta et tabulae sauciunt, curam ageret : tum ut de gravissimis delictis ipse decerneret, leviora permitteret Senatoribus, providendo interim, ne quid in judiciis peccaretur; postea ut Senatum cogeret, Populumque in concionem convocaret, primus sententiam diceret, quod pluribus placuisset, ratum haberet; summum insuper in bello imperium ei foret. Penes Senatum reipublicae administratio erat, idque officium impositum ut hic, de quibus a Rege ad ipsum referretur, de iis decerneret ferretque calculum, ita ut plurimorum semper obtineret sententia.

(1) DIONYSIUS HALIC. lib. II. pag. 87.

Plebi autem tria haec commisisse perhibetur Rex : Magistratus creare, leges sancire, de bello, si permisisset Rex, decernere. Limitibus tamen Plebis potestas circumscribebatur; accedere enim debebat Senatus auctoritas, latisque suffragiis, quod pluribus Curiis visum fuerat, id denuo ad Senatum referebatur (1).

Hujus narrationis summam eam esse profitentur Multi (2), Reipublicae statum a Romulo descriptum aequatum temperatumque fuisse ex tribus optimis Rerum Publicarum modis aequabilitatemque magnam habuisse. « *Le Roi, le Sénat et le Peuple étaient, pour ainsi dire, dans une mutuelle dépendance, et il résultait de cette dépendance réciproque un équilibre, qui modérait l'autorité du Prince et qui assurait en même temps le pouvoir du Sénat et la liberté du Peuple.* » — « *La constitution était monarchique, aristocratique et populaire, et telle fut l'harmonie du pouvoir, qu'on ne vit ni jalousie, ni dispute dans les premiers règnes.* »

Quanquam incliti Viri, quorum sententiam retuli, sibi multisque fidem fecerunt ac persuaserunt Populi summam fuisse potestatem, qua Regis potentia Senatusque auctoritas temperaretur, tamen rem longe aliter se habuisse, Populumque auctoritatis speciem et umbram (nisi a Potenti aliquo exagitaretur) magis habuisse, quam auctoritatem ipsam probasse videtur Beaufort (3). « *Ce Gouvernement*, ait, *tel, qu'il avait*

(1) Dionysius Halic. lib. II. p. 87.
(2) Vertot, Rollin, Midleton, Montesquieu, *Esprit des Lois, Liv. XI. c.* 12.
(3) *République Romaine, p.* 186 *édit. in-4to. La Haie* 1766.

été établi par les Rois, et tel, qu'il subsista au commencement de la République, donnait au Sénat une autorité très étendue, et si le Peuple donnait ses suffrages, c'était d'une manière si dépendante, qu'il est aisé de remarquer, que le Peuple n'était consulté que pour la forme et que ce n'était qu'en apparence, qu'il avait quelque part au gouvernement. »

Et quidem vetustissima Populi convocandi ratio, quae ad Servium Tullium usque duravit, erat per Curias; calculum vero ferre non poterant Curiae, nisi, re prius in Senatu agitata, Senatusconsulto cautum esset, ut coram Populo ageretur : huc adde quod Comitiorum suffragium, antequam vim legis acciperet, Senatus ratum facere deberet (1). Populi igitur potestas Senatorum auctoritati obnoxia erat. Praeterea, si divina signa et auspicia assensissent; namque comitia non nisi auspicato haberi poterant et amplissimi Sacerdotii Collegium, quod solis Patriciis, imperii constitutione, constabat, maximam vim exercebat, cum hi soli signa, quae videbant aut se videre contendebant, interpretarentur, atque ubi rem aliter se habere animadvertebant, ac sibi propositum erat, adhibita causa, saepe levi, interdum prorsus falsa, concilium dirimerent. Pias istas fraudes detegere non dubitavit CICERO (2). « Fulmen sinistrum, auspicium optimum habemus ad omnes res, praeterquam ad Comitia; quod institutum Reipublicae causa est, ut Comitiorum vel in judiciis publicis, vel in jure legum, vel in creandis magis-

(1) TIT. LIVIUS lib. I. c. 17. DIONYS. H. lib. IV. p. 276. lib. IX. p. 598.
(2) De Divinatione lib. II. c. 12.

tratibus principes civitatis essent interpretes. » Quanti vero momenti fuerit Augurum munus, (ab ipso Romulo institutum,) ex verbis Oratoris Romani constat (1). « Maximum autem et praestantissimum in Republica jus est Augurum et cum auctoritate conjunctum; neque vero hoc, quia sum ipse Augur, ita sentio, sed quia sic existimare nos est necesse; Quid enim majus est, si de jure quaerimus, quam posse a summis imperiis et summis potestatibus comitiatus et concilia vel instituta dimittere, vel habita rescindere : quid gravius, quam rem susceptam dirimi, si unus Augur alio die dixerit? (2) » Multo plura proferre possem exempla, e quibus pateret istam scientiam non nisi ad agendi consilium, Populi continendi causa, pertinuisse; ast ea referre et supervacaneum et fastidiosum foret, eo magis quod, prolatis exemplis, res, ut opinor, satis dilucidata fuerit. Ceteroquin sententiam meam plures amplexi fuêre, in quibus sagacissimus LEVESQUE (3) : « *Comme les augures étaient maîtres de voir les auspices favorables ou contraires, ils l'étaient aussi de reculer à leur gré les assemblées ; on peut croire qu'elles étaient ajournées toutes les fois, que les dispositions du peuple ne s'accordaient pas avec les intentions du Monarque et du Sénat, et qu'on*

(1) CICERO De legibus lib. II. c. 12.

(2) Augures ex ordine Patriciorum solo eligebantur ad annum 450, quo quinque Plebeii electi fuêre. TIT. LIV. lib. X. c. 9. munere numquam privari poterant, vel maximorum criminum convicti, indubie ne arcana imperii ipsis commissa patefierent. PLUTARCH. Problemata Rom. 99. quantopere desideraverit CICERO fieri Augur, aperit epistola quinta lib. II. Epistolarum ad Atticum.

(3) Tom. I. p. 84.

prolongeait les délais, jusqu'à ce qu'on eût eu le temps de changer l'opinion publique. » Fixum ideoque sit et deliberatum Populi auctoritatem arctissimis limitibus, imperii constitutione, circumscriptam fuisse, ac in Monarchia ista, quae mixta vocatur, Plebeios, ut verum loquamur, Regis Optimatumque subditos fuisse (*sujets du roi etc.*) eo magis quod Plebeiorum pleraque pars Clientelae vinculo Proceribus devincta esset.

At Patricii, quibus solis, Imperii constitutione, munera militaria et religiosa, sive publica ambire ac proinde instituto Senatu, Rempublicam capessere licebat, etsi obnoxii Regi, qui sacris religionisque ritibus praeerat, summa potestate fruebantur, eo magis quod discrimen inter Ordinem Patricium et Plebeium religiosa confirmaretur opinione. Deorum enim voluntatis solos Patricios esse interpretes posse vulgo credebatur (1). Hisce praemissis, oratio mea ad historiam Senatus Romani ipsam delabitur.

(1) TIT. LIV. lib. IV. c. 6.

HISTORIA SENATUS ROMANI.

LIBER PRIMUS.

HISTORIA SENATUS SUB REGIBUS.

PERIODUS PRIMA.

A Romulo ad expulsum Tarquinium.

1—244.

In hac periodo quae ducentos quadraginta quatuor annos complectitur, Senatus cum Romulo natus neque ab eo creatus, firmitatem stabilitatemque acquirit. Senatores tamen, quum suam a Regibus temperatam vident auctoritatem, dominationisque accenduntur studio, jam ab initio regium imperium abolere tentant: tandem regnante Tarquinio secundo conatus iterant, resque ex sententia succedit.

Romulus initio Rempublicam Senatorum consilio administravit. Hic enim Princeps, ut erat alta mente praeditus, eorum auctoritatem tum aspernari animosque a se abalienare e re sua 1-37.

non esse intelligebat: sic illis suadentibus Legatos circa vicinas gentes misit, qui societatem connubiumque cum novo Populo peterent (1): de rapiendis Virginibus Sabinis cum Senatu communicavit (2): retulit etiam ad Senatum de captis urbibus Caeninensium et Antemnatum, quid censerent statuendum (3). Postea vero diuturna regnandi consuetudine multis magnisvictoriis elatus ac Satellitibus ut verisimile est confisus (4), auctoritatem Senatus parvi facere, quinimo pro nihilo habere incoepit (5), et Senatum ipsum sibi invisum evertere animo forte parabat, quum Senatores irrita ejus consilia fecerunt; Remotis enim fabulis, illum Patrum manibus discerptum fuisse credimus (6), et si fides Dionysio adhibenda est, tanto odio in Romulum flagrarunt Senatores, ut frustratim discerptum corpus sub togis tulerint, clamque terra obruerint (7); sed Plebs et Milites quorum animis acceptissimus erat, Patrum saevitia interfectum esse Romulum suspicati, (nam fama etsi perobscura manaverat), mox eum desiderabant quo duce tot Populorum spoliis locupletati fuerant. Tum sollicita civitate desiderio Regis, et infensa Patribus, Senatorum unus

(1) TIT. LIV. lib. I. c. 9.
(2) DIONYS. H. lib. II. p. 99.
(3) DIONYS. H. lib. II. p. 102.
(4) TIT. LIV. lib. I. c. 15. trecentos armatos, ait LIVIUS, ad custodiam corporis quos Celeres appellavit, non in bello, sed in pace habuit.
(5) DIONYS. H. lib. II. p. 118. sub fin. PLUTARCH. in Romulo p. 308. in-folio. Senatores multum a se abalienasse Romulum scribit Plutarchus, quod agrum militibus inconsulto Senatu donasset.
(6) TIT. LIV. lib. I. c. 17.
(7) DIONYS. H. lib. II. p. 118.

Proculus Julius nomine, impulsu Patrum, quo illi a se invidiam interitus Romuli pellerent (1), in concionem prodiisse dicitur, et Plebi narrasse, sibi visum Romulum in coetum Deorum receptum, eumque nunciasse, Romam Caput terrarum orbis futuram. Quem itaque vivum pati haud potuerant Senatores, hunc in Deorum numerum referre non dubitaverunt (2).

Novus Rex post Romuli necem eligendus fuisset; verum 37-38.
Senatores animo reputantes fore ut, si ad gubernacula sederet unus, serius ociusve se, Senatum premendo, efferre niteretur ejusve exitio et pernicie auctoritatem suam communire studeret, longe alia moliebantur: et quum jam pridem in eam curam et cogitationem incubuissent qua via dignitatem potestatemque tenerent soli, oblatam occasionem arripientes tentaverunt ut ipsi gererent sine Rege rempublicam (3). Quum vero Populus id non tulisset, desiderioque Romuli Regem flagitare non destitisset, consilio sibi grassandum intellexit Senatus, qui ut multitudinem sine ullo suo incommodo placaret, callide sanxit ut, quoad certus Rex declaratus esset (4), singuli Senatores quinque dierum spatio summae rerum praeessent (5),

(1) Cicero de Republi. II. 10.

(2) *Le Sénat lui dressa des autels après sa mort,* inquit Vertot, (*Révolutions Romaines*) *et il fit un Dieu de celui qu'il n'avait pu souffrir pour Souverain. tom. I. p.* 32.

(3) Cicero de Republi. II. 12.

(4) Idem ibidem.

(5) Dionys. H. lib. II. p. 119. Tit. Liv. lib. I. c. 17.

Notatu dignum nobis videtur rerum scriptores dissidere de ratione, qua Senatores inter se summam potestatem interregno annuo post Romuli mortem partiti fuerint.

tali modo sibi regiam potestatem assumpserant, atque innumeri Romanis pro uno erant Domini. Fremere tum demum Plebes multiplicatam servitutem, conqueri, efflagitare, ut istius modi imperio finis fieret : postulare Regem et a se electum. Quum sensissent ea moveri Patres, Plebemque ad rebellionem propensam esse viderent, offerendum ultro rati quod amissuri erant, rationem inierunt quomodo Populum placarent nec plus juris darent, quam detinerent (1). Decreverunt itaque, ut, quum Populus Regem jussisset, id sic ratum haberetur, si Patres auctores fierent (2). Postea in concionem prodiit Interrex; quod bonum, faustum, felixque sit, inquit, Quirites, Regem create, ita Patribus visum est: Patres deinde si dignum, qui secundns a Romulo numeretur, crearitis auctores fient. Tali astutia versutus Senatus adeo Populi iram sedare et lenire potuit, ut ista Plebes, modo minax et furibunda, nunc specie decepta, placida fieret, ac, ne beneficio victa videretur, electionem permitteret Senatui (3).

DIONYSIUS H. asserit singulos Senatores quinque dierum spatio interreges fuisse. LIVIUS contra scribit e centum Senatoribus, decem decuriis factis, decem imperasse quinque dierum spatio, licet tantum unus ex iis cum insignibus imperii et lictoribus fuerit. In hoc etiam dissentit uterque rerum scriptor, quod unus centum, alter vero ducentorum Senatorum meminerit.

(1) TIT. LIV. lib. I. c. 17.

(2) TIT. LIV. lib. I. c. 17.

(3) IDEM ibidem. DIONYS. H. lib. II. p. 120. *La conduite du Sénat*, ait J. F. BILHON, (*du Gouvernement des Romains, Paris* 1807. *p.* 14.) *pendant l'interrègne qu'il y eut après la mort de Romulus, et dont le peuple commençait à se lasser, est tout-à-fait digne de remarque. Ce corps arrêta qu'à l'avenir les rois seraient nommés par le peuple, mais que ces nominations seraient confirmées par le Sénat; politique habile, qui détruisait, dans l'esprit public, toute idée d'usurpation et de tyrannie,*

Posteaquam Plebs Regem eligendi Senatui curam demandaverat, magna contentione utrinque certarunt Senatores Romani, et Sabini (foedere icto cum Tatio, quocum communicatum fuerat imperium, in Senatum cooptati,) ex utro ordine Rex eligeretur (1): oriundi a Sabinis ne, quia post Tatii mortem a sua parte non erat regnatum, in societate aequa, possessionem imperii amitterent, sui corporis Regem creari volebant: Romani contra veteres peregrinum Regem aspernabantur (2). Tandem, post longam acremque partium contentionem, id pepigere, ut seu veteres seu novicii Regem eligerent, ea tamen lege, ne ii, quibus sorte electionis jus obtigisset, Regem

et prévenait en même temps toute espèce de dissentions civiles. Cf. etiam CHAPMAN de Senatu Romano, qui p. 346. cur interrex eligeretur, aperit. *L'élection des magistrats,* inquit, p. 376. 347. *se faisant d'abord dans les comices par Curies, et ensuite dans les comices par Centuries, il fallait un décret du Sénat, pour autoriser ces assemblées; de là vient que, lorsque le trône devenait vacant, le peuple ne procédait à le remplir, qu'après que l'interrex l'avait assemblé par ordre des Pères.*

(1) DIONYS. H. lib. II. p. 120.

(2) Contentionis ortae inter Senatores veteres et novicios mentionem etiam facit LIVIUS, lib. I. c. 17. Hic vero non congruit cum DIONYSIO H. quod illos dissentire statim post Romuli obitum, id est, ante interregnum: DIONYSIUS contra per et post interregnum scribat. LIVIUS etiam addit illos ad unum omnes, in variis voluntatibus, Regem tamen voluisse, libertatis dulcedine nondum experta, eosque eam duntaxat ob causam statuisse, neutro ordine alteri concedente, ut vicissim regnarent, quia timor Patres incesserat, ne civitatem sine imperio, exercitum sine Duce, multarum circa civitatum irritatis animis, vis aliqua externa adoriretur. Qua quidem in re LIVII sententiam prorsus a vero alienam esse asseverare non dubito. Existimarim potius veteres Senatores, temporibus inimicitias privatas condonantes, oblatam illico arripuisse occasionem sibi summam rerum potestatem vindicandi, invicemque novicios: illosque omnes solum dissensisse, ubi, quod affectaverant, consecuti erant. Eo facilius adducor ad credendum rem ita se habuisse, quod nullibi DIONYSIUS HAL. contentionis alicujus ortae statim post Romuli obitum meminerit.

e suo corpore crearent (1) : Sorsque veteribus obtigit, qui ad unum omnes Numae Pompilio regnum deferendum decreverunt (2). Nec miretur aliquis illos ad gubernacula Reipublicae externum virum admovere non fuisse gravatos ; tali enim pacto incommoda quaeque ad bonos vertebant exitus et quod eis in voto erat, necessario eveniebat, siquidem electo Principi nulla arridere poterat spes, fore ut jure haereditario progenies sua regno Romanorum potiretur : (quippe qui non passuri fuissent sibi externam praeesse sobolem.) Hactenus igitur Senatores id effecerant, ne Monarchia fieret haereditaria, quod tanquam potestatis suae exitium reformidabant. *Les grands*, inquit BEAUFORT (3), *devaient naturellement souhaiter que la couronne restât élective ; quoiqu'ils ne fussent pas maîtres des élections, le peuple ne pouvait choisir que ceux, qu'ils approuvaient, et ils le tenaient par là dans leur dépendance ; d'ailleurs ils pouvaient tous espérer de se voir élever à l'autorité souveraine : au lieu que la couronne étant rendue héréditaire, ils en étaient exclus à jamais.*

38-81. Senatui non fuit poenitendi locus elegisse Numam cujus singulis institutis Patriciorum potestas communiebatur ; quandoquidem eo spectaverunt hujus Principis consilia, ut superstitione omnis generis imbuta Plebs Deorum metu continere-

(1) DIONYS. H. lib. II. p. 220.

(2) TIT. LIV. lib. I. c. 18. DIONYS H. loco citato. Hic auctor parum sibi constare videtur, ubi scribit lib. II. p. 121. eum Tribuum per singulas Curias suffragiis Regem declaratum et Patrum calculo confirmatum.

(3) *Discours prélimenaire, p. XV.*

tur, sicque submissius iis pareret, quos iratorum Deorum iram deprecari posse credebat (1). Talis agendi ratio Senatui grata esse debuit; (qui enim Tyrranidem affectat, is multitudinem veras rerum causas cognoscere aegre fert (2). Princeps ille pacificus, mitis, religiosusque ita de re romana bene meritus, quod omnium ordinum concordiam instauravit, ut de communi consilio provideretur (3), naturae concessit, anno aetatis 80, regni 43.

Numae morte res ad interregnum rediit (4): et paulo post Tullum Hostilium Regem Populus jussit, Patresque auctores facti sunt (5). Quo principe regnante, non modo integra mansit Senatus auctoritas, sed etiam incrementum cepit. Quam anxie et sollicite sibi in consilium adhibuerit Senatores, litterarum monumentis tradiderunt Historici : sic, audita Albanorum proditione, concitato equo e castris Romam properat Tullus, evocatisque ante mediam noctem domo Senatoribus, 81-113.

(1) Dionys. H. lib. II. p. 122 et 123. et apud Tit. Liv. lib. I. c. 19. 20 quomodo religionem, sacra, Sacerdotesque instituerit.

(2) *Romulus et Numa asservirent les Dieux à la politique. Le culte et les cérémonies, qu'ils instituèrent, furent trouvées si sages, que lorsque les rois furent chassés, le joug de la Religion fut le seul, dont ce peuple, dans sa fureur pour la liberté, n'osa s'affranchir. — Quand les Législateurs Romains établirent la religion, ils n'eurent qu'une vue générale, qui était d'inspirer à un peuple, qui ne craignait rien, la crainte des Dieux, et de se servir de cette crainte pour le conduire à leur fantaisie.* Montesquieu *Dissertation sur la politique des Romains dans la Religion tom. II. p.* 117. *édit. de Paris* 1817. Cf. etiam Bilson tom. I. p. 25.

(3) Dionys. Hal. lib. II. p. 123.

(4) Tit. Livius lib. I. c. 22.

(5) Idem ibidem. Dionys. H. lib. II. p. 120. lib. III. p. 136. lib. IV p. 242 et 243. Montesquieu, *Esprit des lois liv. XI. c.* 12.

proditionem Albanorum denarrat, ad eos postremo refert, quid, bello feliciter confecto, faciendum censeant, quove modo sumendum de proditoribus supplicium (1). Porro Senatus consulto cautum est, ut Alba dirueretur, atque etiam Rex his verbis Albanos allocutus, scitote ait, quum, proxima nocte convocato senatu, totius consessus sententiam colligerem, Romanis visum esse, ut urbs vestra diruatur (2). Unde perspicuum est Tullum summa observantia Senatores coluisse. Illo regnante, templum Senatui constructum fuit, eaque curia HOSTILIA fuit appellata (3). Eversa Alba longa, Principes Albanorum in Patres, ut ea quoque pars Reipublicae cresceret, legit (4). Quum vero gloria Principis illius animum stimularet, bellorum materiam quaerebat, ac plerumque extra imperii fines versabatur, ita ut penes Senatum, cui rerum gerendarum curam necessario demandabat, tota fere regia potestas esset. Regnavit 32 annos. Plures eum insidiis et quidem a MARCIO structis periisse suspicati sunt (5).

113-137. Mortuo Tullo, res, ut jam inde ab initio institutum erat, ad Patres redierat, hique interregem nominaverunt, quo comitia habente Ancum Marcium Regem Populus creavit, et Pa-

(1) DIONYS. H. lib. III. p. 166.
(2) DIONYS. H. lib. III. p. 170.
(3) TIT. LIV. lib. I. c. 30.
(4) IDEM ibidem. MANUTIUS putat, Alba eversa, Regem non plures Senatores, sed plures Patricias familias fecisse, quae ordinis Senatorii possent esse participes, eumque quasi seminarium auxisse, numero, qui antea fuerat, relicto. Cf. Manutius de Senatu Romano. c. 1.
(5) DIONYS. H. lib. III. p. 176.

tres auctores fuere (1). Princeps ille, qui per 24 annos regnavit, Senatus auctoritatem nec minuisse, nec auxisse videtur.

Anco regnante, vir quidam divitiis potens, Lucumo nomine, cupidine potissimum ac spe magni honoris accensus Romam commigravit, ibique domicilio comparato, Lucium Tarquinium Priscum nomen edidit (2). Ille qualibet via in mentes omnium irrepere studebat, fortunam, ait LIVIUS (3), benigno alloquio, comitate invitandi, beneficiisque, quos poterat, conciliando adjuvans; mox in regiam quoque de eo fama perlata est, et brevi tempore tantam Regis amicitiam consecutus est, ut cum publicis, tum privatis consiliis interesset: postremo tutor liberis Regis testamento institueretur.

Mortuo Anco, quum ejus filii prope puberem aetatem essent, Tarquinius animo illud infixum alte habens, (si violandum est jus, regnandi gratia violandum est,) (4) eo magis instare, ut quam primum Regi creando comitia fierent, quibus indictis, pergit LIVIUS (5), sub tempus pueros venatum ablegavit; primus ambitiose regnum ambiit, verbaque fecisse dicitur ad conciliandos sibi Plebis animos accommodata; nec sua eum fefellit expectatio, siquidem res adeo prospere successit, ut omnium consensu Populus Romanus illum regnare

(1) TIT. LIV. lib. I. c. 32.
(2) TIT. LIV. lib. I. c. 34.
(3) IDEM ibidem.
(4) SUETON. in Caesare.
(5) TIT. LIV. lib. I. c. 35.

jusserit (1), impulsu patrum, quorum permagni intererat, Anci filios a Republica submovere, ne regno, ceu jure haere-
137-175. ditario, potirentur. Novus tamen princeps, summos adeptus honores, nihil reliqui fecit, quod ad captandam Plebis benevolentiam, Senatusque veteris auctoritatem minuendam pertineret; eoque consilio Selectos ex ordine Plebeio centum viros, partim bellicis facinoribus, partim civili prudentia spectatissimos, Patricios fecit, atque in Senatorum numerum cooptavit (2): factio haud dubie regia, cujus beneficio in curiam venerant (3). Tali modo vir ille aliorum auctoritatem aliorum auctoritatem suspendebat, ac proinde dividendo imperabat. *La politique de ce prince*, inquit luculentus etsi anonymus Scriptor, *lui fit saisir ce moyen naturel de balancer le grand ascendant, que prenait le corps des Patriciens; en l'augmentant aussi considérablement, il s'assurait un parti au milieu d'eux il entretenait une scission dans le corps administratif* (4). Ast crudeli fato continebatur, ut Tarquinio annis gravi senioque confecto mortem manus insidiatorum maturarent; Ancique Regis filii insidiis illi structis caedis auctores fuere, cujus causam referre lubet. Quam ob rem res paulo altius repetenda est. Eos, Tarquinii fraude, Senato-

(1) TIT. LIV. lib. I. c. 35. DIONYS. H. lib. III. p. 184.

(2) DIONYS. H. lib. III. p. 199. CICERO de Republica, lib. II. c. 20. isque, ait, ut de suo imperio legem tulit, principio duplicavit illum pristinum Patrum numerum; et antiquos Patres majorum gentium appellavit, quos priores sententiam rogabat; a se adscitos, minorum.

(3) TIT. LIV. lib. I. c. 35. Minorum gentium Senatores appellati sunt. CICERO de Republ. loco laudato.

(4) *Du Gouvernement de la République Romaine, tome I. p. 29. éd. Fleischhauer. Tubing.*

rumque impulsu privatos patrio Solio vidimus. Quae quidem injuria in eorum pectus altius, quam quisque ratus est, descendit. Haud tamen poenas a Tarquinio statim repetebant, quacumque de causa moti, ultionemque differebant : et forsitan Regem fato tranquille concedere passi fuissent, jus post ipsius obitum recuperaturi, nisi una res gravi veterno illos arcuisset, praecipitesque in vindictam illico misisset. Tarquinius, jam debellatis plurimis populis, urbem Corniculum, inter alias multas, ditioni subegit. Corniculo capto, Servii Tullii, qui princeps in hac urbe fuerat, praegnans, trucidato viro, conjux, quum reliquas inter captivas cognita esset, ob nobilitatem a Regina romana Servitio prohibita fuit, partumque Romae in domo Prisci edidit (1). Infantulus ibi liberaliter educatus, artibusque eruditus fuit, quibus ingenia ad magnae fortunae cultum excitantur, eumque liberorum loco Rex uxorque Tanaquil habebant; ita juvenis evasit vere regiae indolis, dignusque visus est, cui suam Rex filam desponderet (2). Tantum Regi in ipsius prudentia fiduciae erat, ut, si quid per se, morbo Seniove impeditus, obire non posset, hujus opera uteretur vel in publicis negotiis, vel in domesticis (3). Quo fiebat, ut omnium oculis in Servium conversis, successor Tarquinii haberetur. Accepto hoc nuncio, indignatione et ira fremere Anci filios, eo impensius his indignitatem crescere, si ne a Tarquinio quidem ad se rediret

(1) Tit. Liv. lib. I. c. 39.
(2) Idem ibidem. c. 40. Dionys. H. lib. IV. p. 208.
(3) Dionys. H. lib. IV. p. 208.

regnum (1). Ex illo tempore, ira, ambitione anxii moliri, parare, modoque ea animo habere, quibus injuriae isti occurrerent. Tandem diu cunctati Serviumne, an Regem ultioni mactarent, Regem interficere statuunt : quia gravior ultor caedis, si superesset Rex, futurus erat quam privatus : tum occiso Servio, alium utique generum deligere, eumdemque regni haeredem instituere poterat. Et ne diutius morer, Sicarii duo Regem confoderunt (2). Tarquinius moribundus excipitur; Tanaquil vero Regiam claudi jubet, et Servium allocuta, tuum est, inquit, si vir es, regnum, non eorum, qui alienis manibus pessimum facinus fecere (3); dein populum alloquitur Tanaquil, sopitumque tantum ictu fuisse Regem, eum ad se jam rediisse et jubere ut, donec convalescat, Servii Tullii dicto pareatur. Tullus incessu apparatuque Regio in publicum prodit, quasi vicem Regis gereret. Paulo post dissimulare desiit, justisque Regi persolutis Regnum occupavit (4).

175-220. Servius, qui non Regis Solius, sed Patrum gratiam aucupatus et consecutus fuerat (5), primus injussu Populi, voluntate Patrum regnavit (6), quorum rationibus consentaneum

(1) TIT. LIV. lib. I. c. 40.
(2) TIT. LIV. lib. I. c. 40.
(3) IDEM lib. I. c. 41. DIONYS. lib. IV. p. 209.
(4) DIONYS. H. lib. IV. p. 213.
(5) TIT. LIV. lib. I. c. 40.
(6) IDEM. lib. I. c. 42. CICERO de Republica. lib. II. c. 21. Postea tamen populi suffragiis confirmatus est; scribit enim LIVIUS Servium, quanquam jam usu haud dubie Regnum possideret, quod identidem jactari voces audiret, se injussu Populi regnare, conciliata

erat, ut supra diximus, Reges non haereditate, verum electione gubernacula Reipublicae tenere (1). Nemo autem omnium Romanorum Regum notabilior Servio exstitit, ut, quemadmodum Numa divini auctor juris, ita Servius conditor omnis in civitate discriminis, ordinumque fuerit (2).

sibi prius voluntate plebis, agro capto ex hostibus viritim diviso (hujusce modi munificentiam aegre tulisse Patres innuit LIVIUS, lib. I. c. 46.) tulisse ad populum, vellent juberentne se regnare, tantoque consensu, quanto haud quisquam alius ante fuerat, Regem declaratum esse.

(1) Attente legatur BEAUFORT, *République romaine, Discours préliminaire, p. XV;* cujus tantum apud me valuit auctoritas, ut cum LIVIO credere non dubitaverim, voluntate Patrum rerum potitum fuisse Servium Tullium, licet prorsus repugnantia tradiderit DIONYSIUS HALICARNASENSIS qui memoriae mandavit, invisum Senatoribus fuisse (quod machinationibus ac fraudibus Servius sese ad rerum fastigium evexisset), quippe qui intelligerent fore ut Princeps, qui Patribus non auctoribus regnaret, si ejus consiliis obsisterent, suam ipsorum auctoritatem pessumdaret: Patricii Ordinis Primores occultis coetibus de abrogando illi principatu, quasi illegitimo multoties agitavisse: placuisse, ut Rex cogeretur imperii insignia deponere, creatisque Interregibus alter Rex juxta constitutionem eligeretur. DIONYS. H. lib. IV. p. 216. Quum tamen animadvertissent Senatores populi efferatos esse animos, ab incoepto, praesenti cedentes procellae, destitisse, ne magis magisque exacerbarentur animi cum Servii, tum Populi suamque auctoritatem eo modo in periculum adducerent, DIONYS. H. lib. IV. p. 216.. id ante oculos versatum fuisse, si quem à se electum ad regni gubernacula admoverent, fore ut plebs in ferendis suffragiis adversaretur, sin autem libera permitteretur electio, Tullium suffragiis omnium fore Regem legitimum, visum esse igitur Patribus consultius sinere eum haud expressa voluntate solio potiri, ne seditioni ansa praeberetur, et expectare donec studia plebis deferbuissent; sed calliditate et astutia iis adeo occurrisse Tullium, ut vel invitis ipsis regnaret. Quum enim omnia, quae in Rempublicam contulisset officia, narrasset, nihilque intentatum reliquisset ad promerendum Plebis favorem, clamorem undique ingentem ortum esse, ut Regni habenas retineret, advocatisque ad suffragia Curiis mox plebem universam idem sensisse, omniumque Curiarum consensu dignum, qui regeret, visum, spreta Patrum auctoritate, ratam plebis voluntatem facere abnuentium, principatum obtinuisse. DIONYS. HAL. lib. IV. p. 218.

(2) LIVIUS I. c. 42.

Spectatissimum inprimis se praebuit instituto Censu, quo id Rex effecit, ut pro habitu pecuniarum quisque suffragiis polleret, nulla ratione habita, utrum Plebeius, an Patricius esset, suffragiaque non in multitudinis sed in locupletium potestate essent, ne plurimum valerent plurimi (1).

Hoc autem in disceptationem cecidit, a Tullione imminuta, an aucta fuerit Senatus Patriciorumque auctoritas? Qua de re in utramque partem a Viris magni nominis disputatum est; imminutam ab eo fuisse Senatus auctoritatem potissimum contendit MONTESQUIEU (2), dum aliis, vel DIONYSIO HAL. ipsi (3) (copiosus hic scriptor, in judicio de institutis Servii ferendo, non semel pugnantia loquitur) quum suffragium haud viritim, ut a Romulo institutum Reges servaverant, non eadem vi, eodemque jure omnibus promiscue daretur, sed gradus facti, ut nemine excluso vis omnis penes Primores Civitatis esset, isque valeret in suffragio plurimum, cujus plurimum intererat esse in optimo statu civitatem (4), aucta potius Senatus, Optimatumque auctoritas visa est. Qua vero de causa in alia omnia abierit MONTESQUIEU, nescimus. Haud immerito igitur admiratur BEAUFORT (5), quod non semel a Servio Senatus Patriciorumque minutam esse auctoritatem praefracte asseveraverit. *Il est surprenant*, inquit, *que l'illustre Président de Montes-*

(1) CICERO de Republica lib. II. 22. ed. MICHAUD. Paris.

(2) *Esprit des lois liv. XI. c.* 12 idem *Causes de la grandeur et de la décadence des Romains c.* 1.

(3) Lib. IV. p. 224. sq. TIT. LIV. lib. I. c. 43. Beaufort, *République romaine, discours prélim. p. XV.*

(4) CICERO. de republ. lib. II. c. 22.

(5) Loco citato.

quieu se soit laissé entraîner avec la foule; il nous répète en plus d'un endroit que Servius a abaissé le Sénat, avili les Patriciens et étendu les privilèges du Peuple. Si, par étendre les privilèges du Peuple, on entend lui donner plus d'influence dans le gouvernement, je demande si le gouvernement, que Servius établit, ne prouve pas directement le contraire. Pour ce qui est, d'abaisser le Sénat, et d'avilir les Patriciens, je n'en vois pas la moindre trace dans l'histoire. Au contraire, je vois ce Sénat et ces Patriciens, fortement attachés aux maximes de Servius, faire valoir, dans toutes les occasions, les sages réglémens de ce Prince, et tâcher de faire décider toutes les affaires d'importance par les Comices des Centuries. Etait-ce donc les avilir, que de les rendre maîtres du gouvernement?

Quod ad nos attinet, si quis quaesierit, quid hac de re censeamus, utrum Servius institutis suis Senatorum Patriciorumque auctoritatem imminuerit? Haec sibi habeat: in praesentia quidem eorum auctoritatem non infringebat, ast sensim et sine sensu Senatoriae Patriciaeque potestatis imminutionem parabat, remoto immenso Patricios inter et Plebeios, ordidinis equestris ordinatione, intervallo, majorique divitiarum, quam natalium habita ratione; etenim si ea sub Servio mansisset inter utrumque ordinem distantia, quae prius, utique, quos temporis decursu honores ambiit Populus, eos affectandi haud subiisset cogitatio. *Le principe aristocratique du Gouvernement*, inquit auctor anonymus (1), *tendit dès lors à se*

(1) *Du Gouvernement de la République Romaine, tome I. p.* 61.

modifier par l'effet de nouvelles divisions politiques, qui le combinaient avec la richesse. Sans doute l'ordre plébeien était encore éloigné de l'époque, qui devait l'admettre au partage de tous les pouvoirs, concurremment avec les Patriciens. Mais ce fut un pas de fait, et un premier pas bien important, puisque l'entrée de l'ordre équestre se trouva ouverte à tous citoyens assez riches pour exhiber le cens des dix-huit premières Centuries. Quae cum ita sint, merito dixeris illum Principem fundamenta Reipublicae jecisse, quamvis eversum Patriciorum dolis regnum non illico exceperit hic rerum modus. Annos 44 regnavit Servius Tullius, nefandissimo et flagitiosissimo generi sui, qui supremum locum jam, Rege vivo, Tarquinienses Senatores permulcendo, ambierat, facinore e medio sublatus (1).

220-244. Tarquinius secundus, cui Superbi cognomen fuit inditum, Regno veluti haereditate relicta potitus est (2), faventibus minorum gentium Senatoribus. Quae quidem causa est, cur nec Populi jussum, nec Senatus auctoritatem expectaverit. Quo facto quum sibi odium ingens veteris Senatus, quem dignitati suae, prae dominationis studio, illatae, quantulacunque esset injuriae, haud facile re et exemplo Romuli, immemorem esse, probatum erat, conflasse intelligeret Tarquinius, simulque Regnum haereditarium facere in animo haberet, consilium cepit, sin minus aequitati, saltem rationibus suis consentaneum, impedimenta potentiae ac consiliorum suorum,

(1) TIT. LIV. lib. I. c. 48. sq
(2) DIONYSIUS HALIC. lib. IV. p. 235.

nece primorum Patrum removendi, et quaestionibus rerum capitalium, quas Solus Rex exercebat, non secus ac ferro militum reliquis metum injiciendi (1).

Tarquinio regnante invalida jacuit Senatus auctoritas. Domesticis enim ille Princeps consiliis usus est in administranda Republica, traditoque a prioribus Regibus Senatus de cunctis negotiis consulendi soluto more, bellum, pacem, foedera, Societates per se ipse, cum quibus voluit, injussu Populi ac Senatus, fecit, diremitque. Quin etiam hunc Regem delere Senatum in animo habuisse vero videtur proximum : siquidem, ut memoriae proditum est, imminuto a se admodum Patrum numero, nullos in Patres legere, quo contemptior paucitate sua ordo esset, minusque per se nihil agi indignarentur, statuerit (3).

(1) DIONYS. HAL. lib. IV. p. 244. sq. TIT. LIV. lib. I. c. 49. Tarquinium Superbum in regno occupando et facinore patrando clam adjutum fuisse a Patribus, eosque frustratos spe sua, serius poenitentiam egisse, quod tam violento Tyranno potestatem commisissent, scribit DIONYSIUS HAL. lib. IV. p. 245. Sed tamen nunquam eo adducar, ut credam totum Senatum Tarquinii consiliorum fuisse conscium, ipsique favisse. Quaedam pars Senatus quidem, ea videlicet, quae a Tarquinio Prisco in Senatum cooptata fuerat (factio haud dubie regia, cujus beneficio in curiam venerant, TIT. LIV. lib. I. c. 35), in exsequendis Tarquinii consiliis ipsum adjuvare potuit, imo adjuvisse videtur. TIT. LIV. lib. I. c. 47. Quod autem ad reliquos, hoc est, ad pristinos Senatores attinet, hos Tarquinio non modo non deditos fuisse, sed etiam adversarios exstitisse arbitror. Quod quidem ita se habuisse suspicari videtur LIVIUS his verbis. « Primores Patrum (id est, indubie majorum gentium) quos Servii rebus favisse credebat, interfecit » TIT. LIV. lib. I. c. 49.

(2) TIT. LIV. lib. I. c. 49.

(3) IDEM ibidem. DIONYS. H. lib. IV. p. 245 novum a Rege constitutum fuisse Senatum, quippe qui in locum interfectorum Senatorum amicos suos elegerit, scribit. LIVIO assentiri malim, quo auctore, amicorum quidem consilio usus est, nullum autem

Verum, licet eminentia plurima capita decussisset, quibusdam tamen Senatoribus pristini animi et roboris vita superstes manserat, qui quoquo modo pristinum decus recuperare et spretae dignitati splendorem novum addere statuerunt, conjuratione inita de abrogando in perpetuum regio dominatu) et multitudinem cujus animos Lucretiae cujusdam stupro miserabilique caede, incenderant (1), eo adduxerunt, ut imperium Regi abrogaret. Res ex sententia successit (2). Redeunti enim Regi, qui in castris versabatur, clausae Urbis portae fuerunt ac exilium perpetuum indictum (3), abrogato unius imperio, annuisque magistratibus, haud adversante decepta et futuri nescia Plebe, rerum summa permissa (4).

in locum mortuorum Senatorum legit. Eo minus a vero recedere videtur haec opinio, quod, si Senatum Tarquinius ipse supplevisset, Bruti lectione non fuisset opus. TIT. LIV. lib. II. c. 1.

(1) FLORUS lib. I. c. 7. DIONYS. H. lib. IV. p. 262. Qui otiosus est, hilarique animo esse cupit, legat apud DIONYSIUM, quonam pacto, et quibusnam minis se vitiari passa fuerit casta Lucretia. Is utique non aliter sentiet, ac vir quidam emunctae naris LEVESQUE, qui, *Discours préliminaire p. XV*, quanti faciendus sit Graecus rhetor, in hunc modum aperit : *rien n'embarrasse* DENIS, *rien ne l'arrête, il parle toujours du ton de la certitude, on croirait qu'il a été témoin oculaire des événemens antiques, il a même tout entendu et tout retenu; car il rapporte de longues harangues, qu'il suppose avoir été prononcées dans des temps reculés.*

(2) DIONYS. H. lib. IV. p. 271. TIT. LIV. lib. I. c. 60.

(3) CICERO de Republ. lib. II. c. 25. Brutus ex Senatusconsulto ad Populum tulit ut omnes Tarquiniae gentis exsules essent. Cf. etiam Livius lib. I. c. 1.

(4) DIONYS. HAL. lib. IV. p. 276. TIT. LIV. loco citato. L. 2. ff. § 16. de origine juris.

LIBER SECUNDUS.

HISTORIA SENATUS SUB REPUBLICA.

PERIODUS SECUNDA.

Ab expulso Tarquinio ad Tribunos Plebis.

244—261.

Septemdecim annos complectitur haec periodus qua Senatus nullis circumscripta limitibus potestate, moderate ad Tarquinii mortem, immoderate postea utitur.

Saepius, quam par est, importunitate et superbia Tarquinii nomen Regium Populo Romano in odium venisse, uniusque imperium concidisse, Litteris mandatum est. Quanquam omnes fere ad unum, cum veteres, tum recentiores, ullum profecto vitium reperiri posse, quod in tam prava indole non inesset, negantes eversi Regni causam in illum transtulerunt (1), tamen patefacta veritate, sublatoque errore, ambitiosos Senatores, quorum jam a Romulo eo spectaverant consilia, ut dominatum haberent tenerentque, non nisi propriis inserviisse commodis (quippe qui in summo fastigio esse

(1) Regale civitatis genus, inquit CICERO, de legibus lib. III. c. 7. probatum quondam, postea non tam regni quam vitiis Regis repudiatum est. Cf. etiam de Republ. lib. II. c. 29.

soli vellent, intelligerentque in qua Republica est unus aliquis perpetua potestate, praesertim Regia, quamvis in ea sit Senatus (1); tamen excellere atque eminere vim, potestatem, nomenque regium (2), auctores factos Populo, ne unum deinceps rebus praeesse sineret, animadverterit qui altius rerum causas fuerit perscrutatus. Sed dicet aliquis : se inflexit hic Rex in dominatum injustiorem, satellitibusque subnixus, insolentiaque exsultans neque suos mores regere poterat neque suorum libidines (3). Esto : num vero aliis id etiam vitio verti potest? minime gentium (4). De populo enim Romano Reges optime meriti fuerant : neque ulla erat ratio, cur illum poeniteret pigeretve Regii dominatus : quamobrem, nisi Patricii omnia ad utilitatem suam referre voluissent, nisi dominandi

(1) Cic. de Republ. lib. II. c. 23.

(2) Idem ibidem lib. II. c. 28.

(3) Idem ibidem lib. II. c. 25.

(4) Praeterea responsum mihi suppeditat MONTESQUIEU luculentis his verbis : « *Le portrait de Tarquin n'a point été flatté ; son nom n'a échappé à aucun des orateurs qui ont eu à parler contre la tyrannie ; mais sa conduite avant son malheur que l'on voit qu'il prévoyait ; sa douceur pour les peuples vaincus, sa libéralité envers les soldats, cet art qu'il eut d'intéresser tant de gens à sa conservation, ses ouvrages publics, son courage à la guerre, sa constance dans son malheur, une guerre de vingt ans qu'il fit ou qu'il fit faire au peuple romain, sans royaume et sans biens, ses continuelles ressources, font bien voir que ce n'était pas un homme méprisable.* »

« *Les places que la postérité donne sont sujettes, comme les autres, aux caprices de la fortune. Malheur à la réputation de tout prince qui est opprimé par un parti qui devient le dominant, ou qui a tenté de détruire un préjugé qui lui survit!* » *Grandeur et décadence des Romains c.* 1. *p.* 3. ipse CICERO qui auctoritate tantum valet, labemque memoriae Tarquinii inurere summa ope nisus est, fatetur hunc Tarquinium, quem Brutus non tulit, non crudelem, non impium, sed superbum habitum esse et ductum. Philipp. III. c. 4. Quaenam igitur tanta Tarquinii vitia fuere?

cupido subdolam eorum mentem occupasset, Plebi suasissent ut, exsule Tarquinio, alium Regem juberent. Livius ipse, acutus elegansque Rerum Romanarum scriptor, laudibus effert Reges his verbis « Priores, inquit (1), ita regnarunt (id est, Tarquinii Superbi antecessores), ut haud immerito omnes deinceps conditores partium septae Urbis, quas novas ipsi sedes ab se auctae multitudini addiderunt, numerentur; neque ambigitur, quin Brutus pessimo publico id facturus fuerit, si libertatis immaturae cupidine priorum Regum alicui regnum extorsisset; quid enim futurum fuit, si illa pastorum, convenarumque Plebs, transfuga ex suis Populis sub tutela inviolati templi aut libertatem, aut certe impunitatem adepta, soluta regio metu agitari coepta esset tribunitiis procellis; et in aliena Urbe cum Patribus serere certamina, priusquam pignora conjugum ac liberorum, caritasque ipsius soli, cui longo tempore assuescitur, animos eorum consociasset : dissipatae res, nondum adultae, discordia forent. »

Quantopere Senatores veriti fuerint, ne Populus, beneficia Regum recordatus, sui ingrati animi crimen horreret, ac denuo unum rebus praeesse juberet, ex hoc intelligi potest, quod pater iste, qui omnem humanitatis sensum exuerat, quod nefandus, ferusque iste Brutus, quem aeque detestabilem et execrandum habeo, ac quidam laudandum judicarunt, Populum jurejurando adegerit, neminem Romae passuros

(1) Tit. Liv. lib. II. c. 1.

regnare (1): fixum ideoque sit hanc Rerum mutationem a paucis Patriciis incoeptam, et ad exitum fuisse perductam; Plebis enim benevolentiam consectati odium concitaverunt in dominatum, in quo, aiebant, Principes vitae, libertati, honorique civium insidiari poterant, positis ante oculos securitate, libertate ac felicitate ex novis rebus oriundis. Verum Patriciis, sub Regibus, et Sacerdotio et muneribus perfrui ac de Republica consultari consuetis, de jure suo decedere mens non erat. Populus aliunde ab iis haud abalienatus, quos in honore habere, quibusque obsequium praestare solebat, quidquid in hoc difficillimo rerum statu constituturi essent, non probare non poterat: eo magis quod futura non prospicit multitudo. Quare Senatores Patriciique sibi potestatem Regibus ademptam asseruerunt, et libertatis originem, ut ait LIVIUS (2), inde magis, quia annuum imperium consulare factum est, quam quod diminutum quidquam ex regia potestate numeres. Consules enim inter solos Patricios deligendi, in locum Regum suffecti, omnia insignia, omnia jura Regum tenuerunt: id modo cautum est, ne uterque simul fasces haberet (3). Praesidebant itaque Senatui in Curia, Plebi in comitiis, convocabant Senatum Populumque: Duces erant exercituum, sine provocatione. Tum publicis, tum privatis in rebus judicabant, verbo, utebantur duo regia potestate (4).

(1) TIT. LIV. lib. II. c. 2.
(2) Lib. II. c. 1.
(3) DIONYSIUS HALIC. lib. IV. p. 268.
(4) POLYBIUS lib. VI. c. 12. Paucis Consulum auctoritatem complectitur CICERO de legibus, lib. III. c. 3. Regio imperio duo sunto, iique praecundo, judicando, consulendo, Praetores, Judices, Consules appelantur; militiae summum jus habento, nemini parento, ollis salus populi suprema lex esto.

Consules autem (si Valerium exceperis (1)), qui ex ordine Patriciorum tunc eligebantur (2), auctoritate sua non fuisse usos ad moderandam, coercendamque corporis administrativi potestatem, e contrario cum illo collusisse et utramque potentiam coaluisse liquet : proin intellectu difficile non est Senatus auctoritatem non leve incrementum cepisse, atque coalescente potentia, quae, tempore Regum, alterius Ordinis potentiam suspenderat moderataque fuerat, omne sublatum fuisse equilibrium. *Comme le pouvoir de la couronne*, inquit auctor anonymus (3), *tendait à comprimer celui du Sénat, on vit l'influence de ce corps dans l'administration s'accroître beaucoup par la révolution. Quoique la meilleure partie du pouvoir exécutif eût été attribuée aux Consuls, ces magistrats identifiaient leur propre puissance avec celle du Sénat, dont ils étaient les premiers membres; il arrivait de là que les pouvoirs, qui s'étaient balancés sous la Monarchie, parcequ'ils y étaient distincts, se réunissaient sous la république.*

Ast principio rerum clausa in pectore consilia retinuit ordo 244-258.
Patrum, dissimulatione uti sibi optimum factu ratus seque commendabilem praebere moderatione, abstinentia et leni temperatoque imperio; Tarquinii enim qui nondum e vita excesserat metu continebatur. Primum itaque Brutus, alter

(1) Is multas in gratiam Plebis tulit leges. Inprimis unam ne quis magistratum gereret injussu Populi. Dionys. lib. V. p. 292. alteram de provocatione adversus magistratus ad Populum. Cicero de Orat. lib. II. c. 48. L. I. ff. tit. 2. § 16. de Orig. Juris. Valerius Maximus IV. l. I. Cic. de Rep. II. 31.

(2) Dionys Hal. lib. V. p. 292.

(3) *Du gouvernement de la République romaine, tom. I. p.* 90. Cf. etiam Dumbeck Tabul. Ethnogr. Period. Synchr. p. 11.

Consulum, ad jungendos Patribus Plebis animos, coedibus diminutum Senatorum numerum, primoribus equestris gradus lectis, ad trecentorum summam explevit (1). Porro, quo vehementius incenderetur Plebs contra nomen Regium, bona Regia (quae ante patefacta Tarquinii molimina, reddenda (2), censuerat), diripienda Plebi reliquit (3), ut, qui vel minimam partem bonorum regiorum adepti fuissent, gnaviter et strenue quaevis pericula subirent, ne iis commodis privarentur (4). Ubi vero Senatus, Tarquinios ad Porsennam perfugisse, certior factus est, Regemque Clusinum infesto exercitu Romam properare, Senatores metus incessit, qualis nunquam alias tantus (5) imminentis ictus declinandi causa, nullam non opem adhibuerunt ad aucupandam Populi gratiam iidemque Senatores (haud ita multo post crudelissimi Tyranni), nunc blandissimi humillimique servi erant. « Multa blandimenta Plebi per id tempus a Senatu data, ait LIVIUS (6), annonae inprimis habita cura, et ad frumentum comparandum missi alii in Volscos, alii Cumas, salis quoque vendendi arbitrium, quia impenso pretio venibat in publicum omne sumptum ademptum privatis : portoriis quoque et tributo

(1) DIONYS. HAL. lib. V. p. 287. TIT. LIV. lib. II. c. 1. LIVIUS lib. II. c. 2. narrat, necubi Regum desiderium esset, Regem sacrificulum creatum, quia quaedam publica sacra per ipsos Reges factitata erant, sacerdotiumque illud pontifici subjectum fuisse, ne additus nomini honos aliquid libertati officeret.

(2) TIT. LIV. lib. II. c. 4.

(3) TIT. LIV. lib. II. c. 5.

(4) DIONYS. HAL. lib. V. p. 288.

(5) TIT. LIV. lib. II. c. 9.

(6) Lib. II. c. 9.

Plebe liberata, ut divites conferrent, qui oneri ferendo essent : pauperes satis stipendii pendere, si liberos educassent. » Istius modi indulgentiam Patrum asperis post modum in rebus, addit LIVIUS, in obsidione ac fame adeo concordem civitatem tenuisse, ut regium nomen infimi aeque ac summi horrerent, nec quemquam unum malis artibus postea tam Popularem fuisse, quam tum bene imperando universus Senatus fuit. Quam vere autem BEAUFORT (1). « *Ce ne fut point sur des maximes, que le Sénat eût adoptées, et qu'il se proposât de suivre constamment, qu'il accorda en cette occasion quelque soulagement au peuple. La conduite, qu'il tint depuis, montre qu'il n'avait fait que se prêter aux circonstances, et que son but était de se l'assujettir entièrement.* » Moderatae hujus agendi rationis Senatoribus non poenitendum fuit. Senatus enim adeo strenue et acriter in defendenda urbe a Porsenna obsessa consilia Populus prosperavit, ut Rex obsidione Urbis obsisteret pace cum Romanis inita (2).

Verum rerum facies prorsus mutata est post obitum Tarquinii. « Eo nuntio erecti Patres, erecta Plebes, ait LIVIUS (3), Sed Patribus nimis luxuriosa ea fuit laetitia : Plebi, cui ad eam diem summa ope inservitum erat, injuriae a Primoribus fieri coepere. » « *Jusque là l'orgueil des Patriciens s'était contraint envers le peuple à des ménagements politiques, dans la crainte* 258-261.

(1) *Discours préliminaire p. XXXIII.*
(2) TIT. LIV. lib. II. c. 13. DIONYS. HAL. lib. V. p. 301. 303.
(3) Lib. II. c. 21.

qu'il ne rappelât le Monarque; mais ils se montrèrent des maîtres superbes, quand ils cessèrent de redouter pour eux-mêmes le retour d'un maître (1). »

Quum bellis continuis, jam ab ejectis Regibus, districti Plebeii fuissent, agri jacebant inculti, nec vitae necessitates possessoribus suppeditabant : alia ex parte stipendium nullum accipiebat miles, praedaque facta saepissime non sufficiebat ad vitam sustentandam tributumque pendendum; necessario igitur civis, qui sanguinem effundebat pro patria, mutuam pecuniam sumere, aesque alienum ingens conflare debebat, tanto magis quod ante XII tabulas ex libidine locupletium agitaretur foenus (2); faeneratores vero erant dirissimi isti Patricii, qui miseria infelicis Plebis ditari conabantur. Sed quamdiu metus a Tarquinio vivo positus non est, sensum haud percepit ex calamitate sua Populus; usuram enim, quae in dies creverat crescebatque, foeneratores non exigebant, et futura praeteritis multitudo augurabatur; post mortem vero Tarquinii, tunc demum Patricios urgere, saevire, immisericordes fieri : in vincula, ergastula, loca tetra et senta situ obaeratos conjicere, jumentorum instar habere, colludente Senatu; quae quidem discordiarum inter Patres et Plebem causa Princeps fuit. Tunc tandem libertatis simulacrum, quod Patres Plebeiis colendum dederant, vanam esse speciem agno-

(1) LEVESQUE, tom. 1. p. 129.

(2) TACIT. Annal. lib. VI. c. 16. « Sane vetus urbi foenebre malum et seditionum discordiarumque creberrima causa... XII tabulis sancitum, ne quis unciario foenore amplius exerceret, cum antea ex libidine locupletium agitaretur.

vit Populus; vidit, eheu! nimis sero sibi tot esse dominos, quot Senatores. « *L'idole de la liberté, présenté par le Sénat aux hommes du peuple*, inquit auctor anonymus, qui tribunatus historiam scripsit, *ne devint donc par l'abus qu'il fit des lois contre les débiteurs qu'un fantôme : il connut sous le gouvernement consulaire autant de tyrans qu'il y avait de Sénateurs, et de Patriciens avides de richesses.* »

Denique aerumnarum cumulata mensura, infelix illa Plebs, quae primum gemitus edere et aliquid laxamenti malis suis submisse postulare coepit, tum desperatione efferata murmurari et imperium detrectare velle videbatur (1), etsi ejus furor statim considebat ac melioris fortunae minima arridebat spes (2), ubi vidit, periculo remoto, a promissis non modo nunquam stare Senatum, sed et crudelius, quam antea saevire (3), violataque lege Valeria adversus se creatum magistratum cui jus vitae et necis foret (4), om-

(1) Cf. LIVIUS lib. II. c. 23. 24.

(2) LIVIUS lib. II. c. 24. 25. 26.

(3) IDEM ibidem c. 27. 28.

(4) Appius Claudius cum civis quidam quem apprehendi jusserat ad Populum provocasset ex lege Valeria, auctor factus est Patribus ut talem Magistratum crearent a quo provocatio non esset « minae sunt Consulum non imperium inquit, ubi ad eos qui una peccaverunt, provocare licet : agedum Dictatorem a quo provocatio non est creemus. » LIVIUS lib. II. c. 30. DIONYS. HAL. lib. V. p. 333. 334. qui asserit Populum confirmasse Senatusconsultum de creando dictatore. Vix autem credi id potest. Quis primus dictator et quando electus fuerit, auctore LIVIO non liquet. LIVIUS loquitur de dictatore primum electo ad compescendos hostes : caeteroquin ipse et Dionysius in hoc congruunt quod uterque memoret Appium suasisse ut diceretur dictator ad refraenandam multitudinem. Quid autem de hoc magistratu censuerit HOOKIUS cf. *Discours critiques sur l'histoire et le*

nium desperato auxilio Urbem deseruit, et Sicinio quo-

gouvernement de l'ancienne Rome, traduit de l'Anglais, p. 263 264, *Paris* 1770. His verbis aperit : « *Pouvons-nous regarder la création d'un Dictateur,* inquit *autrement que comme une infraction de tous les priviléges du peuple? la loi valérienne lui avait accordé le droit de nommer à toutes les magistratures quelconques, et de recevoir les appels des jugements des Consuls. Ces lois le mettaient trop à l'abri de la persécution patricienne, et par une extention audacieuse de sa prérogative, le Sénat les suspend l'une et l'autre par l'institution d'un magistrat suprême, sous le nom de Dictateur. Ce magistrat, dans les vues du Sénat, était l'instrument des Patriciens pour subjuguer les Plébéiens.* »

Qui res Romanas nostra aetate scripserunt, plerique causam Senatus enixissime orarunt, ac veluti mercede conducti ejus prudentiam, sapientiam, virtutem, quasi omnia ad Civitatis incolumitatem, libertatem, concordiamque referentis laudibus mactarunt.

Senatum tamen dominatu metuque Regio liberatum, totam Regiam potestatem sibi asserere voluisse, eo ejus spectasse consilia ut humilis sibique obnoxia maneret Plebes, se cessionisque causam illius pervicacia, collusione, perfidia fuisse partam, miserorumque Plebeiorum moderatione vix quicquam mirabilius fuisse, non fateri non potuerunt. « *La Royauté, était à la vérité abolie*, inquit, VERTOT, *Révolut. Rom. liv. I. mais le Sénat délivré de la puissance royale qui le tenait en respect, voulut réunir dans son corps toute l'autorité du Gouvernement. Il possédait dans les dignités civiles et militiares attachées à cet ordre, la puissance et même les richesses qui en sont une suite,* ET LE PREMIER OBJET DE SA POLITIQUE FUT DE TENIR TOUJOURS LE PEUPLE DANS L'ABAISSEMENT ET L'INDIGENCE. *etc., etc., etc.* legantur reliqua. Rollinus ipse qui de Senatu Romano honorifice et reverenter semper loquitur, ejus agendi rationem circa dissidium inter Patres Plebemque propter aes alienum nexaque exortum non vituperare non potuit, institutique tribunatus causam Senatui dedecori vertit. « *L'origine et la cause,* inquit, *Histoire Romaine liv. II. n'en est point du tout honorable au Sénat : ce furent l'avarice et la dureté de plusieurs de ses membres qui y donnèrent lieu.... On peut dire en un sens que le Sénat en entier se rendit en quelque sorte complice de ses crimes par sa molesse et sa connivence. Un seul exemple de sévérité employé d'abord contre les coupables aurait arrêté le mal dans son origine. Mais les pauvres sont comptés pour rien, et l'on craint de choquer les Grands. La seconde faute du Sénat est son manque de parole : quand les ennemis sont presqu'aux portes de Rome, et qu'on a un besoin pressant du peuple, le Sénat s'humanise, devient honnête et caressant, et fait les*

dam Auctore et Duce in Montem Sacrum secessit (1).

Tum metus ingens occupavit Senatores qui saevitia, tyrannide, crudelitate sua miseros Cives compulerant ad deserendos lares et focos (2). In tam tristi rerum statu, adeo exasperatis infortunio animis, leniendam Plebem intellexit Senatus a quo missi sunt Legati qui cum ea agerent : Plebs vero pollicitationibus Senatorum merito diffidens, negavit se in Urbem redituram esse, nisi ex suo corpore Magistratus contra Patriciorum injuriam et vim creare posset. Senatus

plus belles promesses du monde, dèsque le danger est passé, il s'en croit quitte, et les oublie aisément, conduite indigne et misérable qui mit la République à deux doigts de sa perte etc. Nonne admirandum est, eosdem hos Viros qui Patres Imperii illimitati cupiditate prolapsos humanitatem exuisse, suaque pervicacia et crudelitate erga debitores quietem publicam in discrimen adduxisse arguerunt, dum laudes maximas moderationi Plebis post secessionem tribuunt (cf. Rol. II), sibi persuasisse electis Tribunis, Patres ingenium novum induisse, egregiaque specimina sui amoris suae sollicitudinis erga Plebeios indesinenter dedisse, Plebisque Tribunos jam a principio omnia turbandi Rempublicamque suae libidini substruendi cupiditate incensos, id solummodo voluisse ut facem discordiae inter Ordines accenderent, Senatum e Republica tollerent aut vexarent, multitudinemque ipsam solutam effraenatamque fuisse. Montesquieu ipse in eumdem rapitur errorem ubi exclamat. *On ne sait (Esprit des Lois II. c.* 18.) *quelle fut plus grande, ou dans les Plébéiens, la lache hardiesse de demander ou dans le Sénat, la condescendance et la facilité d'accorder.* Multum abest ut in suam sententiam me perducant illi Viri; apud me enim plus valent argumenta quam nomina. Animum adjeci ad cognoscendam Patrum et Tribunorum agendi rationem, illudque intelligere potui, eodem ingenio post Tribunos Plebis animatum fuisse Senatum quo antea, nihil eorum praetermisisse quae accommodata essent ad coercendam humilemque retinendam Plebem immerito laudari ejus moderationem, utpote cum nihil nisi vi extortum aut rationibus suis consentaneum concesserit, omnes Tribunos ad usque necem Gracchorum si paucos admodum exceperis generosos Viros fuisse nihilque nisi justum et aequum postulasse.

(1) LIVIUS II. 32. DIONYS. HAL. lib. VI p. 375.

(2) Cf. *Nota cujus prima haec sunt verba* qui res romanas etc. *et quae per errorem p.* 38 *collocata est.*

necessitate coactus assentiri debuit ac ne Patres irritum illud auxilium reddere possent, sancitum est.

I. Ne cui Patrum eum Magistratum capere liceret.

II. Dein ut sacrosancti id est inviolabiles forent Tribuni.

III. Postremo ne Tribunatus unquam abrogari posset (1).

Ea fuit origo Tribunitiae Potestatis quae Patrum potentiae vis et auctoritatis infinitae imminutionem sensim peperit.

(1) LIVIUS II. 33. DIONYS. lib. VI. p. 410. CICERO pro Cornelio.

PERIODUS TERTIA.

A Tribunis plebis ad Legem Hortensiam.

261—467.

Periodus haec, ducentorum sex annorum, certamina complectitur Tribunorum ad mutandam formam Regiminis Aristocraticam, nimiamque Senatus auctoritatem ac potentiam minuendam, conatus artesque varias Senatus ad retinendum pristinum rerum statum, tribunitiasque vires infringendas debilitandasve, faustos iteratorum multoties Tribunorum conaminum exitus, hoc est, Patricii Ordinis praerogativarum interitum, infinitae et immoderatae Senatus auctoritatis imminutionem.

Senatus Patriciorumque potestas, ejectis Regibus, ad altiorem gradum adscenderat (1); ejus auctoritate res omnes ge-

(1) *L'autorité du Sénat,* inquit BEAUFORT, *République Romaine, p.* 126. *était sans bornes au commencement de la République, et le Peuple ne pouvait exercer sa Souveraineté, que d'une manière tout-à-fait dépendante. Il ne pouvait être assemblé qu'en conséquence d'un décret du Sénat, et on ne lui pouvait faire aucune proposition, qu'elle n'eût été auparavant débattue et approuvée dans cette Compagnie. Les conclusions mêmes, qui se prenaient dans les Comices, devaient être conformes aux vues du Sénat, puisqu'elles n'avaient force de loi qu'après avoir été ratifiées par un second Senatus-consulte. Le Sénat convenait bien que le Souveraineté résidait dans le Peuple, que le Pouvoir Législatif lui appartenait, qu'il avait le droit d'élire ses Magistrats, et d'ordonner de la Paix ou de la Guerre; hors ces trois points, il prétendait décider de tout par lui-même, et encore vouluit-il que ses affaires ne pussent*

rebantur, neque ulla sanciri Lex, Populusve convocari, nisi Patribus auctoribus, poterat : Magistratus quasi ministri gravissimi Consilii erant (1), hujusque auctoritate utebantur. Patricii sacra omnia, Consulatum, Dictaturam, proin jus vitae et necis in Plebem, obtinebant; vigebat itaque Romae Aristocratia haereditaria (2). « Tenuit igitur, teste CICERONE (3), hoc in statu Senatus Rempublicam temporibus illis, ut in Populo libero pauca per Populum pleraque Senatus auctoritate et instituto ac more gererentur; atque uti Consules potestatem haberent tempore duntaxat annuam, genere ipso ac jure regiam, quodque erat ad obtinendam potentiam Nobilium vel maximum, vehementer id retinebatur, Populi comitia ne essent rata, nisi ea Patrum approbavisset auctoritas».

Is Rerum status indubie mansisset, nisi in secundis suis rebus in Plebeios superbe ac violenter consulentes, Imperii usum intemperatiorem fecissent Senatores, Ordoque Patricius Saevosque Tyrannos se gessissent (4). *Le peuple de Rome*, ait

être proposées au Peuple qu'en conséquence d'un Senatus-consulte qui l'ordonnât, et qui servît comme de règle à la décision du Peuple : après quoi il fallait encore un second Senatus-consulte pour ratifier ce qu'avait ordonné le Peuple, sans quoi toutes ces ordonnances étaient nulles. T. LIV. l. 2. chap. 17. 22. l. IV. chap. 3. l. XLIII. ch. 44. CICERO pro Planc. cap. 3. *On voit bien par là que le Senat était en effet maître de tout, et que le Peuple n'exerçait sa prétendue Souveraineté que d'une manière précaire et entièrement dépendante.*

(1) CICERO pro Sextio. 65.

(2) ROUSSEAU, contrat social p. 200. ed. LEDOUX et TEURI. Paris 1819. in-12.

(3) De Republica, l. 11. cap. 32.

(4) *L'Aristocratie se corrompt*, inquit MONTESQUIEU, *Esprit des lois, l. VIII. chap.* 5. *lorsque le pouvoir des Nobles devient arbitraire : il ne peut plus y avoir de vertus*

BEAUFORT (1), *n'était ni inquiet ni remuant, il ne sentait le mal, que lorsqu'il le blessait vivement. Le gouvernement aristocratique lui aurait paru bon, s'il l'eut été en effet; il ne sentit le mal que lorsqu'il fut à son comble.... ce ne fut que lorsqu'il fut bien convaincu qu'il n'avait aucune justice à espérer du Sénat, qu'il prit le parti de l'y contraindre par sa retraite :* et alio loco (2), *si les Nobles avaient voulu avoir égard à ses plaintes, si le Sénat et les Magistrats avaient eu quelque condescendance pour ce Peuple, s'ils avaient voulu le satisfaire sur ses griefs, soulager la misère des pauvres, adoucir ce qu'il y avait de trop dur et de trop tyranique dans le Gouvernement, enfin si le Sénat avait pu se résoudre à contenir les membres de son Corps, et à les assujettir à des lois, qui les empêchassent d'abuser de l'autorité que la République leur confiait, il y a bien de l'apparence que ce Peuple, naturellement soumis et docile, les eût laissés jouir*

dans ceux qui gouvernent, ni dans ceux qui sont gouvernés...... Quand les familles regnantes n'observent pas les lois, la République ne subsiste qu'à l'égard des Nobles, et entre eux seulement : elle est dans le Corps qui gouverne, et l'état despotique est dans le Corps qui est gouverné : ce qui fait les deux Corps du monde les plus désunis.

(1) *Répub. rom. Discours préliminaire p. XXXV.* Cf. etiam p. 126.

(2) BEAUFORT, *rép. rom. p.* 409. Si quis memet errasse putat, quod novarum rerum causam in saevitiam Senatus, Patriciorumque una cum Viro doctissimo eruditissimoque BEAUFORT, transtulerim, is oculos eonjiciat in haec Sallustii verba : injuriae validiorum, et ob eas discessio Plebis a Patribus, aliaeque dissentiones domi fuere, jam inde a principio; neque amplius quam Regibus ejectis, dum metus a Tarquinio positus est, aequo et modesto jure agitatum, dein servili imperio Patres Plebem exercere, de vita atque tergo consulere, agro pellere et caeteris ex partibus soli in imperio agere : quibus saevitiis et maxime foeneris onere oppressa Plebes cum assiduis bellis tributum simul et militiam toleraret, armata montem sacrum atque Aventinum insedit, tumque Tribunos Plebis et alia sibi jura paravit. Sallust. fragm.

tranquillement de toutes les prérogatives, qu'ils s'étaient appropriées; mais jamais le Sénat ne voulut prêter l'oreille au moindre tempérament, et on ne répondit aux plaintes de ce Peuple, et à ses demandes les plus justes, que par des refus formels, par des délais ou par des manques de parole.

Cur status Rerum Senatusque potentia, ejectis Regibus, amplificata, haud incommutabilis manserit, eleganter et non sine acumine disserit etiam CICERO, secundo de Republica (1), « sed id, inquit, quod fieri natura rerum ipsa cogebat, ut plusculum sibi juris Populus adscisceret liberatus a Regibus, non longo intervallo, sexto decimo fere anno, Posthumo Cominio Spurio Cassio Consulibus, consecutus est: in quo defuit fortasse ratio, sed tamen vincit ipsa Rerum Publicarum natura saepe rationem; id enim tenetote, nisi aequabilis haec in civitate compensatio sit et juris et officii et muneris ut et potestatis satis in Magistratibus et auctoritatis in Principum consilio, et libertatis in Populo, non posse hunc incommutabilem Reipublicae conservari statum; nam cum esset ex aere alieno commota civitas, Plebs Montem Sacrum prius deinde Aventinum occupavit, ac ne Lycurgi quidem disciplina tenuit illos in hominibus Graecis Fraenos : nam etiam Spartae, regnante Theopompo, sunt item quinque, quos illi Ephoros appellant, in Creta autem decem, qui Cosmoï vocantur, ut contra consulare imperium Tribuni Plebis, sic illi contra vim regiam constituti. Fuerat fortasse aliqua ratio Majoribus nostris in illo aere alieno

(1) Cap. 33.

medendi, quae neque Solonem Atheniensem, non longis temporibus ante fugerat, neque post aliquanto nostrum Senatum, cum sunt propter unius libidinem omnia nexa civium liberata, nectierque postea desitum; semperque huic generi cum Plebes publica calamitate impendiis debilitata deficeret, salutis omnium causa aliqua sublevatio et medecina quaesita est; quo tum consilio praetermisso, causa populo nata est, duobus Tribunis Plebis per seditionem creatis, ut potentia Senatus atque auctoritas minueretur; quae tamen gravis et magna remanebat, sapientissimis et fortissimis et armis et consilio civitatem tuentibus. »

Immensa igitur et immoderata, ejectis Regibus, ut memoravi, Senatus erat auctoritas : postquam vero Plebes, innumeris oppressa malis, in Montem Sacrum discessit electique fuerunt Tribuni Plebis, tum demum potentia Senatus atque auctoritas minui, formaque Reipublicae mutari partim incoepit; creatis enim Tribunis, sensim Democratia oriebatur, magnamque in Republica administranda partem assecuti sunt Plebeii.

Initio magis ad impediendum, quam ad agendum creati fuerant Tribuni, quorum munus arctissimis coarctabatur limitibus, quos nisi transgredi properassent, Tribunorum institutio Reipublicae haud multum profuisset, neque ulla peperisset commoda; verum non diu imbecillam suam manere auctoritatem passi sunt Tribuni, ac brevi nulla non arrepta occasione jurium suorum amplificandorum, id modo non immerito intenderunt, ut Plebeii honores consequerentur, auctoritatemque Senatus infinitam nimiamque coarctarent. Quamvis tamen plu-

rima sibi asseruerint Tribuni, quae Senatui, Optimatumque factioni invisa essent, nihilominus fatetur CICERO ipse institutionem illam quodammodo Reipublicae profuisse; fratri enim dicenti istam potestatem sibi pestiferam videri, quippe quae in seditione et ad seditionem nata sit, respondit (1); « ego fateor in ista ipsa potestate inesse quiddam mali, sed bonum, quod est quaesitum in ea, sine isto malo non haberemus. Nimia potestas est Tribunorum Plebis, quis negat? Sed vis Populi multo saevior, multoque vehementior, quae ducem quod habet, interdum lenior est, quam si nullum haberet; dux enim suo periculo progredi cogitat : Populi impetus periculi rationem sui non habet at aliquando incenditur et quidem saepe sedatur. Quod enim est tam desperatum collegium, in quo nemo e decem sana mente sit..... concessa Plebi a Patribus ista potestate, arma ceciderunt : restincta seditio est : inventum est temperamentum, quo tenuiores cum Principibus aequari se putarent : in quo uno fuit Civitatis Salus.... quamobrem aut exigendi Reges non fuerunt, aut Plebi, re non verbo, danda libertas : quae tamen sic data est, ut multis praeclarissimis addiceretur ut auctoritati Principum cederet.

261-291. Electis Tribunis, concessis etiam Aedilibus Plebis (2), quieta Urbs inimicitiaeque omnes depositae videbantur; sed latebat ignis sub Cinere doloso, moxque exardescebat discordia; inopia enim propter agros secessionis tempore non excultos

(1) CICERO de legibus, lib. III. cap. 8 et 10.
(2) DIONYS. HAL. lib. VII. p. 411.

exorta (1), Tribuni criminabantur forsitan non injuria Senatores, eorum artibus inopiam adesse, premendae Plebis causa. Cum Senatus jussisset Consules prodire in publicum, verba facere apud Populum, talis calumniae revellendae causa, et parere volentibus Consulibus, intercessissent Tribuni, concionem suum locum esse, ut Consulum Senatum, dicentes (2), tum alter Consulum, verbum leve et irrevocabile emisit, quo ipse Tribunitiam Potestatem amplificabat negando Tribunis Consules interpellandi potestatem esse quod ipsi convocassent concionem; se non modo non interpellaturos esse, sed ne adfuturos quidem, si Tribuni eam convocassent (3); agnoscebat itaque Tribunis Populum convocandi Potestatem esse. Laetitia etiam exsultavit audiens Tribunus, ut exclamarit: vicimus, Quirites, concesserunt nobis adversarii nostri quidquid volebamus (4). Leviter emissa haec verba in perniciem Nobilium verterunt Tribuni; etenim a Populo impetrarunt ut haec sanciretur Lex: Concionanti apud Populum Tribuno nemo contradicito, nec dicentem interpellato; si quis contra fecerit, vades dato Tribunis, soluturum se mulctam, quam imposuerint; qui vades non dederit, morte mulctator, et bona ejus sacra sunto: si quid controversiae mulctarum hujusmodi caussa inciderit, judicium penes Populum esto (5). Quae quidem

(1) Dionys. Hal. lib. VII. p. 417.
(2) Idem lib. VII. p. 430.
(3) Idem ibidem.
(4) Idem ibidem.
(5) Idem l. VII. p. 430 et 431.

Lex Comitiorum Tributorum ingentisque Plebis defensorum potestatis proludium fuit.

Animadverterant Tribuni Comitia Centuriata et Curiata prorsus penes Nobiles esse : e re sua itaque esse sentiebant novam invenire comitiorum rationem, quod reapse effecerunt institutis Comitiis Tributis. Vix dici potest quantopere hac re imminuta et fracta fuerit Senatus auctoritas; quod extra omne dubium erit, si comparata fuerint Centuriata cum Tributis Comitiis. Comitia Centuriata nec habebantur nec deliberatio Populi rata erat, nisi accessisset Senatus auctoritas (1). Auspicia consulenda insuper penes solos Patricios erant; quod ex plurimis locis praecipue ex ciceronianis manifestum fit (2). Hocce modo voluntas Populi irrita fiebat, iique soli Magistratus creabantur, qui apud Senatum gratiosi erant; qua de re audiamus Ciceronem pro Plancio (3). « Nam si ita esset quod Patres apud Majores nostros tenere non potuerunt, ut reprehensores essent Comitiorum, id haberetis judices; tum enim Magistratum non gerebat is qui coeperat, si Patres auctores non erant facti. » Comitia contra Tributa inconsulto Senatu haberi poterant (4), nullisque auspiciis opus erat (5) : idcirco

(1) Ὁ μὲν, Plutarch. in Coriol. δῆμος ἄκυρος ἦν τοῦ ψηφῳ καὶ νόμῳ τι ποιεῖν ἄνευ προβουλεύματος. cf. Liv. lib. I. cap. 17. 22. lib. IV. cap. 3. lib. VI. cap. 41.

(2) Cicero de Divinat. lib. II. cap. 35. de Legibus. lib. II. cap. 12. lib. III. cap. 19. pro Domo cap. 14. Philip. lib. II. cap. 32.

(3) Cap. 3.

(4) Dionys. Hal. lib. IX. p. 598.

(5) Idem ibidem. Cicero in Vat. cap. 8. Manutii de Comit. rom. cap. 14. anno tamen 386 et 617. Lex Fusia et Aelia impedimentum quoddam attulit Comitiis Tributis.

Optimatum potentiae neutiquam obnoxia erant. Summa vi impedimenta struere nitebatur Senatus, sed nequicquam : ac tametsi ea Concilia ut illegitima habebat, tamen flocci faciebant Tribuni Senatum.

Judicium Coriolani opportunitatem obtulit Tribunis consilia sua perficiendi, eamque avide arripuerunt (1). Saevus ille Patricius, natalibus ferox et superbiens, cum aegre ferret Tribunitia Potestate coarctari Senatus auctoritatem, in tempore Plebi calamitoso sententiae apud Senatum auctor fuit durae crudelisque. Cum magna vis frumenti advecta esset e Sicilia ad inopiam sublevandam, agitatumque esset in Senatu, quanti Plebi daretur : tempus venisse premendae Plebis et recuperandi jura adempta cum plurimis ratus, auctor fuit Senatui, ut maximo pretio venderetur annona Patriciique imposita sibi demerent jura (2). « Si annonam veterem volunt, inquit, jus pristinum reddant Patribus. Cur ego Plebeios Magistratus video (3)? » Senatus in ipsius sententiam discessit (4):

(1) Nullus dubito, quin Coriolanus in Comitiis Tributis condemnatus fuerit, licet Alii Centuriatis eum condemnatum asseveraverint. Hac in re assentior BEAUFORT, Repub. Rom. p. 224. *Les Tribuns du peuple*, ait, *l'appelèrent devant le tribunal du Peuple ; ils voyaient que si la cause était portée devant les Comices des Centuries, les Riches et les Principaux de l'état, qui dominaient dans ces Assemblées, et qui étaient tous attachés à Coriolan, l'absoudraient infailliblement. Ils convoquèrent donc les Comices par tribus pour la première fois l'an de Rome* 262. Cf. DIONYS. HAL. lib. VIII. p. 549. Centuriatorum Comitiorum suffragia erant penes Nobilissimos etc.

(2) DIONYS. HAL. lib. VII. p. 436. 437. TIT. LIV. lib. II. cap. 34.

(3) TIT. LIV. loco citato.

(4) DIONYS. HAL. lib. VII. p. 437.

perfido consilio, aliumque prorsus exitum, ac sperabant Nobiles, habituro, patefactis auribus; sin contra vili pretio frumentum venire sivisset Senatus, Tribunorum conatibus obviam itum fuisset; imo inutiles facti essent Tribuni; quod innuere videtur LIVIUS (1) hisce verbis « haud tam facile dictu est, faciendumne fuerit quam potuisse arbitror fieri, ut conditionibus laxandi annonam, et Tribunitiam Potestatem et omnia invitis jura imposita Patres demerent sibi. » Ira perciti Tribuni diem dixerunt Coriolano, qui frustra conclamitabat, auxilii non poenae jus datum illi potestati, Plebisque non Patrum Tribunos esse (2). » Nequicquam vociferabantur Senatores, Plebi non esse jus judicium ferendi de homine Patricio (3); paulo post enim Senatus-consulto sancire debuit Senatus, ut Coriolanus judicaretur a Populo (4), imo contra eorum expectationem in Comitiis Tributis (5). Coriolanus exsilio perpetuo mulctatus est (6), (anno U. C. 263.); Judiciariam itaque potestatem acquisiverat Plebs. Ex hoc tempore, ait Dionysius Hal. (7); incrementum maxime cepit Populi potestas cum detrimento Optimatum factionis; Tribuni enim quoslibet sibi obnitentes coram Populo citabant.

(1) Lib. II. cap. 34.

(2) TIT. LIV. lib. II. cap. 34. DIONYS. HAL. lib. VII. p. 443.

(3) DIONYS. HAL. lib. VII. p. 457.

(4) IDEM. lib. VII. p. 462.

(5) IDEM. lib. VII. p. 463. 464. 465.

(6) IDEM. lib. VII. p. 469. Cf. etiam LIVIUS lib. II. cap. 35, qui paululum dissentit. Cf. MONTESQUIEU *Esprit des lois, liv. XI, c.* 18.

(7) Lib. VII. p. 469.

Paucis annis post exilium Coriolani primum Lex Agraria lata est, nunquam deinde sine maximis motibus rerum agitata (1). Spurius Cassius, Consulum alter, eam rogationem fecit : laudabilis forsan erat ipsius voluntas; verum res exitu caruit, ac rogatio auctori suo damno fuit. Cum leges istae tot, tantorumque malorum et dissidiorum irritamentum fuerint, ut a Plurimis pestiferae vocentur, a proposito alienum haud censeo tantisper eo meam flectere orationem.

Ubi victoriam de hoste consecuti fuerant Romani, ea pacis semper erat conditio ut parte territorii cederet Populus victus, agroque Romano adjiceretur; is praecipuus victoriae fructus, haec saepe belli caussa. Horum agrorum pars venibat, pecuniaque e venditione percepta in aerarium redigebatur, reliqua Plebi distribuebatur egenae, seu pascuus ager omnibus communis fiebat; hic mos, haec consuetudo sub Regibus; unde fiebat, ut arceretur inopia, stimulareturque miles ad defendendam fortiter eam Patriam, qua virtus remunerabatur, necessitatesque vitae militi praebebantur. Ast, rebus novis exortis, avidi Senatores et reliqui Patricii ista Plebi privilegia eripiebant agrique ingentes patrimonium aliquot hominum fiebant (2),

(1) TIT. LIVIUS lib. II. cap. 41. Legibus Agrariis obniti usquequaque conatus est Senatus triplici de causa : primum quod miseram humilemque manere Plebem, sua interesse existimaret : deinde quod vereretur ne harum largitionum Auctores periculosas statui praesenti, seu ut vocabant, libertati opes struerent. Cf. LIVIUS lib. II. cap. 41. Tum quod maxima pars Senatorum, qui agrorum dividendorum possessores erant, bonis fortunisque suis eversa fuisset. TIT. LIV. lib. II. cap. 41. lib. III. cap. I. lib. IV. cap. 48. 51. lib. VI. cap. 14 et 16.

(2) TIT. LIV. lib. IV. cap. 51.

nedum in commune prodessent : quippe cum agros, Populo distribuendos, Patricii falsis assumptisve nominibus sibi adjudicandos curarent; quin etiam a Majoribus tradita arva deserere debebat infelix Plebeius, qui nomina expedire non poterat, nec suos agros recipiendi ulla misero arridebat spes, quoniam simulac Patricii per biennium possessores fuerant, ex praescriptionis lege, retinere omni jure poterant.

Spurius Cassius huic malo mederi voluit; cum Hernicis foedere icto, agri partibus duabus ademptis, dimidiam Plebi divisurus erat Consul : adjiciebat huic muneri agri aliquantum quem Publicum possideri a privatis criminabatur (1). Nihil intentatum reliquit Senatus, (quia humilem manere Plebem sua interesse, intelligebat), ne ea res eveniret. Per Collegam Cassii, pollicitationibus de agris dividendis permulcere Populum studuit Senatus, qui adversarios non habuit Tribunos. Hi enim populari Consuli invidebant, quoniam beneficii haud fuerant auctores (2). Eo res adducta fuit, ut accusatus, quasi tyrannidem affectaret, e Rupe Tarpeia, judicio Populi, praecipitaretur (3).

Mortuo Cassio, Senatus fidem datam frangere non dubitavit, devictisque duobus Populis militem praeda fraudare (4). Quidquid captum ex hostibus est, redactum in Publicum a

(1) TIT. LIV. lib. II. cap. 41.
(2) DIONYS. HAL. lib. VIII. p. 539.
(3) IDEM. lib. VIII. p. 545. TIT. LIV. lib. II. cap. 41. Cf. etiam Cicer. de Republica. lib. II. cap. 35.
(4) DIONYS. HAL. lib. VIII. p. 547. 548.

Consule est (1) : ac, ne turbas cieret multitudo, bellum geri nominaque dare, metu Dictatoris, coegit (2). Ab hoc tempore turbae in dies recrudescebant; Senatus, qui pollicitus fuerat, se rationem agrorum dividendorum esse habiturum, a promissis non stabat, Plebemque ab Urbe arcebat, ne inquieta in Urbe res novas moliretur; Tribuni contra delectum impedire nitebantur, et interdum impediebant, perfidiam Senatus conviciis prosequentes (3), interdum inanes voces edentes, ubi Consules delectum extra Urbem habebant; (Tribunis enim nulla potestas extra Urbem erat (4). Illis itaque turbulentis temporibus Anarchia Romae aderat, ut ut ope Consulum eminebat vis Senatus. Adeo verum, quod scribit Levesque? *Ces constitutions mixtes semblent avoir les avantages des trois Gouvernements, et les remplacer tous, en ne laissant à aucun d'eux son activité; mais comme un parfait équilibre ne peut jamais se maintenir entre les trois Pouvoirs, elles réunissent en effet les inconvéniens, qui sont attachés à chacun d'eux sans recueillir complétement d'aucun les avantages, qui lui sont propres. La Patrie est sans cesse tourmentée des combats, que ces Pouvoirs jaloux se livrent dans son sein; tous voulant gouverner, ils s'accordent malgré leurs querelles à empêcher qu'il ne s'établisse un Gouvernement vigoureux, et l'état sans pilote éprouve les tempêtes successives ou simultanées de la tyrannie, de l'anarchie et de la guerre intestine* (5).

(1) Tit. Liv. lib. II. cap. 42.
(2) Dionys. Hal. lib. VIII. p. 548.
(3) Idem lib. VIII. p. 553. 554. Tit. Liv. lib. II. cap. 42. 43.
(4) Idem ibidem.
(5) Levesque. vol. 1. p. 141 et 142. Tacit. ann. lib. IV. cap. 33. Multum abest ut

Tribuni de Legibus Agrariis pugnam semper redintegrabant. Ubi animadvertit Senatus in dies corroborari Tribunorum potentiam Plebisque crescere animos, consilia inire studuit, quemadmodum effraena multitudo, superbique Tribuni coercerentur. Ad Dictaturam pluries confugerant: eoque remedio usquequaque uti periculosum haud immerito arbitrabantur Senatores. Tandem postquam diu animo reputaverant, Tribunitiam Potestatem suis viribus dissolvi posse invenerunt, uno Tribunorum sibi adjuncto (1); « eum nunquam defuturum, aiebat Senatorum unus (Appius) qui et ex collega victoriam sibi et gratiam melioris partis bono publico velit quaesitam et Plures, si Pluribus opus sit, Tribunos ad auxilium Consulum paratos fore et unum vel adversus omnes satis esse, darent modo et Consules et Primores Patrum operam, ut, sin minus omnes, aliquot tamen ex Tribunis Senatui conciliarent (2). » Dicto audientes fuere Senatores: delinire Patres Tribunos coepere; quae res ipsis prospere successit; cum enim quidam Tribuni delectum impedire conarentur, quatuor collegarum intercessione frustra fuere (3): id itaque obtinuerat Senatus, ut Tribunitiae Potestatis vires minus validae fierent, atque, ut Plebes ex Urbe egredi jussa, quid intrinsecus ageretur, curare nequiret. Quae

ex tribus modis Rerum Publicarum, illud genus, quod conflatum fuerit ex omnibus anteponat TACITUS. « Cunctas Nationes et Urbes, inquit, Populus aut Primores aut Singuli regunt. Delecta ex his et consociata Reipublicae forma laudari facilius quam evenire, vel si evenit, haud diuturna esse potest. In alia omnia abire videtur CICERO de Republica, lib. 1. cap. 35 et passim.

(1) TIT. LIV. lib. II. cap. 44. Jam ab initio numerus Tribunorum amplificabatur, caeterum haec res obscura est. Vide LIVIUM II. 33.

(2) IDEM. ibibem.

(3) IDEM. ibidem.

quidem caussa est, cur bella ex bellis oriri videamus. *Lorsque les Citoyens étaient une fois enrôlés*, scribit Beaufort (1), *on les tenait sous les armes et hors de Rome, aussi longtemps que les clameurs des Tribuns du Peuple le permettaient; c'était une des maximes du Sénat de chercher toujours quelque prétexte pour éloigner de Rome une foule de Citoyens oisifs.*

Nihilominus hydrae, quae omnino exanimata haud fuerat, renascebantur cervices; quidam enim Tribuni Patribus servire dedignabantur, et auctoritati suae incrementum dare volebant. Coram Populo plures Consulares Viros citarunt, inter quos Menenium, qui jussus rationes reddere mulcta pro temporibus ingenti mulctatus est (2), et Sp. Servilium cui, quod audacius dimicasset, diem dixerunt (3): (is tamen condemnatus non fuit) (4), aliosque Legi Agrariae obnitentes (5). Verum tamen Senatus consilio e re capto, salvam salutem duorum Consularium, quibus dies dicta fuerat, fecit L. Furii et C. Manlii, Tribunum Genucium, qui dies dixerat, jugulandum curando (6). Eo scelere ingentem metum injecit Senatus Genucii Collegis, morte ejus monitis, Senatum parvi facere et jusjurandum et leges sacratas (7).

(1) *Discours prélim. p. XXVI.*
(2) Tit. Liv. lib. II. cap. 52. Dionys. Hal. lib. IX. p. 585. 586.
(3) Dionys. Hal. lib. IX. p. 587. Tit. Liv. lib. II. cap. 52.
(4) Idem lib. IX. p. 591. Tit. Liv. lib. II. cap. 52.
(5) Tit. Liv. lib. II. cap. 54.
(6) Idem ibidem. Dionys. Hal. lib. IX. p. 595.
(7) Idem. lib. II. cap. 55.

Paulo post tamen cladem accepit Senatus : Volero enim quidam favore Plebis quod Collegas Genutii metu torpentes et silentes increpasset fortiterque jussis Consulum restitisset Tribunus factus rogationem tulit ad Populum, ut Plebeii Magistratus Tributis Comitiis fierent (1). Istiusmodi Lex, ut animadvertit LIVIUS (2), Patriciis omnem potestatem per Clientium suffragia creandi quos vellent Tribunos, auferebat. post longam dimicationem victus fuit Senatus lexque lata consentientibus Patribus (3). Parvulo interjecto intervallo, Appius infensissimus Plebeiorum inimicus qui continuo vociferabatur Rempublicam prodi per metum et deseri, non Consulem Senatui sed Senatum Consuli deesse, graviores accipi Leges quam in Sacro Monte acceptas, coram Populo citatus est, licet omnes Patres pro eo omnibus viribus adnisi fuerint; non tamen condemnatus fuit, violentis manibus, ut simile vero est, sibi adlatis (4); ex quo intelligi potest non parum Senatus auctoritatem, Senatorumque dignitatem sprevisse Tribunos.

Indesinenter magis magisque inter duos Ordines gliscebat discordia, tenuisque videtur fuisse dissociatis Civium animis Senatus potentia, tametsi Consules, ortaque bella illi maximo erant adjumento.

291-309. Quemadmodum Cassius facem discordiae accenderat lege sua, sic incendium fovit Tribunus Terentillus Arsa nova lege Senatui odiosa; is rogavit, ut infinita immoderataque hactenus

(1) TIT. LIV. lib. II. cap. 56. DIONYS. HAL. lib. IX. p. 598.
(2) IDEM. ibidem. IDEM. ibidem.
(3) TIT. LIV. lib. II. cap. 57. DIONYS. HAL. lib. IX. p. 605.
(4) TIT. LIV. lib. II. cap. 61. DIONYS. HAL. lib. IX. p. 610.

limitibus circumscriberetur Consulum auctoritas (1), simulque ut consentiente Populo Leges de omnibus negotiis et publicis et privatis scriberentur, ut, quid annuis magistratibus, singulisque civibus inter se juris esset, ceu limites definirent. Istiusmodi lex eo spectabat, ut Potestas Judiciaria Nobilium et Senatus everteretur.

Cum enim Plebeiorum pleraque pars serviles artes exerceret, jurisque scientiae imperita rudisque esset, Patricii soli studia legum curabant : eas interpretabantur, litesque omnes ad se delatas componebant (2) pro libitu et judicia temporibus accommodantes. Quantum auctoritatis mutuarentur ab hoc munere, nemo est qui non intelligat. Senatus itaque cum Consulatu pro virili parte nitebatur, ne ea res eveniret, Nam ut inquit VERTOT *les Tribuns attaquaient par ce moyen l'autorité du Sénat dans celle des Consuls qui en étaient le plus ferme soutien*. Principio Conatus exitu non caruit; Tribunus enim destitit (3); verum non diuturna ea fuit Senatus laetitia : nam anno insequenti Lex a toto Tribunorum Collegio relata est (4). Senatus more suo delectum haberi jubet ut arceatur Plebs ab Urbe. Hic autem dolus Tribunos non fefellit; personarunt enim novos hostes quaeri, bellum innoxiis indici, geri cum Plebe Romana, ne ferretur Lex (5); intercesserunt itaque, ne

(1) TIT. LIV. lib. III. cap. 9. DIONYS. HAL. lib. X. p. 629.
(2) DIONYS. HAL. lib. X. p. 627.
(3) TIT. LIV. lib. III. cap. 10.
(4) IDEM. ibidem.
(5) IDEM. ibidem.

delectus haberetur (1). Imo legis adversario acerrimo Caesoni diem dixerunt, eumque in vincula conjecissent, nisi vades dedisset (2); et cum judicii die non stetisset, Patrem ejus condemnarunt Tribuni ad mulctam solvendam (3). Connitebatur omnibus Viribus Senatus, ut desisterent ab incepto Tribuni. « Mediis diebus quibus Tribuni de lege non agerent, ait LIVIUS (4), nihil Patribus placidius aut quietius erat, benigne salutare, adloqui Plebis homines, Tribunos ipsos caetera pati sine interpellatione Concilia habere, nunquam illis neque publice neque privatim truces esse, nisi cum de lege agi coeptum esset. » Adeo temporibus callide Patres inserviebant! Per plurium annorum spatium dimicarunt Tribuni, ut Lex ferretur, sed nequiequam, vigente variis artibus Optimatum mediis in turbis factione. Quid hac de pervicacia Senatus censuerit BEAUFORT, his patefacit, « *Rien n'est plus propre*, inquit, *à nous faire pénétrer dans les vues des Patriciens et à nous prouver que ces vues ne tendaient qu'à établir une domination arbitraire, que la résistance opiniâtre qu'ils opposèrent à la proposition des Tribuns, et leur refus de consentir à l'établissement de ce Corps de Lois. On peut sur ce principe juger de presque tous les différends du Peuple et du Sénat. Le Peuple voulait que les lois regnassent, et s'y soumettait avec docilité: le Sénat et les Patriciens voulaient que leur volonté tînt lieu de lois, et que le Peuple fût soumis à tout ce qu'ils ordon-*

(1) TIT. LIV. lib. III. cap. 11.
(2) IDEM. lib. III. cap. 13.
(3) IDEM. lib. III. cap. 13. DIONYS. HAL. lib. X. p. 633.
(4) IDEM. lib. III. cap. 14.

naient. Ils adoptaient les maximes du Gouvernement le plus tyrannique.... Ils adoptaient des maximes absolument incompatibles avec le Gouvernement Républicain (1). » Tandem Sp. Tarpejo et A. Atterio, Consulibus, anno Ur. 300, morem gesserunt Plebeiis Patres, sibi graves poenas obstinati animi daturam esse Plebem existimantes; cum enim Tribuni rogassent, ut, si Plebeiae leges displicerent, at saltem, Legum Latores et ex Plebe et ex Patribus, qui utrisque utilia ferrent, quaeque aequandae libertatis essent, sinerent creari; rogationi concessit Senatus ea tamen lege, ne quis nisi ex Patribus leges daret; illico tres Viri ex Senatus Consulto in Graeciam profecti sunt, qui leges describerent (2).

Certamen perpetuum exstitisse inter Senatores et Tribunos ab instituto Tribunatu vidimus, Romamque multiplici procella jactatam fuisse, varias artes Patres adhibuisse ad privilegia pristina retinenda et vires tribunitias evertendas, seu saltem minuendas et comprimendas: non tamen omnes eas fuisse, quae ad optatum sibi exitum perducerent: Tribunorum contra eo spectasse et consilia et conatus, ut alterius factionis potentiam debilitarent; acerrime tamen hactenus restitisse Senatum, nec plurimum profecisse Tribunos, etiamsi Tribunitiae Vires creverint et audacia.

Mentionem fecimus aliquot Virorum Summorum, qui judicio Populi poenas dedere, et interdum latius de internis dis-

(1) BEAUFORT, p. 408.
(2) TIT. LIV. lib. III. cap. 31. DION. HAL. lib. X. p. 675.

cordiis egimus, iis tamen omissis, quae a proposito aliena ducebamus; reliquum est ut unum addamus; inter discordias de legibus scribendis rogatum a Tribunis fuit incaute et imprudenter, ut Tribunorum numerus augeretur ad decem : auctores facti sunt Senatores eo facilius quod minorem inter Plures quam inter Pauciores fore concordiam, istoque modo Vires Tribunitias debilitari posse, censerent Patres (1). *Le Tribunat s'affaiblit*, ait ROUSSEAU (2), *comme le Gouvernement, par la multiplication de ses membres. Quand les Tribuns du Peuple Romain, d'abord au nombre de deux, puis de cinq, voulurent doubler ce nombre, le Sénat les laissa faire, bien sûr de contenir les uns par les autres; ce qui ne manqua pas d'arriver.*

Posteaquam missi in Graeciam legati reversi sunt, postulatum a Tribunis fuit, ut ex Senatus Consulto legum latores crearentur, fieretque tandem legum scribendarum initium (3): placuit creari decem Viros sine provocatione, insuper Magistratus omnes vel Tribunos abdicare; controversia aliquamdiu fuit, utrum Patriciis admiscerentur Plebeii, sed mox tamen concessum fuit Patribus, ut ex Corpore Nobilium duntaxat eligerentur, modo ne quaedam Sacratae Leges abrogarentur (4). Satis mirari nequeo qui evenerit, ut sine intercessione passi fuerint Legislatores e coetu Nobilium solo eligi Plebis defen-

(1) TIT. LIV. lib. III. cap. 30. DIONYS. HAL. lib. X. p. 657. Levesque. v. 1. p. 176.
(2) ROUSSEAU, *Contrat social. chap.* 6.
(3) DIONYS. HAL. lib. X. p. 678. TIT. LIV. lib. III. cap. 33.
(4) TIT. LIV. lib. III. cap. 33. DIONYS. HAL. lib. X. p. 679. Cicero de Repub. lib. II. cap. 36.

sores; praevidere enim et poterant et debebant illos istiusmodi leges laturos, quibus Optimatibus faveretur, Plebsque in majorem, quam antea, contemptionem adduceretur: quod revera usuvenit.

Principio Decemviri adeo prudenti moderatoque Imperio Rempublicam administrabant, ut neminem offenderent, nec Plebs, cui acceptissimos sese reddiderant, Tribunitium quidem auxilium desideraret (1). Patricii itaque illi decem, summam auctoritatem tanta moderatione temperantes, Senatus expectationem et spem suā agendi ratione haud frustrabantur; spes enim Senatum in Concilio decem Virorum positas habuisse, ratum fore ut Imperio leni et moderato, suspensis Lege Valeria, Legibusque Sacratis, Tribunatus sibi odiosus e Republica sine sensu tolleretur vique et necessitate ademptis juribus recuperatis Tribunitia intercessione privata multitudo, quae tanto studio Patriciorum judiciariam Potestatem, Legum Scriptarum rogatione, minui gestierat, coerceri refraenarique posset, pristino rerum statu restituto, res minime dubitanda est (2). Primum decem tabulas confecere, quae Senatui propositae, Senatus-consulto probatae, Comitiis examinatae Plebiscito confirmatae fuerunt (3). Latis decem tabulis, spargebatur rumor duas deesse tabulas: iis absolvi posse

(1) TIT. LIV. lib. III. cap. 34. DIONYS. HAL. lib. X. p. 680.

(2) Cf. *Discours critique sur l'Histoire et le Gouvernement de l'ancienne Rome, traduit de l'anglais, Paris* 1770, *p.* 266. (opuscul. illius auctor, hausisse se omnia ex historia romana clarissimi Hooke, lectorem monuit).

(3) DIONYS. HAL. lib. X. p. 681.

velut Corpus omnis Juris Romani (1). Imperium decemvirale continuari avebat Senatus : res ex sententia successit ; nam ea exspectatio, inquit LIVIUS (2), appropinquante tempore Comitiorum, desiderium decemviros iterum creandi fecit. Tum magna dominandi lubido animos Optimatum subegit ; nam, ut legimus apud Patavinum Scriptorem (3), « postquam Comitia decem Viris iterum creandis indicta sunt, tanta exarsit ambitio, ut Primores quoque civitatis metu, ne tanti Imperii possessio, vacuo ab se relicto loco, haud satis dignis pateret, prensarent homines, honorem ab ea Plebe, cum qua contenderant, suppliciter petentes. »

Hic silentio praetermittere non possum Viri cujusdam morum mutationem, ut ex hoc perspicuum fiat, quam varius abjectusque reddi homo possit honorum libidine ac studio aliis antecellendi. Appius, dura crudelique stirpe ortus, Plebi indesinenter inimica, Plebeiorum adversarius ipse acerrimus decemvir factus novum sibi ingenium induit, ut Publicola repente omnisque aurae Popularis captator evaderet pro truci saevoque Plebis insectatore (4). Appius ille, penes quem regimen totius Magistratus favore Plebis erat, Senatorum vana Consilia reddidit artesque elusit (5); gratiam enim eorum aucupatus, qui auctoritate valebant apud Populum, id est, Veterum Tribuno-

(1) IDEM. ibidem. TIT. LIV. lib. III. cap. 34.
(2) TIT. LIV. loco citato.
(3) TIT. LIV. lib. III. cap. 35. DIONYS. HAL. lib. X. p. 681.
(4) TIT. LIV. lib. III. cap. 33. DIONYS. HAL. lib. X. p. 681.
(5) IDEM. lib. III. cap. 35.

rum, Optimates per illos criminatus fuit (1), humillimum quemque et levissimum extollendo. Tum vero Senatus ipse suis artibus poenas dedit; Quum enim solos Nobiles eligi voluisset, unus istorum Nobilium ad honores viam Plebeiis hominibus patefecit: Appius videlicet, suae Majorumque superbiae immemor, non dubitavit contra Senatus jussa tres Plebeios Collegas sibi cooptare, aequum dicens, Decemviratus Plebem esse participem, re ipsa, ut eos haberet quos in suos mores formare, voluntatisque ministros reddere posset (2). Haec omnia Spreto Senatu facta fuere.

Decemviri voti compotes dissimulare desierunt, nihil prius habentes, quam ut metum et terrorem Singulis injicerent, centum viginti Lictoribus, qui fascibus secures inligaverant, stipati (3), promiscue saevientes in Patricios et Plebeios, licet postea abstinuerint a caedibus Patriciorum, quorum multi in eorum partes transierant (4). Quin etiam eo arrogantiae processum fuit, ut foedus jurejurando inter se inierint ne Comitia haberent, perpetuoque Decemviratu possessum semel obtinerent Imperium (5).

Inanis invalidaque jacebat tum temporis auctoritas Senatus. Si quis enim memor libertatis vocem aliquam effudisset in Senatu, statim virgae et secures expediebantur ad aliorum me-

(1) IDEM. ibidem.
(2) TIT. LIV. lib. III. cap. 36. DIONYS. HAL. lib. X. p. 682.
(3) TIT. LIV. lib. III. cap. 36.
(4) DIONYS. HAL. lib. X. p. 683.
(5) TIT. LIV. lib. III. cap. 36.

tum (1) : imo morem Senatum consulendi intermiserant Decemviri, quorum pro ratione stabat voluntas (2). Quocirca Patres plerique in agros secesserant indignitate rerum et mortis declinandae caussa, « tantum ab injuria, ait LIVIUS (3), se abesse rati, quantum a coetu congressuque impotentium dominorum se amovissent. »

Quanquam vero ipsorum Patrum miserrima erat conditio, tamen partim laetabantur Plebeios, libertatis avidos, in durissimam servitutem lapsos, ut pristinus rerum status in desiderium veniret. Illud argumento est, quam saeva istis Patriciis fuerit indoles (4).

Licentia Decemvirorum, Magistratum injussu Senatus et Populi gerentium, juxta saevitia, adeo in dies crescebat, ut tam saevum, immiteque Imperium omnibus fieret invisum. Tunc tandem imminente periculo, convocati a Decemviris reviviscere incoepit Senatus auctoritas, et paulo ante metu compressae liberius emittebantur Senatorum voces (5). Imo rogatum fuit, ut aboleretur Decemviratus (6). Verumtamen rem sine strepitu fieri gestiebant Senatores, decemque Viros ultro potius quam exsurgente Plebe abdicare se a Magistratu volebant, sperantes fore, ut, si leniter res ducta sine rumore, sine strepitu ad Consules rediisset, qualicumque ratione in oblivionem Tribu-

(1) TIT. LIV. lib. III. cap. 36.
(2) IDEM. lib. III. cap. 38.
(3) Ibidem.
(4) IDEM. lib. III. cap. 37.
(5) IDEM. lib. III. cap. 39. 40. sqq. DIONYS. HAL. lib. XI. p. 688. 689. sq.
(6) DIONYS. HAL. lib. XI. p. 694. 695. 696. sqq.

norum Plebem adduci posse (1). Quae quidem caussa est, cur bellum gerendum Decemviris a Senatu mandatum fuerit (2).

Verum Appius tantum sibi odium concitavit Militum, stuprandae ingenuae filiae conatu et miserando puellae fato, ut castris desertis in Montem Sacrum secesserint, ibique Tribunos Militares legerint (3). Plebs ubi animadvertit, se neutiquam Senatui confidere posse, quem Decemviris favere persentiscebat, transiit etiam ad Milites, affirmante Tribuno quodam « non prius, quam deseri Urbem videant, curam in animos Patrum descensuram esse. (4) » Tum tandem Senatus leniendum Populum Romanum, qui tyrannidi saevorum dominorum, lares et focos deserendo, iterum se subduxerat, intellexit; itaque jussu Senatus se abdicaturos, pollicentur Decemviri, se in Potestate Patrum affirmantes esse (5). Senatus confestim misit legatos Plebi, quibus responsum est, Plebem non esse redituram nisi his conditionibus :

I. ne cui fraudi esset, concisse Milites aut Plebem ad repetendam per secessionem libertatem :

II. ut provocatio ad Populum ipsi restitueretur :

III. ut auxilia crearentur adversus Vim Nobilium, id est, Tribuni. Conditiones Senatus accipere debuit. Senatusconsul-

(1) Tit. Liv. lib. III. cap. 41.
(2) Dionys. Hal. lib. XI. p. 703.
(3) Tit. Liv. lib. III. cap. 50. 51. Dionys. Hal. lib. XI. p. 723.
(4) Tit. Liv. lib. III. cap. 52.
(5) Idem. ibidem.

tum factum est, ut Decemviri se primo quoque tempore Magistratu abdicarent, Pontifex Maximus crearet Tribunos, et ne cui fraudi esset secessio Militum Plebisque (1). Plebs in Urbem reversa est. Magistratu se abdicarunt Decemviri, qui omnes ferme poenas dederunt suae crudelitatis, pristinusque rerum status rediit. Verum quanquam Decemvirali Imperio finis factus erat, tamen vigebant Leges latae, quarum ope Optimatibus favebatur et humilior quam antea, reddebatur Plebis conditio; una earum sanciebatur, ne connubium Plebeiis cum Patribus esset (2) : altera crudelissime saeviebatur in debitores. Quocirca aeque acceptae fuerunt Senatui, ac Decemviri principio odiosi fuerant, quippe cnm Viris spretam, Legibus confirmatam suam auctoritatem sentirent (3).

Roma decemvirali tyrannide liberata, Consules habuit populares L. VALERIUM, M. HORATIUM (4). Ii Viri tempore secessionis ad Plebem missi se Plebeios, quo facilius et libentius in Urbem redirent, omni ope adjuturos polliciti fuerant. A promissis itaque stare voluerunt. Verum Senatus odium ingens sibi conflarunt. « Eorum Consulatus popularis fuit, ait LIVIUS (5) nec sine Patrum offensione. Quidquid

(1) IDEM. lib. III. cap. 54. DIONYS. HAL. lib. XI. p. 725.

(2) CICERO de Republica lib. II. cap. 37.

(3) Haec est caussa cur tantis laudibus efferantur (istae leges) a viris Nobilium factioni deditis; fremant omnes licet, ait CICERO, Orat. lib. I. cap. 14. dicam quod sentio, Bibliothecas me hercule omnium Philosophorum, unus mihi videtur XII tabularum libellus, si quos legum fontes et capita viderit, et auctoritatis pondere et utilitatis ubertate superare.

(4) TIT. LIV. lib. III. cap. 55. DIONYS. HAL. lib. XI. p. 725.

(5) Idem.

enim libertati Plebis caveretur, id suis decedere opibus credebant. « Inprimis cum negassent Patres se Plebiscitis teneri, Legem tulerunt Centuriatis Comitiis, ut QUOD TRIBUTIM PLEBS JUSSISSET, POPULUM TENERET (1) QUOD SI QUIS EAM ABROGARET AUT TRASGREDERETUR, MORTE ET PUBLICATIONE BONORUM MULCTARETUR (2). Secundam Legem tulere, NE QUIS ULLUM MAGISTRATUM SINE PROVOCATIONE CREARET, QUI CREASSET, EUM JUS FASQUE ESSET OCCIDI: NEVE EA CAEDES CAPITALIS NOXAE HABERETUR (3).

Legibus istis Populum contra molimina Senatus duplici propugnacnlo, provocatione et Tribunatu muniverant; Verum veriti Consules, ne Senatus, quem nihil sancti nihil pensi habere, compertum habebant, obnitentes Tribunos e medio tolleret, sanxere, ut QUI TRIBUNIS PLEBIS, AEDILIBUS NOCUISSET, EJUS CAPUT JOVI SACRUM ESSET: FAMILIA AD AEDEM CERERIS, LIBERI LIBERAEVE, VENUM IRET (4). Sancitum insuper fuit ut in Aedem Cereris ad Aediles Plebis deferrentur Senatusconsulta quae antea arbitrio Consulum supprimebantur vitiabanturque. Tum Tribunus auxilio Consulum fretus rogavit, Plebsque scivit, QUI PLEBEM SINE TRIBUNIS RELIQUISSET, QUIQUE MAGISTRATUM SINE PROVOCATIONE CREASSET, TERGO AC CAPITE PUNIRETUR (5). His institutis omnibus frangebatur auctoritas Senatus, cui lege de Magistratu, a quo provocatio non foret, non

(1) TIT. LIV. lib. III. cap. 55. DIONYS. HAL. lib. XI. p. 725.
(2) DIONYS. HAL. loco citato.
(3) TIT. LIV. lib. III. cap. 55.
(4) IDEM. ibidem.
(5) IDEM. ibidem.

creando sacra anchora peribat; Sed pristinum animi robur defecerat Senatores, quorum tanta fuit infractio, animique demissio, ut haec cuncta, ut invitis, ita non adversantibus Patriciis, transacta sint. Obluctari in tanto Rerum discrimine tamque difficili statu non ausus fuerat Senatus; ast iram animo penitus infixam concoquebat ultionis studio potissimum in Consules flagrans. Hi rebus urbanis compositis bellum gessere : victoria ingenti relata, triumphi honores postularunt a Senatu. Verum Senatus, ultionis plenus, et ira in pectore aestuante fremens, ingenti consensu Patrum triumphum negavit (1).

Consules furibundi, Populo in concionem advocato, patrocinantibus Tribunis, post prolixam in Senatum accusationem, triumphi deducendi potestatem a Plebe accepere (2). « Tum primum, ait LIVIUS (3), Sine auctoritate Senatus, populi jussu triumphatum est. » Inconsulte imprudenterque egisse Senatum hac in re, nemo est, qui non videat. Ipsius dissimulare, inimicitiasque ad praesens remittere, intererat, petentibus Consulibus triumphum praescribendo. Providere enim et poterat et debebat, futurum ut Consules, qui gratiam Populi inierant, repulsam passi confugerent ad Populum, impetrarentque quod Senatores negaverant. Sin contra Senatus Consulum postulationi concessisset, spretam suam auctoritatem haud vidisset : imo forsitan Consules a Populo abductos in

(1) TIT. LIV. lib. III. cap. 63. DIONYS. HAL. lib. XI. p. 729.
(2) DIONYS. HAL. loco laudato.
(3) Lib. III. cap. 63.

suas partes traxisset. *C'était ainsi*, inquit LEVESQUE (1), *que souvent les Patriciens servaient d'autant mieux le parti populaire qu'ils le haïssaient davantage, et ne faisaient par leur imprudente résistance que lui préparer l'occasion d'acquérir de nouveaux droits.*

Dolum machinamque paulo post adhibuit Senatus, qui indubie imprudentiam suam agnoverat in denegando triumpho, ut infringeret penitusque convelleret Populi libertatem et potestatem. Quod quidem accidisset, nisi medio in spatio Senatorum perfida consilia corruissent. Postquam magistratu se abdicaverant Tribuni, post reversum Populum creati, in partes suas novos priores Tribunos potuerunt trahere. Hi in cooptandis collegis Patrum voluntatem foverunt (2); duos enim patricios consularesque Sp. Tarpejum et A. Aterium cooptavere.

Verum frustra fuere; Tribunus enim Plebis, comperto Patriciorum consilio, impediit Lege Trebonia, ne in posterum e Patriciis creari possent (3). Laudabilis ejus intercessio. Nam si eo munere defungi Nobilibus licuisset, mox Tribunatus penes Patricios, Populique libertas oppressa fuisset (4).

Quemadmodum populares fuerant Horatius et Valerius consules, sic immites fuere quatuor Consules sequentes. His con-

(1) Lib. I. p. 229.
(2) TIT. LIV. lib. III. cap. 65.
(3) TIT. LIV. lib. III. cap. 65.
(4) Levesque lib. I. p. 231.

sulibus fretus Senatus saevitiam exercere iterum incoepit : potissimum juniores Patrum crudelitate omnes anteibant : auxiliumque Tribunitium inane erat. Facundum LIVIUM audiamus. « quiescenti Plebi a junioribus Patrum injuriae fieri coeptae. Ubi Tribuni auxilio humilioribus essent, in primis parum proderat : deinde ne ipsi quidem inviolati erant, utique postremis mensibus, quum et per coitiones Potentiorum injuria fieret, et vis potestatis omnis posteriore anni parte languidior ferme esset...... Seniores contra Patrum, ut nimis feroces suos credere juvenes esse; ita malle, si modus excedendus esset, suis, quam adversariis, superesse animos (1). » Plebeii contra, ubi creatus fuit quintus Sextusque consul a Valerio, animos arrectos habere, imperium detrectare a Tribunis concitatos. Sic a discordiis nulla ferme requies erat, dissociabanturque animi Plebeiorum et Senatorum.

Dissidiorum ac turbarum in Republica triplex irritamentum erat : Nobilium foeneratorum avaritia, eorumdem in amplificando suo patrimonio insatiabilis aviditas : tandem Magistratuum, Munerum, Dignitatum usurpatio. De prioribus caussis obiter diximus. Reliquum est ut quaedam de tertia caussa adjiciamus. Tanta Patriciorum (proin Senatus) Romae superbia erat, ut Plebeios aliud hominum genus constituere arbitrarentur, honore, Magistratu indignos, quin etiam Diis immortalibus ipsis invisos, negantes quempiam nisi Patricium habere posse auspicia (2). Dedecus itaque summum habuisset

(1) TIT. LIV. loco citato.
(2) TIT. LIV. lib. IV. cap. 2. 6.

Patricius nobilitatem suam polluere connubio cum familia Plebeia, et quod usu et consuetudine tantum invaluerat, id confirmatum una legum XII Tabularum vidimus.

Canuleius Tribunus Plebis factus cum persuasum haberet in 309-312.
tanto contemptu viventes Plebeios nunquam honores esse consecuturos, nisi remoto impedimento, indignatus simul arrogantiam Nobilium, quippe cum nullam sentiret majorem aut antiquiorem contumeliam esse posse quam partem civitatis, veluti contaminatam, indignam connubio haberi, rogationem promulgavit de connubio Patrum et Plebis (1). Paulo post ipsius Collegae promulgarunt, ut Populo potestas esset, seu de Plebe seu de Patribus vellet, Consules faciendi (2). Indignabundus fuit Senatus; priori enim lege contaminari suum sanguinem, posteriori convelli suam potestatem, auferri hac rogatione a Primoribus Summum Imperium, statum Rerum mutari intelligebat. Rogationes eludere primum tentavit Senatus, hostem appropinquare armaque capienda vociferatus; ast Tribunus, dolum suspicatus, haud immerito professus est, se delectum haberi non prius permissurum esse, quam Plebs, quae promulgata erant a se suisque Collegis, scivisset (3). Tandem, post acerrima certamina, victoriam partim Populus reportavit siqnidem victus Senatus consenserit, ut de connubio ferretur lex (4), spe dubio procul fore, ut contentionem de Plebeiis Consuli-

(1) Livius lib. IV. cap. 1.
(2) Idem. ibidem. Dionys. Hal. lib. XI. p. 730.
(3) Idem. ibidem. Idem. lib. XI. p. 730. 731.
(4) Tit. Liv. lib. IV. cap. 6.

bus aut totam deponerent, aut saltem differrent (1). Verum Senatus ignorabat, quantum concessisset. Populus omnia in posterum impetraverat, impetrato jure connubii cum Patribus, et praevidere poterat Senatus remoto impedimento, futurum tempus, quo honores Plebeii non secus ac Patricii adsequerentur (2). *Il ne fallait qu'une pénétration commune*, inquit LEVESQUE, *pour reconnaître que les Plébéiens avaient tout obtenu pour l'avenir en se faisant accorder le droit d'entrée par des mariages dans l'alliance des Patriciens; ils devenaient par ces unions membres des plus illustres familles; ils y trouvaient des appuis; ils devaient donc avoir dans les Patriciens dont ils avaient épousé les filles, les sœurs, les parentes, des hommes plus disposés à se rendre propres les intérêts de ces personnes si chères; et l'on devait prévoir que plutôt ou plus tard il viendrait un temps ou les Plébéiens parviendraient à tous les honneurs réservés jusqu'alors aux Patriciens.* Contra spem Senatus, Tribuni, quorum animos felix primae rogationis exitus erexerat, anchoras tollere noluerunt, atque iterum, inhibito delectu, pedem referre debuit Senatus. Ne tamen Plebeii Consulatum obtinerent, novum magistratum invenere Patres, eumque promiscue geri per Plebeios et Patricios, permiserunt, *Tribunos Militum Consulari Potestate* (3). Tali modo spem fovit Senatus Consulatum brevi restituendi : et re ipsa, cum Populus eo contentus, quod ratio Plebeiorum habita

(1) TIT. LIV. lib. IV. cap. 6.
(2) LEVESQUE, lib. I. p. 236. 237.
(3) TIT. LIV. lib. IV. cap. 6. DIONYS. HAL. lib. XI. p. 732. sqq.

esset, omnes e Patriciis creasset, hi ut Senatui obsequerentur, tertio mense quam inierant, Augurum decreto, perinde ac vitio creati, honore abierunt (1). Creati postea Consules, quia ea comitia malebant Principes Plebis, quibus non haberetur ratio sui, quam quibus ut indigni praeterirentur (2); Patres itaque vicerunt.

Tanto studio Consulatum Plebeii, efflagitaverant ut nomine mutato potestatem concedere debuerit Senatus. Revera non nisi Patricii Tribuni Militum consulari potestate electi fuerant; sed nihilominus ad hoc munus Plebeiis patebat aditus. Quamobrem imminuere incoepit Consulum et proin Tribunorum militum consulari potestate attributiones, dempto census jure, creatoque Censore, qui hoc munere fungeretur. « Mentio illata ab Senatu est, inquit Livius, rem operosam ac minime consularem suo proprio Magistratu egere, cui scribarum ministerium custodiaeque et tabularum cura, cui arbitrium formulae censendi subjiceretur (3). »

Quolibet anno postulabant Tribuni Plebis, ut agri dividerentur, minantes se delectum impedituros esse : verum tunc temporis nullum imminebat bellum, auctoritasque Senatus invalescebat (4). Capitali supplicio afficiendum curavit hominem Popularem, qui, ingenti exorta inopia, frumentum distribuerat Plebi, resque satis ipsi visa est, ut diceretur dictator (5); 312-333.

(1) Tit. Liv. lib. IV. cap. 7.
(2) Idem. ibidem. Dionys. Hal. lib. XI. p. 736.
(3) Idem. lib. IV. cap. 8.
(4) Tit. Liv. lib. IV. cap. 12.
(5) Idem. lib. IV. cap. 13.

(tyranni enim omnia reformidant) idemque dictator, quo usus fuerat Senatus contra Sp. Melium, paulo post expertus cognovit, quam saevus suspiciosusque esset Coetus iste, quem imprudenter, leviterque non Pauci laudarunt. Cum enim Mamercus iterum dictator, concione advocata, libertati Populi Romani, cui consulebat, maximam fore custodiam, si magna Imperia diuturna non essent, dixisset, Censuram quinquennalem esse, dum alii Magistratus annui erant, Legemque se laturum, ne plusquam annua et semestris esset Censura, et ipse statim exempli causa dictatura se abdicasset, (quam quidem moderationem Populus mirabatur) Censores jussu Senatus eum Tribu moverunt, octuplicatoque censu aerarium fecere (1). Contentio interim oriebatur perpetua Senatum inter et Tribunos de Magistratibus : ille Consules, hi Tribunos consulari Potestate eligi volebant. Verum, quod mirum est, ubi evicerant Tribuni, ut Tribuni Militum consulari potestate eligerentur, spe destituebantur : namque non nisi Patricii munus illud sortiebantur, quod aegerrime ferebant Senatus adversarii, frustra se niti pro ingrato Populo contendentes (2).

Anno ferme 321 Consules Roma habuit T. Quinctium, L. F. Cincinnatum et C. Julium Mentonem. Cum adverso marte propter discordiam usi fuissent Consules, Senatui dictatorem dici placuit; Consules vero Imperium hac in re concordissime detrectarunt. Tum ira caecus Senatus in perniciem suam ruit praeceps; confugit enim ad Tribunos, ut jussis suis pa-

(1) TIT. LIV. lib. IV. cap. 24.
(2) IDEM lib. IV. cap. 25.

reretur, haud animadvertens se sponte sua Tribunis agnoscere potestatem Consulum, Senatusque ipsius potestate majorem, proditum a se summi imperii jus datumque sub jugum Tribunitiae Potestatis Consulatum (1).

Tribuni, ea auxilii imploratione audita, non minori studio morem gerere Senatui properarunt, quam antea, aliisque in rebus ipsi obluctati fuerant, occasionem oblatam rati augendae potestatis : secedunt sua sponte Populi concilio non convocato ac in medio Senatu pronunciant « Placere Consules dicto audientes esse, si adversus consensum Amplissimi Ordinis ultra tendant, se in vincula duci eos jussuros. » Consules placide paruere, sicque factum est ut Consulum auctoritas Tribunitiae Potentiae obnoxia redderetur (2). *C'est ainsi que le Sénat contre ses propres intérêts*, ait BEAUFORT (3), *fournit lui-même des armes aux Tribuns pour l'abaisser, en leur donnant un droit sur le premier Magistrat de la République.*

Tribuni querelas renovabant indesinenter sed frustra. Multoties miratus sum quonammodo factum fuerit, ut Tribuni certamine pervicaci certantes tum ut eveherentur ad honores Plebeiis permissos, tum ut Tribuni militum consulari potestate eligerentur, Consules volentibus Patriciis victi diu et saepe recesserint, repulsae causa haud detecta seu non revulsa, dum aliis in causis victores e praelio abierint. Cum

(1) TIT. LIV. lib. IV. cap. 26.
(2) IDEM. ibidem. LEVESQUE t. I. p. 245.
(3) Pag. 367.

enim controversia exorta esset utrum Populi jussu indiceretur bellum, an satis esset Senatus Consultum, cum successu iterum obstitere Tribuni (1).

333-345. Anno 333 impetratum a Tribunis fiut Quaestorum numerus duplicaretur, eligerenturque promiscue Patricii et Plebeii; verum rursus eligebantur soli Patricii (2); Tribuni ex sua parte renovabant rogatones de agris dividendis, quas admodum expavescebant Patricii; etenim si sancita haec lex fuisset, suis omnibus fortunis fuissent eversi; nihil itaque intentatum relinquebant ne ea res eveniret, ac ut rogationi impedimentum strueret Senatus, aliquot ex Tribunis in partes suas traxit (3), quibus gratias egit. Eadem ratione impugnabant, plures alios conatus Tribunorum. Uno Tribunorum rogante ut Coloni in aliquem locum mitterentur, idque a Plebe scisceretur, intercesserunt Collegae, nullum Plebiscitum nisi ex auctoritate Senatus passuros se perferri profitentes (4).

Hactenus plurimas artes Senatus retulimus; ne quis autem credat fontem astutiae esse exhaustum; ubi enim animos Plebis arrexerant Tribuni, ut Plebeios eveheret ad Magistratus, ipsique Senatusconsulto, ne comitia consularia fierent, acerrime intercedebant, confugiebat Senatus ad Interregem, sicque victoriam reportabat (5).

(1) Tit. Liv. lib. IV. cap. 30.
(2) Idem. lib. IV. cap. 43. 44.
(3) Idem. lib. IV. cap. 48. 49.
(4) Idem. lib. IV. cap. 49.
(5) Idem. lib. IV. cap. 50.

Anno Urbis 345 acerrimos et vigilantissimos Tribunos Roma habuit, qui impetraverunt ut tres Plebeii Quaestores eligerentur (1). Senatores quoniam Comitia consularia nondum promiscua erant Quaestoriis Comitiis, ubi utrumque Plebi *incitae* liceret, omnia similia fore cernentes, ad priora tendebant. Verum generosissime resistebant Tribuni, qui laetitia una cum Plebe exsultabant, quod Quaesturam non honoris ipsius fine aestimantes, patefactum Consulatum ad honores novis honoribus fecisse viderentur (2). Patres moes- 345-348.
titia affecti novam sed miseram artem commenti sunt, ut Plebs non nisi Patricios eligeret sequentibus Comitiis; turbam enim indignorum Candidatorum viris probis, justitia commendatis spectatissimisque intermiscendo, ut Populus averteretur ab eligendis Plebeiis : res prospere successit; Patricii namque electi fuere : et paulo post cum indicerentur Comitia Tribunorum Militum, novo stratagemate usus est Senatus. Quemadmodum paulo ante vicerat dignis indignos intermiscendo, sic nunc non nisi Primores Patrum splendore gratiaque eminentes proposuit, ne cui Plebeio aditus foret (3). Uti incoeperat, sic Senatus pergebat; bella ex bellis oriebantur : bello composito, novum bellum parabatur : hocce modo Populum ab urbe ablegare volebat Senatus, ne domi per otium consilia agitaret (4).

Arte varia, multiplicique stratagemate usi fuerant Senato-

(1) TIT. LIV. lib. IV. cap. 54.
(2) IDEM. ibidem.
(3) IDEM. lib. IV. cap. 57.
(4) IDEM. lib. IV. cap. 58.

res ad tuendam suam potestatem, modo ad Dictatorem, modo ad Interregem, modo ad Tribunos ipsos confugerant; verum nullam rem aeque sibi prodesse ac civem bellicis rebus intentum esse compertum habebant; quod non latebat Tribunos, qui consilia Senatus in bellis novis indesinenter parandis Plebi aperuerant. Obstrepere itaque multitudinem, queri, Nobilibus maledicere. Quae cum ita esse animadvertisset Senatus, consilium iniit sapiens, prudentia plenum, temporibus consentaneum, quo leniretur Plebes, auresque instigationibus Tribunorum occluderet.

348-377. Decrevit enim ut stipendium miles de publico in posterum acciperet (1).

Vix dici potest quantum Senatus hac re sibi benevolentiam allexerit Plebeiorum; concursum namque traditur ad Curiam esse, prensatas exeuntium manus et Patres vere appellatos (2). Tribuni vero aegritudinem dissimulare non potuerunt intelligentes ut valeret apud animos Senatus munificentia; nisus itaque omnes intendere incoeperunt contra Senatum, quem continuo criminabantur. Frustra fuerunt Tribuni : bellum novum indictum fuit, jussumque tributum pensum (3) : et voti compos Senatus civem ab Urbe, ut invitum quidem, arcere potuerat. Cum primum exstrui tabernacula jussisset Senatus, quibus hiemarent Milites, tum vociferari certatim

(1) TIT. LIV. lib. IV. cap. 59. Cf. LEVESQUE t. I. p. 257.
(2) IDEM. lib. IV. cap. 60.
(3) IDEM. ibidem.

Tribuni : « remotam in perpetuum et ablegatam ab Urbe et a Republica juventutem : quam putarent continuatae militiae causam esse ? nullam profecto aliam inventuros, quam ne quid per frequentiam juvenum eorum, in quibus vires omnes Plebis essent, agi de commodis eorum posset (1). »

Ex hoc tempore non requies a bello fuit : de honoribus certatum enixe : raro tamen victus Senatus, qui, ex quo distribuendum stipendium censuerat, ampliore potestate, quam antea, usus videtur. Ad angustias reducitur Roma : renascitur e cineribus : ferociores fiunt Patricii, peritque Manlius Plebeiorum amicus, quia regnum adfectare dicebatur, eumdem vitae finem habens, ac Cassius et Moelius, qui popularis aurae captatores fuerant, ideo Senatui invisi; et quod mirum est, id obtinuit Senatus ut tres illi viri judicio et manibus Plebeiorum interirent (2) : contempta Plebes et aerummis pressa.

Anno U. C. 377, summa contentione pugnatum est inter Plebeios et Senatum. Plebis in dies miseria infortuniumque creverant propter aes alienum quod dissolvere non poterat. Judicata addictaque creditoribus corpore satisfaciebat. « Sensu calamitatis suae obnoxios Plebeii submiserant animos non infimi solum, ait LIVIUS (3), sed principes etiam Plebis, ut non 377-387.

(1) TIT. LIV. lib. V. cap. 2.

(2) Turbidis istis temporibus nihil certum esse, quis non videt ? res enim vetustate nimia obscurae, velut quae magno ex intervallo loci vix cernuntur; tum quod parvae et rarae per eadem tempora literae fuere, ... et quod incensa urbe pleraeque interierunt. Cf. TIT. LIV. lib. VI. cap. 1.

(3) L. VI. cap. 34.

modo ad Tribunatum Militum inter Patricios petendum, quod tanta vi, ut liceret, tetenderant; sed ne ad Plebeios quidem Magistratus capessendos petendosque ulli viro acri experientique animus esset, ut Patricii Senatusque voti compotes, usurpati modo a Plebe per paucos annos possessionem honoris recuperasse in perpetuum viderentur.» Tot, tantisque miseriis oppressae et jacenti Plebi strenui Viri, C Licinius et L. Sextius, Tribuni Plebis levamen adferre pararunt. Hi tres leges promulgaverunt pro commodis Plebis : unam de aëre alieno, UT DEDUCTO EO DE CAPITE QUOD USURIS PERNUMERATUM ESSET, ID QUOD SUPERESSET, TRIENNIO AEQUIS PORTIONIBUS PERSOLVERETUR (1).

Alteram de modo agrorum, NE QUIS PLUS QUINGENTA JUGERA AGRI POSSIDERET (2). Tertiam UT, ABROGATIS COMITIIS TRIBUNORUM MILITUM CONSULARI POTESTATE, CONSULUM ALTER EX PLEBE CREARETUR (3).

Senatus audita hac rogatione trepidavit et ad expertam intercessionem confugit. Ast conamen illud irritum fuit, utpote cum rogationis auctores invicem intercessissent ne Comitia Tribunorum Militum Consulari potestate haberentur; sicque per quinque annos Curules Magistratus Roma non habuit, iidemque Tribuni quotannis refecti manserunt (4). Qui

(1) TIT. LIV. l. VI. cap. 35.
(2) IDEM. ibid.
(3) IDEM. ibid.
(4) IDEM. ibid.

rerum Status mansisset, nisi Interrex multoties nominatus fuisset. Conatus interea iterabant pro virili parte Tribuni. Tandem Senatus trepidus, ubi videt pervicaciam ac arrogantiam Tribunorum, decurrit ad summum ultimumque remedium, quo pluries feliciter usus fuerat : Dictator dicitur Camillus. Verum toties ista praerogativa abusus fuerat Senatus, ut Vir imperii clarissimus et celeberrimus, etsi potestate illimitata munitus, nec Populo nec ipsius tutoribus metum incutere potuerit, atque illico Magistratu se abdicavit, veritus ne ingenti mulcta afficeretur (1). Alter tamen Dictator Manlius dictus fuit, qui spei Senatus non respondit, Magistrum Equitum ex Plebe eligendo (2). Tandem Sextius et Licinius decimum refecti Tribuni id pervicere ut inter decemviros Sacrorum quinque ex Plebe eligerentur. Qua re fiebat gradus ad Consulatum (3). *Dès ce moment*, inquit sagax et acutus Levesque, *les Plébéïens touchèrent de bien près à la première Magistrature, puisque revêtus d'un Sacerdoce révéré, ils ne pouvaient plus être regardés comme des profanes et que c'était surtout en cette qualité, que souillés d'une tache originelle, ils étaient déclarés par la Noblesse indignes du Consulat* (4). Paulo post Dictatore Camillo, Senatuque victo, ut rogationes Tribunitiae acciperentur, Comitiis Consularibus iisdem invitis habitis L. Sextius de Plebe primus

(1) Tit. Liv. l. VI. cap. 38.
(2) Idem. l. VI. cap. 39.
(3) Idem. l. VI. cap. 42.
(4) T. I. p. 315.

387-398. Consul factus est (1), et Senatus, qui primum abjurabat negans se auctorem futurum, ubi animadvertit Plebem in eo esse ut tertium secederet, manus dare debuit.

Verum coetus iste, qui temporibus coactus rogationi concedere debuerat, voluit saltem, quoad res et tempus ferebat, una manu eripere, quod altera dederat, Consularem Potestatem minuendo. Potestas enim judiciaria Consulibus dempta fuit, novusque Magistratus, e solis Patriciis eligendus, creatus est Praetoris nomine; et oblata occasione statim alter etiam Magistratus, AEdilis Curulis (2): iis conditionibus in gratiam rediit Populus cum Senatu.

Licinius et Sextius legem, quae ad agros spectabat, conjunxerant cum lege de Consulatu. Una itaque sancita, sanciebatur altera. Lex ista sapientissima, qua aequalitati fortunarum tam necessariae in Democratia (cujus momentum est virtus) proin frugalitati, moderationi, aliisque virtutibus consulebatur, primum religiose observata fuisse videtur, si quidem legis auctor ipse Licinius Stolo decem millibus aeris damnatus fuerit, quod eam eludere tentasset, mille jugera agri cum filio emancipato possidendo (3). Nihilominus eam

(1) TIT. LIV. lib. VI. cap. 42.
(2) IDEM. ibid.
(3) IDEM. lib. VII. cap. 16. Viguisse videtur ad Catonem usque majorem; is enim in oratione quadam, quam habuit, et quae invenitur apud Au. Gell. l. VII. cap. 3. quae tandem, ait, lex est tam acerba, quae dicat,.... si quis plus quinginta jugera habere voluerit, tanta poena esto : si quis majorem pundum numerum habere voluerit, tantum damni esto : atqui nos omnes plura habere voluimus jugera, et id nobis impune est. —,,

sensim eludebant Senatus et Patricii, premebaturque misera Plebes.

Tertia lege Plebeiis ad Consulatum aditus tantum patebat. Verum honoribus, quos sibi reservaverant Patricii, mox potita Plebs est. Anno namque 387 AEdilitas Curulis cum Plebeiis communicata est (1). Et frustra conclamitabant Patricii, ubi Consul Plebeius in insidias inciderat, ferocientes et superbientes; irent, crearent Consules ex Plebe, transferrent Auspicia quo nefas esset: Deos immortales vindicasse suum numen, sua Auspicia, deletum cum duce exercitum documento fuisse ne deinde turbato gentium jure Comitia haberentur (2); Anno enim 398 Dictator C. Martius Rutilus primus de Plebe 398-403.
dictus est, qui Magistrum Equitum item de Plebe dixit (3). Quod cum magna indignatione Senatus factum est, qui ira fremebat quod Dictatura etiam in promiscuo esset, et ultionis avidus nisus est, ne quid Dictatori ad bellum decerneretur. Perfidum consilium non ex sententia successit. Dictator enim, gloriam ingentem nactus, fusis caesisque hostibus, sine auctoritate Patrum, Populi jussu triumphavit. (4). Nihilominus impedimenta Senatus struxit ne in posterum Plebeii eveherentur ad honores. Nominabat enim Interreges: et tum soli Patricii, ut plurimum, Consules fiebant (5), cum indi-

(1) TIT. LIV. l. VII. cap. 6.
(2) TIT. LIV. l. VII. cap. 7.
(3) IDEM. l. VII. cap. 17.
(4) IDEM. ibid.
(5) IDEM. l. VII. cap. 17. 20. 21.

gnatione magna Plebis, quam tamen parum curabat Senatus una cum Consulibus (1).

Anno 402 aliam viam iniit Senatus, ut mitior Plebs facta Tribunos, honores sine intercapedine ambientes, quos Patriciis reservatos volebat, minori studio adjuvare desisteret, ac non nisi Patricios honoribus amplificaret. Namque cum dolor Plebi foeneris ingravescentis esset, rationem habuit aeris alieni, quinque Viris creatis, Mensariis vocatis, qui, summa cum laude ac diligentia munere suo perfuncti, miseriam Plebis reipsa levarent (2). Neque ea res falsum habuit Senatum, siquidem Comitiis sequentibus Patricii ad Consulatum provecti fuere (3). Nihilominus non diu haec laetitia Senatus duravit; Etenim Censuram hactenus Magistratum illibatum a Plebeiis obtinuit Vir Plebeius, anno 403, Martius Rutilus (4), et nequicquam Dictatorem postea dicendum curavit, ne *Licinia lex*
403-415. Comitiis Consularibus observaretur (5). Nam, ut ait LIVIUS, Dictatura non potentiorem eum consensum Patrum Consularibus Comitiis fecit, quam Censoriis fuerat, quippe cum Consul a Plebe electus fuerit unus (6). Res tamen rediit adhuc pluries ad Interregnum et Dictaturum, et Plebeii honores consecuti non fuere (7).

(1) TIT. LIV. l. VII. cap. 18.
(2) IDEM. l. VII. cap. 21.
(3) IDEM. l. VII. cap. 22.
(4) IDEM. ibid.
(5) IDEM. ibid.
(6) TIT. LIV. l. VII. cap. 23.
(7) IDEM l. VII. cap. 28.

Iisdem temporibus Senatus Romanus specimen dedit suae prudentiae politicae, quod silentio praeterire non possumus, ne quidquam, quo illius ordinis ingenium patefiat, omittatur. Cum Populus Campanus a Samnitibus lacessitus legatos misisset ad Senatum, qui auxilium praesens peterent, Senatus auxilium negavit causatus foedere junctos esse Samnites cum Populo Romano, revera, quo majori pretio, imo inaestimabili auxilium emeretur; Quod evenit. Nam Legati, quibus dira necessitas lex erat, Senatui responderunt Populum Campanum, Urbem Capuam, Agros, omnia se in ditionem Senatus Populique Romani dedere. — Iis auditis vocibus nulla jam causa Senatum remorata est. Confestim missi sunt Legati, qui Samnitibus denuntiarent Populi Romani Senatusque verbis, ut Capua Urbe Campanoque agro abstinerent (1), bellumque postea indictum (2).

Anno U. C. 415 denuo ad Dictatorem confugit Senatus, ut Consulibus horum temporum, quibus iratus erat, imperio finis fieret. Ast Consul, qui fasces tenebat, Dictatorem dixit suum collegam, Virum Plebeium Publium Philonem, qui qualibet arte Senatus auctoritati limites imponere studuit. Cum enim Legem Horatiam, qua cautum fuerat ut, QUOD PLEBS TRIBUTIM JUSSISSET, POPULUM TENERET, elusam a Patriciis Senatuque videret, negantibus se voce Populi contineri, verba Legis mutavit, ne cavillari in posterum possent Senatores, sanciendo 415-451

(1) Tit. Liv. l. VII. cap. 30. 31.
(2) Idem. l. VII. cap. 32.

ut PLEBISCITA OMNES QUIRITES TENERENT (1). Cum idem Dictator animadverteret Comitia Centuriata prorsus penes Senatum esse, quippe qui Populi suffragium ratum facere deberet (2), Jus istud Senatui eripere voluit, sanciendo ut LEGUM, QUAE COMITIIS CENTURIATIS FERRENTUR, ANTE INITIUM SUFFRAGIUM, PATRES AUCTORES FIERENT (3). Postremo tertiam Legem tulit UT ALTER UTIQUE EX PLEBE CENSOR CREARETUR. « Plus eo anno domi acceptum cladis a Consulibus et Dictatore, quam ex victoria eorum bellicisque rebus foris auctum imperium, Patres credebant, inquit LIVIUS (4).

Quanta prudentia praediti essent in Consiliis Publicis Patres, novo argumento fuit eo tempore Senatus decernendi ratio de Populis Latinis, qui desciverant ac debellati fuerant. Omnibus enim Urbibus non aequabilis data fuit conditio : *quibusdam* Civitas data, in quasdam graviter saevitum, aliis muri disjecti, aliis agri adempti. Tali modo Civitates, quarum diversa sors erat, a se invicem disjungebat Senatus, impediebatque ne novum foedus iniretur. Quod evenisset, si omnibus eadem fuisset necessitudo (5). *Ce fut une adroite politique du Sénat*, ait Levesque, *de ne pas accorder les mêmes conditions*

(1) TIT. LIV. l. VIII. cap. 12.

(2) TIT. LIV. l. I. cap. 17. 22. l. IV. cap. 3. 49. DIONYS. H. l. II. p. 87.... qui mos mutatus est; nostra enim aetate non Senatus de Plebiscitis decernit, sed de Senatusconsulto Populus.

(3) TIT. LIV. l. VIII. cap. 12. Cic. pro Plancio III. in Bruto 14.

(4) IDEM. ibid.

(5) IDEM. l. VIII. cap. 14.

à toutes les villes latines. Il rompait leur union et prevenait le danger de la voir renaître, en donnant à chacune des intérêts, qui n'étaient pas ceux des autres (1).

Novam cladem accepit Ordo Patricius anno 417, cum Plebei Praeturam invaserunt; primusque Praetor de Plebe fuit Q. Philo (2). Ex hoc tempore ad annum 451 nihil memorabile evenit in Republica, quoad res internas; Nam a bellis desitum non est. Omnium Magistratuum aditus Plebeiis patebat, Quaesturae, Consulatus, Censurae, Dictaturae, Praeturae. Hi tamen honores explere non potuerunt ambitionem Tribunorum Plebis, qui relatis victoriis subnixi spes fovebant audaciores. Se a Sacerdotiis majoribus huc usque exclusos fuisse dolebant. Nondum hae voces Plebeium auspicari non posse ex eorum mente exciderant. Labem et maculam suo Ordini inustam delere aggressi sunt.

Anno itaque 451. Q. et Cn. Ogulnius rogationem promulgarunt, ut quum quatuor Augures, quatuor Pontifices ea tempestate essent, placeretque augeri Sacerdotum numerum, quatuor Pontifices, quinque Augures de Plebe omnes adlegerentur (3). Senatores, ira et indignatione intrinsecus aestuantes, curas tamen sub pectore in praesentiarum premebant: simulabant ad Deos id magis, quam ad se pertinere: ipsos visuros, ne sacra sua polluantur (4). Verum adsueti jam 451-467.

(1) LEVESQUE t. I. p. 343.
(2) TIT. LIV. l. VIII. cap. 15.
(3) IDEM. l. X. cap. 6.
(4) IDEM. ibid.

tali genere certaminum vinci minus tetendere, et Consulari Viro fautore Decio Mure eorum rogationi concessum est (1). « Cernebant, ait LIVIUS (2), adversarios, non id quod olim vix speraverant, adfectantes magnos honores, sed omnia jam, in quorum spem dubiam certatum erat, tamen adeptos multiplices Consulatus Censurasque et Triumphos. »

Ex hoc tempore utrique Ordini omnes dignitates fuere communes, neque natalibus, verum magistratibus pariebatur nobilitas. Respublica itaque reipsa Democratia facta fuit, utpote cum singuli cives ad omnia aspirare potuerint, nullique remanserint honores a quibus quis origine sua excluderetur (3). Nihilominus brevi tempore tantis infortuniis conflictati sunt Plebeii propter aes alienum ut tertio in Janiculum secesserit Plebs. Tum Hortensius Dictator in usum revocavit legem Horatiam et Publiliam, quae artibus Senatus oblitteratae jacebant et sanxit ut, QUOD PLEBS JUSSISSET, OMNES QUIRITES TENERET (4). Ex quo vis legum Plebiscitis tunc demum sine controversia Patrum accessit toties victorum praeliisque fessorum. Qua re admodum minuebatur auctoritas Senatus, qui obnoxius fiebat voluntati Plebis, Plebiscitis omnes tenenti-

(1) TIT. LIV. l. X. cap. 8. 9.
(2) IDEM. l. X. cap. 6.
(3) LEVESQUE. t. I. p. 384. 385.
(4) AUL. GELL. Noct. Att. lib. XV. cap. 27. Plebiscita, ait, appellantur, quae Tribunis Plebis ferentibus accepta sunt, quibus rogationibus ante Patricii non tenebantur, donec Q. Hortensius Dictator eam legem tulit, ut eo jure quod Plebes statuisset, omnes Quirites tenerentur. Cf. l. II. ff. § 8. de origine juris.

bus, Senatusque Consultis confirmandis, hacque lege veteres antiquare novasque sancire leges penes Tribunos erat, qui non jam modo legitime impedire, sed etiam agere poterant. Eodem tempore, id est, anno 467. Legem Philonis revocavit lex Moenia (1), qua Comitiorum, Magistratuum eligendorum causa, reprehensores esse, quantum conjectura augurari potuerunt Docti, desinebant Patres.

Ad finem tandem periodi hujus tenebrarum obscuritatisque plenae pervenimus. Etsi negotium nobis facessivit rerum obscuritas, et multitudo, tamen pro virili parte enixi fuimus, omnia in lucem edere, in describenda Senatus historia, quae ad argumentum spectare viderentur. Certamina Tribunorum jam inde a principio ad mutandam formam regiminis aristocraticam memoravimus : Artes varias multiplicesque conatus, quibus pristinam superbiaeque accomodatam formam retinere Senatores atque Patricii tentaverunt, silentio non praetermisimus. Fluctuantem fuisse auctoritatem Senatus, inter certamina, interdum victoris, saepe victi, animi raro fracti, ancipiti marte diu pugnatum fuisse : tandem post longam acremque defensionem tot tantisque conatibus toties iteratis imparem factum, eo magis quod pluries destitutus ab iis fuerit, in quibus spes collocaverat omnes, victoriam submissis armis Plebi cessisse, cujus exitus fuit Patricii Ordinis interitus Praerogativarum, (summorum juxta infimorum Magistratuum, Dignitatum, Sacerdotium Plebeiis

(1) CICERO in Bruto, cap. 14.

patefacto aditu) atque imminutio potentiae illius infinitae Senatus, qua saevitia, tyrannide vitiisque, quibus se contaminarunt, indelebili memoriae suae inusta labe, indignos se se Senatores praebuerant.

Senatus autem, cujus auctoritas cladem ingentem acceperat, eo vertit consilia, ut quantum potentiae intrinsecus amiserat, mutata Reipublicae forma, tantum extrinsecus acquireret. Diu bellatum a Romanis fuerat circa matrem suam, bellaque excursionum potius et praedationum, quam bellorum speciem prae se ferebant. Verum ex quo stipendium, providentia, jussuque Senatus, ex publico accepit Miles, belli facies mutari prorsus incoepit. — Ultimis temporibus periodi illius, cujus historiam exaravimus, Samnites, Populique Latii debellati fuerant. Quo gradu via ad majores patebat victorias. Quare bella longiora et procul a Patria gerenda curavit Senatus. Romanorum armis nihil resistere potuit, sicque, sat modeste et placide Rempublicam capessendo, tantum incrementi suae potentiae dedit, ut Populorum et Gentium omnium et Regum consilium (1), sive, verius, Dominus judexque factus, cunctis metum et terrorum injecerit, nomenque suum formidabile ac venerandum fecerit; Quod periodo sequenti breviter perstringemus.

(1) Cf. CICERO pro Domo, cap. 28.

PERIODUS QUARTA.

A Lege Hortensia ad Tiberium Gracchum.

467—620.

Hac periodo, quae annos 153 *continet, extrinsecus ad altissimum potentiae gradum Senatus adscendit, Regum Populorumque omnium Arbiter et Dominus : intrinsecus vero munia libere exercet, summaque auctoritate res paene cunctas moderatur, non modo non intercedentibus, sed etiam plerumque colludentibus Tribunis. Moderata satis erga Plebem, ante deletam Carthaginem, ejus videtur agendi ratio : postea autem acrius, quam unquam urgere coepit.*

Nunc incidimus in ea tempora, quibus, Africa, Asia, Europa bellis victoriisque peragratis, Caput Corporis ex omnibus Orbis Terrarum Populis compositi fiebat Roma, summo ingenio, inaudita calliditate, mirabilique prudentia politica Senatus, cujus potentia extrinsecus maximum, supremumque fastigium adepta est. Omnium namque Populorum Judex et Dominus de poenis praemiisve cujusque decernebat : eoque processum est, ut Reges et Populi Senatus quasi Servi essent. In cujus rei fidem nonnulla subjicere exempla operae pretium est.

Quum Antiochus Epiphanes, Rex Syriae, bellum gerens in AEgypto, Urbem insulamque Cyprum occupare tentaret, a

Senatu missi advenere Legati, quorum unus Regi tabellas porrigit, eumque legere jubet : quibus perlectis, cum se consideraturum, quid sibi esset agendum, respondisset : tum Legatus virga, quam manu tenebat, circumscripsit Regem, ac, priusquam hoc circulo excedas, inquit, redde responsum, quod Senatui referam. Obstupefactus Rex tam violento imperio, *faciam, inquit quod Senatus jubet* (1). Missisque ab Antiocho legatis, qui nunciarent ipsum paruisse : responsum superbe est Senatu : « *Antiochum recte atque Ordine fecisse, quod Legatis paruisset, gratumque id esse Senatui* (2). »

Senatus itaque tantum exteris Nationibus incusserat terrorem, ut plerique Reges ejus gratiam, quidam vel deformi obsequio aucuparentur, Regiae Majestatis obliti. Memoriae enim proditum est, Prusiam Bithyniae Regem, Romae, cum veniret in Curiam, submisisse se et osculo limen Curiae contigisse : et Deos servatores suos Senatum appellasse, aliamque orationem non tam honorificam audientibus, quam sibi deformem habuisse (3). Flagrantibus tot tantisque bellis, Senatus tamen summa cum libertate res internas curavit, ac poene cuncta auctoritate sua moderatus est, non modo non intercedentibus, sed plerumque etiam colludentibus Tribu-

(1) TIT. LIV. l. XLV. cap. 2. Cicer. Philipp. VIII. Proh Dii immortales! ubi est ille mos virtusque Majorum? C. Popilius apud Majores nostros cum ad Antiochum Regem legatus missus esset et verbis Senatus denuntiasset, ut ab Alexandria discederet quam obsidebat; Cum tempus ille differret, virgula stantem circumscripsit, dixitque se non renuntiaturum Senatui, nisi prius sibi respondisset quid facturus esset, quam ex illa circumscriptione excederet. Cf. etiam Justinus lib. 34. Vell. Paterc. I. 10.

(2) TIT. LIV. lib. XLV. cap. 13.

(3) IDEM. ibid. c. 44. Polyb. Reliquiae lib. XXX. cap. 16.

nis, qui, satis habentes, quod sibi Plebeisque viam ad honores munivissent, diu multumque torpuerunt. Quo factum est, ut Senatus suae potentiae ingens incrementum addere plurimaque sibi jura arrogare impune potuerit, licet satis moderate erga Plebem, ante deletam Carthaginem, se gessisse videatur. *Les Tribuns du Peuple*, ait Beaufort, *ces Magistrats si redoutables, lorsqu'ils voulaient faire usage du pouvoir de leur charge, dans toute son étendue, contens des avantages, qu'ils avaient remportés sur les Patriciens, en leur enlevant la plupart de leurs prérogatives, et des brèches, qu'ils avaient faites à l'autorité du Sénat, ne formèrent aucune nouvelle entreprise pendant près de deux siècles. Pendant que la République fut occupée au déhors par des guerres longues et dangereuses contre les Gaulois, les Carthaginois : pendant qu'elle soumettait de vastes provinces à sa domination, elle jouit d'un calme intérieur, qui facilita ses conquêtes : le Peuple et les Tribuns s'endormirent en quelque sorte, et le Sénat, toujours attentif aux occasions de recouvrer son ancienne autorité, l'étendit beaucoup à la faveur de ces guerres et assujettit en quelque sorte le Peuple.... il tâcha de lui faire oublier sa Souveraineté, ou du moins l'accoutuma à n'en faire que l'usage que le Sénat lui permettait d'en faire* (1).

Nunc autem, priusquam mea dilabatur ad Gracchos oratio, res locusque adhortari videtur, ut praecipuas artes, qui-

(1) *République Romaine*. p. 235. sqq.

bus Senatus Romanus Urbis ditioni Orbem terrarum subjecerit, strictim attingam; Nam ut immortalis scribit MONTESQUIEU : « *dans le cours de tant de prospérites, où l'on se néglige pour l'ordinaire, le Sénat agissait toujours avec la même profondeur : et pendant que les armées consternaient tout, il tenait à terre ceux qu'il trouvait abbattus.* (1).

Tum praeterea, quae Munia Senatus, tempore reipublicae liberae, exercuerit, paucis etiam perstringemus.

ARTES.

I.

Senatus hosti, qui fines Imperii Romani invaserat, pacem non concedebat, nisi ex iis cum exercitu egrederetur.

Quum Pyrrhus Rex, illato Romanis bello, intellecta romana virtute, armis desperasset, missisque legatis annixus esset, ut in amicitiam Romanorum reciperetur : *C. Cineas hoc responsum tulit a Senatu : ut si statim Rex ex Italia egrederetur, liberum ipsi foret agere cum Romanis* (2), *et in eorum amicitiam recipi : donec vero armatus in Italia maneret, Romanos hostes haberet;* Reversus ad Castra Cineas se Senatum Regum vidisse retulit (3).

(1) *Grandeur et Décadence des Romains.* chap. 6.
(2) FLORUS, L. I. cap. 18.
(3) Plutarch. in Pyrrho. Florus lib. I. cap. 18. Eutropius lib. II. cap. 13. Cf. etiam Dio Cass. frag. vol. I. p. 65.

II.

Senatui lex erat imperare, pacis conditiones praescribere, eamque nunquam, vel adversa fortuna utentibus Romanis, petere; Ita magnanimitate sua desperationi, Civitatum perniciei, occurrebat.

Sic post clades, stragemque exercituum Romanorum apud Trebiam, Trasimenum, Cannas, Senatus pacem non petiit, nec captos redimere voluit (1), et fuso fugatoque Varroni obviam ierunt Senatores congratulatum, quod de Republica non desperasset (2). *Ce n'est pas ordinairement la perte réelle que l'on fait dans une bataille*, inquit MONTESQUIEU (3), *c'est-à-dire, celle de quelques milliers d'hommes, qui est funeste à l'Etat, mais la perte imaginaire et le découragement, qui le prive des forces que la fortune lui avait laissées.*

III.

Senatus eas pacis conditiones imponebat, quibus accipientis excidium pararetur.

Hujusmodi fuere pacis conditiones, finito bello punico secundo: « Naves longas praeter decem triremes traderent, ut eadem lex de elephantis esset, ut ne in Africa quidem ulli, nisi ex consensu Populi Romani, bellum inferrent, de-

(1) TIT. LIV. lib. XXII. cap. 58. 60. 61.
(2) PLUTARCH. in Fabio.
(3) *G. et D. des Romains. chap.* 4.

cem millia talentum argenti intra annos quinquaginta solverent, obsides darent (1) : neque delectus facerent, neque stipendio conductis Militibus exteris uterentur (2). »

His conditionibus pax data fuit Philippo, « ut praesidia ex Urbibus Graecis deduceret, captivos transfugasque redderet Romanis, naves omnes tectas traderet, ne plus quingentis armatorum haberet, neve elephantum unum, bellum extra Macedoniae fines ne, injussu Senatus, gereret, mille talentum daret Populo Romano (3). »

Conditionibus pacis Antiocho praescriptis ea inerat, « ut pro impensis in bellum factis quindecim millia talentum Euboicorum daret (4). » *Après avoir détruit les armées d'un prince*, ait MONTESQUIEU (5), *ils ruinaient ses finances par des taxes excessives, ou un tribut, sous prétexte de lui faire payer les frais de la guerre : nouveau genre de tyrannie, qui le forçait d'opprimer ses sujets et de perdre leur amour.* »

(1) POLYB. Reliquiae lib. XV. cap. 18. vol. 3.
(2) Dio cass. fragm. vol. 1. p. 65. edit. Christian. Herald. Hamburgi 1752.
(3) TIT. LIV. lib. XXXIII. cap. 30.
(4) POLYB. Reliquiae lib. XX. cap. 13. 14. TIT. LIV. lib. XXXVII. cap. 35.
(5) *G. et D. des Romains. chap.* 6.

IV.

Inter conditiones pacis, quas cuilibet Senatus magnae Genti statuebat, haec semper erat, « ne bellum inferret injussu Senatus Populive Romani (1). *Quo fiebat ut victus Populus in posterum potestate militari privaretur* (2) : *« neu conductitiis copiis uteretur » : ita praecipuis destituebatur viribus* (3).

Haec pacis conditio Poenis, finito bello punico secundo, praescripta est, et Antiocho Regi, ut vidimus. Nominatim enim cautum fuit, non modo, « ne militem, neu quem alium ex Regno Eumenis, Socii Romanorum, reciperet, sed etiam ne Milites mercede conductos habere ex iis Gentibus, quae sub ditione Populi Romani essent, seu exsules recipere Antiocho liceret (4). »

V.

Senatus debellatis Populis utebatur ad alios debellandos : victisque, eos amicos ac inimicos habere, quos Populus Romanus haberet, lex erat. Nam, ut perspexit Montesquieu, *cum pace foedus conjungebatur. Hinc illa diversi generis Sociorum multitudo.*

Conditionum pacis cum Aetolis factae haecce insignis est :

(1) Videantur conditiones pacis supra memoratae belli punici secundi, bellique cum Philippo gesti. Cf. etiam Dio cass. fragment. vol. 1. p. 62.

(2) Montesquieu, *G. et D. des Romains. chap.* 6.

(3) Cf. fragm. Dio Cass. vol. 1. p. 65.

(4) Polyb. Reliquiae lib. XXII. cap. 26.

« Ne quem exercitum, qui adversus Romanos aut Socios Amicosque eorum ducetur, per Fines suos et Urbes transire sinunto, neve ulla ope publico consilio juvanto, Hostes eosdem et Amicos habento, quos Populus Romanus, Si adversus quos Romani bellum gerunt, contra eosdem et Populus Aetolorum bellum gerito (1). »

VI.

Bellum procul a Patria nunquam gerendum curabat, nisi prius Socio prope hostem armis petendum comparato.

Sic Massinissae auxilio et Syphacis contra Poenos, ut neminem fugit, usus est.

VII.

Senatus Sociis ad hostes opprimendos utebatur : confecto autem bello, Socios, si nimii viderentur, deprimendos curabat.

Philippum Aetolorum ope devicerant Romani : victoque Philippo, Aetolis, quod formidabiles contra Philippum facti essent, exitium parabatur (2).

Senatus Philippi opera contra Antiochum usus fuerat (3);

(1) POLYB. Reliq. lib. XXII. cap. 14. 15. TIT. LIV. lib. XXXVIII. cap. 8. 9.
(2) TIT. LIV. lib. XXXIII. c. 13.
(3) IDEM. lib. XXXVI. cap. 8. lib. XXXVII. cap. 3.

Debilitata Regis Syriae potentia, debilitare etiam aggressus est Philippi potentiam, collatorum officiorum factus immemor. Quum enim contra eum questi essent Eumenes Pergamae Rex, Thessali, alii : querelis aures patefecit Senatus, jussitque ut praesidia deduceret ex locis, quae vindicabat Eumenes. (1).

VIII.

Senatui principium fixum erat et immutabile dividere et dissociare : qua ratione facile dominari poterat.

Eo consilio Gentes omnes, quae sub ditione Philippi fuerant foedere junctae, immunes suisque legibus vivere voluit. « Senatus Romanus et Titus Quinctius Imperator, Philippo Rege, Macedonibusque devictis, liberos, immunes, suis legibus esse jubet Corinthios, Phocenses, Locrensesque omnes et insulam Euboeam et Magnetas, Thessalos; Perrhaebos, Achaeos, Phthiotas (2). »

Quo illud accidebat, ut Gentes istae sic divisae fierent imbecillae atque Romanorum libitis obnoxiae. Eadem prorsus de causa, « unius imperio in Illyria et Macedonia abrogato, hos populos in septem provincias distribui placuit, ne conjuncti viribus pollerent (3). » *Ainsi les Romains*, inquit Le-

(1) Tit. Liv. lib. XXXIX. cap. 27. 28. 29. 33. 34.
(2) Tit. Liv. lib. XXXIII. cap. 32.
(3) Idem. lib. XLV. cap. 18.

VESQUE (1), *ne présentaient à la Macédoine et à l'Illyrie l'appat trompeur de la démocratie, que pour trouver un jour moins d'obstacles à les mettre sous le joug.*

IX.

Senatus nihil quidquam pensi sanctique habebat. Quidlibet simulare, dissimulare, perfidia, proditione uti non dubitabat, si e re sua visum esset.

Poeni, accepto nuncio Romanos ultores advenire, quod pugnassent cum Massinissa Romanorum Amico et Socio, seu potius saevitiae in miseros Poenos instrumento, Legatos miserunt ad Senatum sui purgandi causa : quibus Senatus versute respondit : « ut si trecentos nobilissimos pueros obsides tradidissent et alia imperata facerent, fore Carthaginem liberam, et usuram suis legibus : » quod quidem Senatusconsulto cautum est (2). Verum, o nefandam horrendamque perfidiam! Eodem tempore, Senatus Consules clam monebat, ne a Mandatis discederent quae in Urbe acceperant (3). (Iis nempe mandatum fuerat in Urbe, ne prius bello finem imponerent, quam diruta esset Carthago) (4). Parere properant Poeni, obsides primo quoque tempore Romam missi : postea congre-

(1) Tom. II. p. 258.
(2) APPIAN. de bell. punicis lib. VIII. cap. 76. edit. Schweigh.
(3) IDEM. ibidem.
(4) IDEM. ibidem. cap. 75.

diuntur Poenorum Romanorumque legati : tum perfide unus ex legatis Romanis jussu Senatus dixit eos in amicitiam Romanorum receptos esse : verum, si pacem ex animo cuperent, Poenis non armis opus esse : traderent itaque sua arma (1). Traditis armis, Censorinus Legatus aliā jussa Senatus recitavit Poenos adhortando, ut fortiter ea perferrent (2), « ut Poeni cederent Carthagine atque alio transferrent suas sedes, Populum Senatumque Romanum statuisse et decrevisse, ut solo aequaretur Carthago : » postulantibusque legatis, ut sibi Romam Senatum adire liceret, nefarie respondit istius Gentis legatus : « quae Senatus jussit, quid saepius dicere opus est? jussit enim, ac ne nobis quidem differre, quod est mandatum, integrum est : Senatus jussa peragenda sunt » (3). *On cherche les causes de ce qu'on appelle la grandeur des Romains, il en est une*, ait LEVESQUE (4), *qu'on se dissimule ; cette cause, c'est qu'ils n'avaient hors de chez eux aucun sentiment d'honneur et d'humanité.*

Quum Viriathus, Vir fortis, generosus, clemens, magnanimus in loca praerupta, faucesque exercitum Fabii Serviliani compulisset, in manibus habebat omnes Romanos obtruncare, at vitam iis relinquere foedusque cum ipsis pangere maluit. Foedus initum et a Populo Senatuque Romano comprobatum fuit (5). SACROSANCTAM EAM PACEM HABUISSENT OM-

(1) APPIAN. de bellis punicis lib. VIII. cap. 80.
(2) IDEM. ibidem. lib. VIII. cap. 81.
(3) IDEM. ibidem. cap. 90.
(4) Tom. II. p. 279.
(5) APPIAN. de Rebus Hispaniis lib. VI cap. 69.

NES VEL PIRATAE; Nefarius vero et exsecrandus ille Senatus haud ita multo post, Caepioni, fratri Consulis, cujus vita incolumis mansuetudine ac clementia Viriathi manserat, clam permisit generosum hunc Virum vellicare: moxque idem Senatus, rupto foedere, ei bellum palam decrevit (1), et quo citius bellum componeret, Viriathum interficiendum curavit (2). Multo plura perfidiae Senatus romani exempla, inprimisque ex bello contra Numantiam deprompta referre possemus, sed iis, quae retulimus, sat patefecisse nobis videmur coetus illius ingenium, qui Plebis pernicies, Sociorum pestis et exitium, omniumque Populorum felicitatis eversor fuit.

Tum praeterea reliquum est, ut, quae, tempore Reipublicae, munia obierit Senatus, ea summatim attingamus.

I.

Regum exterarumque Nationum Legati in Curia audiebantur iisque a Senatu respondebatur (3). *Legatos eligere, mit-*

(1) APPIANUS lib. VI. cap. 70.

(2) IDEM. lib. VI. cap. 74.

(3) POLYB. Reliq. liv. VI. cap. 13. Ὁμοίως δὲ καὶ τῶν παραγινομένων εἰς Ῥώμην πρεσβειῶν ὡς δέον ἐστὶν ἑκάστοις χρῆσθαι, καὶ ὡς δέον ἀποκριθῆναι, πάντα ταῦτα χειρίζεται διὰ τῆς συγκλήτου. Sallust. bell. jugurth. c. 13. 14. « igitur ubi legati satis confidunt, die constituto Senatus utrisque datur. » Tit. Liv. lib. XXX. cap. 17. « Postero igitur die legatos Massinissae in Senatum introduxit. » c. 22. Q. Fulvius Gillo, legatus Scipionis, Carthaginienses Romam adduxit; quibus vetitis ingredi urbem, hospitium in villa publica, Senatus ad Aedem Bellonae datus est. » c. 40. « Legati ex Africa Romani simul Carthaginiensesque quum venissent Romam, Senatus ad aedem Bellonae habitus est. »

lib. XXXI. c. 2. « Ab Attalo Rege et Rhodiis legati venerunt nunciantes Asiae quoque civitates sollicitari. His legationibus responsum est curae asianam rem Senatui fore. » c. 9. « Legati a Rege Ptolemaeo venerunt qui nunciarunt Athenienses adversus Philippum petiisse ab Rege auxilium.... gratiae Regi a Senatu actae, responsum est. » lib. XXXII. cap. 36. Philippus postremo petere tempus, quo legatos Romam ad Senatum mittere posset. » lib. XXXIII. cap. 23. « Legati et a Tito Quinctio et ab Rege venerunt, Macedones deducti extra Urbem in Villam publicam, ibique iis locus et lautia praebita: et ad aedem Bellonae Senatus est habitus. » lib. XXXIV. c. 57. « Has legationes a C. Scribonio Praetore Urbano in Senatum introductae sunt, benigneque omnibus responsum. » lib. XL. c. 20. Legationes deinde in Senatum introduxerunt, Regum primas, Eumenis et Ariarathis Cappadocis et Pharnacis pontici; nec ultra quidquam eis responsum est, quam missuros, qui de controversiis cognoscerent. Lacedaemoniorum deinde exsulum et Achaeorum legati introducti sunt, et spes data exsulibus est, scripturum Senatum Achaeis ut restituerentur etc. » l. XLII. c. 36. » Per idem tempus legati ab Rege Perseo venerunt. Eos in oppidum intromitti non placuit : quum jam bellum Regi eorum et Macedonibus et Senatus decresset et Populus jussisset, in aedem Bellonae in Senatum introducti sunt. » (Ex hoc aliisque Livianis locis, vide supra lib. XXX. cap. 22. 40. legatos Nationum, quibuscum bellum erat, Senatum extra Urbem semper datum fuisse videmus.) Porro lib. XLII. c. 48. » His praeparatis quanquam ad bellum consilia erant destinata, Senatum tamen praeberi legatis placuit. » lib. XLV. c. 13. Ptolemaei legati, communi nomine Regis et Cleopatrae, gratias egerunt. Plus eos Senatui Populoque Romano, quam parentibus suis, plus quam Diis immortalibus, debere : per quos obsidione miserrima liberati essent, Regnum patrium prope amissum recepissent, responsum a Senatu est, Antiochum recte atque ordine fecisse, quod Legatis paruisset, gratumque id esse Senatui, Populoque Romano etc. » vid. etiam XLV. c. 20. Chapman. p. 403. 404. 405. 406. 407. 408. 409. 410. Quanam humanitate excipiendos dimittendosve Viros illustres curaret Senatus, prodit Valerius Maximus lib. V. c. 1. ex. 1. « Confecto Macedonico bello, Musicanes Massanisae filius, cum equitibus, quos in praesidium Romanorum adduxerat, ab Imperatore Paullo ad patrem remissus, tempestate classe dispersa, Brundusium aeger delatus est : quod ubi Senatus cognovit, continuo illo Quaestorem ire jussit, cujus cura, et Hospitium adolescenti expediretur, et omnia quae ad valetudinem opus essent, praeberentur : impensaeque liberaliter cum ipsi, tum toti comitatui praestarentur. Naves etiam ut prospicerentur, quibus se bene ac tuto, cum suis in Africam trajiceret; Equitibus singulas libras argenti, et quingenos sestertios dari imperavit. Quae tam prompta et exquisita Patrum Conscriptorum humanitas efficere potuit, ut etiam si expirasset adolescens, aequiore animo desiderium ejus pater toleraret. Idem Senatus, cum ad gratulandum sibi Prusiam Bithyniae Regem Perse devicto venire au-

tere, mandatis instruere penes Senatum erat (1).

disset, obviam illi P. Cornelium Scipionem Quaestorem Capuam misit : censuitque ut domus ei Romae quam optima conduceretur, et copiae non solum ipsi, sed etiam comitibus ejus publice praeberentur. In eoque excipiendo tota Urbs unius humani amici vultum habuit. Ita qui amantissimus nostri venerat, duplicata erga nos benevolentia in Regnum suum reversus est. Nec AEgyptos quidem Romanae humanitatis expers fuit. Rex enim Ptolomaeus a minore fratre regno spoliatus, petendi auxilii gratia cum paucis admodum servis, squalore obsitus, Romam venerat, ac se in hospitium Alexandrini pictoris contulerat. Id postquam Senatui relatum est, accersito juvene, quam potuit accurata excusatione usus est, quod nec Quaestorem illi more Majorum obviam misisset, nec publico eum hospitio excepisset : eaque non sua negligentia, sed ipsius subito et clandestino adventu facta dixit : et illum e Curia protinus ad publicos penates deduxit, hortatusque est, ut depositis sordibus adeundi ipsius diem peteret. Quin etiam curae habuit, uti munera ei quotidie per Quaestorem darentur. His gradibus officiorum jacentem ad Regium fastigium erexit : effecitque ut plus spei in auxilio Populi Romani quam metus in sua fortuna reponeret. Cf. etiam T. Liv. lib. XLV. c. 14.

(1) POLYB. Reliq. lib. VI. c. 13. *Καὶ μὴν εἰ τῶν ἐκτὸς Ἰταλίας πρός τινας ἐξαποστέλλειν δέοι πρεσβείαν τινα, ἢ διαλύσουσάν τινας, ἢ παρακαλέσουσαν, ἢ καὶ νὴ Δία ἐπιτάξουσαν, ἢ παραληψομένην, ἢ πολεμεῖν ἐπαγγέλλουσαν, αὕτη ποιεῖται τὴν πρόνοιαν.* Sallust. bell. jugurth. c. 16. « Vicit tamen in Senatu pars illa quae vero pretium aut gratiam anteferebat. Decretum fit uti decem legati Regnum, quod Micipsa obtinuerat inter Jugurtham et Adherbalem dividerent. » Cicer. in Vatin. c. 15. « Ne hoc quidem Senatui relinquebat, quod nemo unquam ademit; ut legati ex ejus ordinis auctoritate legarentur! Adeone tibi sordidum consilium publicum visum est! adeo afflictus Senatus, adeo misera et prostrata Respublica ut non nuncios pacis ac belli, non curatores, non interpretes, non bellici consilii auctores, non ministros muneris provincialis Senatus more Majorum deligere posset » T. Liv. l. XXXIII. c. 23. « Decem Legati more Majorum, quorum ex consilio T. Quinctius Imperator leges pacis Philippo daret, decreti sunt. c. 31. « Dubitabatur enim de Corintho et de Chalcide, et Demetriade, quia in Senatusconsulto, quo missi decem legati ab Urbe erant, ceterae Graeciae atque Asiae haud dubie liberabantur : » c. 39. « Sub hoc tempus L. Cornelius missus a Senatu ad dirimenda inter Antiochum Ptolemaeumque Reges certamina, Selymbriae substitit : » l. XXXIX. c. 24. « Senatus, ne quid absente Rege statueret, legatos ad eas controversias disceptandas misit. » c. 33. « Aliam deinde legationem novam Patres in Macedoniam et in Graeciam decreverunt ad visendum redditaene civitates Thessalis et Perrhaebis essent. Iisdem mandatum, ut ab Aeno et

II.

Rerum divinarum curam gerebat Senatus (1), *ut nec superstitio nova adscisci, nec ara aedesve exstrui, nec libri sibyllini adiri potuerint nisi ex Senatusconsulto* (2); *inter-*

Maronea praesidia deducerentur, maritimaque omnis Thraciae ora a Philippo et Macedonibus liberaretur. Peloponnesum quoque adire jussi, unde prior legatio discesserat, incertiore statu rerum; quam si non venissent. » l. XL. c. 2. « Asiae Regibus ac Rhodiis responsum est, legatos ad eas res visendas, missurum Senatum. » l. XLII. c. 5. « Quum Thessalos in armis esse nunciatum est, App. Claudium legatum ad eas res adspiciendas componendasque Senatus misit. »

(1) C. Chapman, *Essai sur le Sénat Romain*, *p.* 361. 362. 363. 364. 365. 366.

(2) T. Liv. l. IV. c. 30. « Nec corpora modo affecta tabo, sed animos quoque multiplex religio et pleraque externa invasit; novos ritus sacrificandi vaticinando inferentibus in domos, quibus quaestui sunt capti superstitione animi : donec publicus jam pudor ad Primores civitatis pervenit, cernentes in omnibus vicis sacellisque peregrina atque insolita piacula pacis Deum exposcendae. Datum inde negotium Aedilibus, ut animadverterent, ne qui, nisi Romani Dii neu quo alio more quam Patrio colerentur. » Valerius Max. l. I. c. 3. ex. 3. » Aemilius Paullus Consul, cum Senatus Isidis et Serapidis fana diruenda censuisset, eaque nemo opificum attingere auderet : posita praetexta securim arripuit, templique ejus foribus inflixit. » Idem l. I. c. 3. ex. 1. » Bacchanalium sacrorum mos novus institutus, cum ad perniciosam vesaniam iretur, sublatus est. » Quaestionem de Bacchanalibus Sacrisque nocturnis, inquit Liv. l. XXXIX. c. 14, extra ordinem Consulibus mandant : indicibus.... ne fraudi ea res sit, curare, et alios indices praemiis invitare jubent (Patres). Sacerdotes eorum Sacrorum, seu viri seu feminae essent, non Romae modo, sed per omnia fora et conciliabula conquiri, ut in Consulum potestate essent. Edici praeterea in Urbe Roma, et per totam Italiam edicta mitti, NE QUIS, QUI BACCHIS INITIATUS ESSET, COÏSSE AUT CONVENISSE CAUSSA SACRORUM VELIT, NEU QUID TALIS REI DIVINAE FECISSE. Ante omnia, ut quaestio de his habeatur, qui coïerint, conjuraverintve, quo stuprum flagitiumve inferretur. Haec Senatus decrevit. » T. Liv. l. V. c. 13. « Libri Sibyllini ex Senatusconsulto aditi sunt. » l. VII. c. 27. « Pestilentia civitatem adorta coegit Senatum imperare Decemviris ut libros Sibyllinos inspicerent. » l. XXII. c. 9. « Pervicit, ut, quod non ferme decernitur, nisi quum tetra prodigia nunciata sunt, Decemviri libros Sybillinos

dum tamen res quasdam ad religionem spectantes ad Populum rejiciebat Senatus, aut Senatusconsultum Populiscito confirmandum curabat (1). *In potestate Senatus erat, seu in honorem Imperatorum ob victoriam relatam, patriamve servatam, seu ad avertendum periculum, supplicia decernere* (2), *ut et preces ante bellum fundi, ludos-*

adire juberentur. » l. XXXVI. c. 37. « Eorum prodigiorum caussa libros Sibyllinos ex Senatusconsulto Decemviri quum adissent, renunciarunt.... » l. XL. c. 19. « His prodigiis, cladibusque auxii Patres decreverunt, ut..... Decemviri libros adirent. » Cf. etiam Dio Cass. l. XXXIX. c. 15. Cicero de divin. l. I. c. 1. 3. « Quoties Senatus Decemviros ad li-ire jussit. »

(1) T. Liv. l. IX. c. 46. « Ex auctoritate Senatus latum ad Populum est, ne quis templum aramve injussu Senatus aut Tribunorum Plebis partis majoris dedicaret etc. » l. II. c. 27. « Certamen Consulibus inciderat, uter dedicaret Mercurii Aedem, Senatus a se rem ad Populum rejecit. »

(2) Sallust. bell. Jugurth. c. LV. « Senatus ob ea feliciter acta, Diis immortalibus supplicia decernere » Cicero Catil. III. c. 6. « Atque etiam supplicatio Diis Immortalibus, pro singulari eorum merito, meo nomine decreta est, Quirites, quod mihi primum post hanc Urbem conditam togato contigit : et his decreta verbis est, quod Urbem incendiis, caede cives, Italiam bello liberassem, quae supplicatio si cum caeteris conferatur, Quirites, hoc intersit, quod ceterae bene gesta, haec una, conservata Republica, constituta est. » Catil. IV. c. 3. Vos multis jam judiciis judicastis : primum quod mihi gratias egistis singularibus verbis : et mea virtute atque diligentia, perditorum hominum patefactam esse conjurationem decrevistis; deinde quod P. Lentulum, ut se abdicaret Praetura coegistis, tum quod eum et ceteros, de quibus judicastis, in custodiam dandos censuistis, maximeque, quod meo nomine supplicationem decrevistis. Qui honos togato habitus ante me est nemini. » Cf. etiam ad familiares, XV. epist. 4. 5. T. Liv. V. c. 23. « Senatus in quatriduum supplicationes decernit. » l. XXXI. c. 8. « Supplicatio inde a Consulibus in triduum ex Senatusconsulto indicta est, obsecratique circa omnia pulvinaria Dii, ut quod bellum cum Philippo Populus jussisset, id bene ac feliciter eveniret. » Cf. l. XXXVI. c. 1. l. XL. c. 19. « Iisdem auctoribus et Senatus censuit, et Consules edixerunt, ut per totam Italiam triduum supplicatio et feriae essent. » l. XLV. c. 2. « Postero die Senatus in Curia habitus, supplicationesque decretae. »

que in honorem Divorum fieri jubere (1).

III.

Senatus Triumphi Ovationisve, interdum etiam Statuae Equestris honores concedere solebat (2). *Non deesse tamen exem-*

(1) T. Liv. l. II. c. 37. « Ludi quam amplissimi ut fierent, Senatus decrevit. » l. XXII. c. 9. « (Decemviri) inspectis fatalibus libris retulerunt Patribus, quod ejus belli caussa Votum Marti fieret, id non rite factum, de integro atque amplius faciendum esse; et Jovi Ludos Magnos, et Aedes Veneri Erycinae ac Menti vovendas esse, et Supplicationem Lectisterniumque habendum, et Ver Sacrum vovendum, si bellatum prospere esset, Resque publica in eodem, quo ante bellum fuisset, statu permansisset. Senatus, quoniam Fabium belli cura occupatura esset, M. Aemilium Praetorem, ex Collegii Pontificum sententia, omnia ea ut mature fiant, curare jubet. » l. XXVII. c. 33. Senatus, quo die primum est habitus, Ludos Magnos facere Dictatorem jussit. » T. Liv. l. XXXVI. c. 1. « Publium Cornelium Cn. filium Scipionem et M. Acilium Glabrionem Consules, inito Magistratu, Patres, priusquam de provinciis agerent, res divinas facere majoribus Hostiis jusserunt in omnibus fanis, in quibus Lectisternium majorem partem anni fieri solet; precarique, quod Senatus de novo bello in animo haberet, ut ea res Senatui, Populoque Romano bene ac feliciter eveniret. »

(1) Cf. Chapman. p. 391-403. Polyb. Reliquiae l. VI. c. 15. Καὶ μὴν τὰς ἐπιτυχίας τῶν ἡγουμένων ἐκτραγῳδῆσαι καὶ συναυξῆσαι, καὶ πόλιν ἀμαυρῶσαι καὶ ταπεινῶσαι, τὸ συνέδριον ἔχει τὴν δύναμιν. τοὺς γὰρ προσαγορευομένους παρ' αὐτοῖς θριάμβους, δι' ὧν ὑπὸ τὴν ὄψιν ἄγεται τοῖς πολίταις ὑπὸ τῶν στρατηγῶν ἡ τῶν κατειργασμένων πραγμάτων ἐνάργεια, τούτους οὐ δύνανται χειρίζειν, ὡς πρέπει, ποτὲ δὲ τὸ παράπαν οὐδὲ συντελεῖν, ἐὰν μὴ τὸ συνέδριον συγκατάθηται, καὶ δῷ τὴν εἰς ταῦτα δαπάνην. Tit. Liv. lib. VIII. c. 26. « Publilio Triumphus decretus. » l. XXVIII. c. 9. « In Senatu quum more omnium Imperatorum, expositis rebus a se gestis postulassent, ut pro Republica fortiter feliciterque administrata, et Diis Immortalibus haberetur honos, et ipsis triumphantibus Urbem inire liceret; se vero ea, quae postularent, decernere, Patres, merito Deorum primum, dein, secundum Deos, Consulum, responderunt; et Supplicatione amborum nomine et Triumpho utrique decreto..... ita convenit. » l. XLV. cap. 35. « Tribus iis omnibus decretus est a Senatu Triumphus. Valer. Max. l. II. cap. 8. ex. 2. C. Lutatius Consul et Q. Valerius Praetor circa Siciliam insignem Poenorum classem deleverant, quo nomine Lutatio Consuli

pla vidimus, quibus Populi voluntate, injussu Patrum triumphatum est. Caeterum sine Populi jussu Triumphum concedere Senatui licebat, quamvis Groninganus Victor id negaverit (1).

Triumphum Senatus decrevit. » l. II. c. 8. ex. 3. « Quid facias Cn. Fulvio Flacco, qui tam expetendum aliis Triumphi honorem, decretum sibi a Senatu ob res bene gestas sprevit, ac repudiavit? » l. II. c. 8. ex. 7. « Lauream nec Senatus cuiquam dedit, nec quisquam sibi dari desideravit, Civitatis parte lacrymante. » T. Liv. l. VIII. c. 13. « Additus Triumpho honos ut Statuae Equestres eis, rara illa aetate res, in foro ponerentur. » l. XXXI. c. 49. « C. Aurelius consul.... questus est.... ita Triumphum decresse Senatum, ut nullius, nisi ejus, qui triumphaturus esset, haud eorum, qui bello interfuissent, verba audiret. »

(1) Imperatoribus Triumphum ducturis cum Imperio in Urbem ingredi more Majorum nefas erat. Quare rogationem ad Plebem ferendam curabat plerumque Senatus, ut Imperatori cum Imperio Urbem inire liceret. » Cf. lib. XXVI. c. 21. « Tribuni Plebis ex auctoritate Senatus ad Populum tulerunt, ut M. Marcello, quo die in Urbem Ovans iniret, Imperium esset. » l. XLV. c. 35. « Tribus iis omnibus decretus est a Senatu Triumphus mandatumque Q. Cassio Praetori, cum Tribuni Plebis ex auctoritate Patrum agerent, rogationem ad Plebem ferrent, ut iis, quo die Urbem triumphantes inveherentur, Imperium esset. » cf. etiam l. IV. c. 20, quo mentio fit Populi jussus, sine dubio eadem de caussa. « Dictator Senatusconsulto jussuque Populi triumphans in Urbem rediit. Quae autem commemorat Victor Groninganus, ex quo Horatius et Valerius injussu Patrum triumpharunt, Senatum non per se, sed accedente Populi jussu Triumphum Ovationemve concessisse, a vero recedere videntur: innititur Livianis locis. l. IV. c. 20 et l. XXVI. c. 21. Hos vero locos non intellexisse eum palam est. Confugit etiam ad Liv. l. XXXI. c. 20. (L. Cornelius Lentulus) Proconsul, quum in Senatu res a se per multos annos fortiter feliciterque gestas exposuisset, postulassetque, ut triumphanti sibi invehi liceret in Urbem, res Triumpho dignas esse censebat Senatus, sed exemplum a Majoribus non accepisse, ut, qui neque Dictator, neque Consul, neque Praetor res gessisset, triumpharet; pro Consule illum Hispaniam provinciam, non Consulem aut Praetorem obtinuisse. Decurrebatur tamen eo, ut Ovans Urbem iniret, intercedente T. Sempronio Longo Tribuno Plebis, qui nihilo magis id more Majorum, aut ullo exemplo futurum diceret. Postremo victus consensu Patrum Tribunus cessit, et ex Senatusconsulto L. Lentulus Ovans Urbem est ingressus. » Equidem, singulis loci illius perpensis verbis, nihil in eo reperiri haud dubitanter affirmo, ex quo colligi queat Senatum non nisi accedente Populi jussu Triumphum concessisse. Inter-

IV.

Imminente civitati periculo, (aut imminere viso) potestate nullis limitibus circumscripta Consules instruere Senatui fas erat, facto SenatusConsulto, (viderent, providerent) darent operam Consules ne quid detrimenti Respublica caperet (1). *Ea potestate, ait Sallustius* (2), *(per Senatum, more Romano, Magistratui maxima permittitur,) exercitum parare, bellum gerere, coercere omnibus modis Socios atque Cives, domi militiaeque Imperium atque judicium summum habere, aliter, sine populi jussu, nulli earum rerum Consuli jus est. Senatusconsultum illud, quod extremae ne-*

cedit quidem Tribunus Plebis : quid ita? quod sibi contra morem esse videretur Triumphum aut Ovationum huic concedi, qui nec Consul, nec Praetor provinciam obtinuisset. Non autem quod injussu Populi Ovationem concedere vellet Senatus.» Et ad l. XXXII. c. 7. « Manlius Acidinus, ex Hispania decedens, prohibitus a P. Porcio Lacca Tribuno Plebis, ne Ovans rediret, quum ab Senatu impetrasset, « Ecquid ex hoc inferri potest, quod intercesserit Tribunus Plebis ne Ovationem a Senatu decretam celebraret? Nihil nisi Tribunis iis, quae Patres decreverant, obniti licuisse; Quod in dubium a nemine revocatur. Intercessionis exemplum reperitur etiam l. XXXV. c. 8.

(1) T. Liv. l. III. c. 4. « Hernici et male pugnatum, et Consulem exercitumque obsideri, nunciaverunt; tantumque terrorem incussere Patribus: ut, (quae forma Senatusconsulti ultimae semper necessitats habita est), Posthumio alteri Consulum negotium daretur, videre, ne quid Respublica detrimenti caperet.» l. VI. c. 19. « Magna pars vociferantur, Servilio Ahala (Dictatore) opus esse, qui non in vincula duci jubendo irritet publicum hostem, sed unius jactura civis, finiat intestinum bellum. Decurritur ad leniorem verbis sententiam, vim tamen eamdem habentem, ut videant Magistratus, ne quid ex perniciosis Consiliis M. Manlii Respublica detrimenti capiat.» Sallust. bellum Catil. c. 29. « Itaque, quod plerumque in atroci negotio solet, Senatus decrevit, darent operam Consules, ne quid detrimenti Respublica caperet.

(2) Bell. Catil. c. 29.

cessitatis vocatur (1), *non semel generosis Viris, Plebisque amantissimis exitio fuit.*

V.

Senatus decreto hostes patriae renunciabantur, qui arma contra Patriam verterant (2). *Multitudini tamen ad sanitatem ante praestitutum diem redeundi fiebat saepe potestas* (3), *quo elapso rebelles armis persequi jubebat Senatus* (4) : *Ac si quis Magistratus, munere cum fungere-*

(1) T. Liv. l. III. c. 4.

(2) FLORUS, lib. III. c. 21. « Tum ex Senatusconsulto adversariis hostibus judicatis, in praesentem Tribunum (Sulpicium) aliosque diversae factionis, jure saevitum est. » Tit. Liv. Epit. lib. LXXVII. « Duodecim a Senatu hostes, inter quos C. Marius et Pater, judicati fuerunt. » Flor. lib. III. c. 23. « Primo statim impetu retropulsus hostisque a Senatu judicatus, incruenta fuga Etruriam, inde Sardiniam recessit (Lepidus) » lib. IV. c. 5. Hic vero jam non privatis sed totius Senatus suffragiis judicatum hostem (Antonium) Caesar aggressus, intra Perusiae muros redegit. » Sallust. bell. Catil. cap. 36.

(3) Sallust. bell. Catilin. c. 36. « Senatus Catilinam et Manlium hostes judicat; ceterae multitudini diem statuit, antequam liceret sine fraude ab armis discedere praeter rerum capitalium damnatis : praeterea decernit, uti consules delictum habeant, Antonius cum exercitu Catilinam persequi maturet, Cicero Urbi praesidio sit. » Cicer. Epist. ad familiares. lib. XII. epist. 10. « Lepidus tuus affinis, meus familiaris pridie kal. Quirites, sententiis omnibus hostis a Senatu judicatus est, caeterique qui una cum illo a Republica defecerunt; quibus tamen ad sanitatem redeundi ante kal. Septembris potestas facta est. » Dio Cass. lib. XLVI. c. 29. « πρός τε τὸν Ἀντώνιον πρεσβείαν ἔπεμψαν, κελεύουσαν οἱ τα τε στρατόπεδα καὶ τὴν Γαλατίαν ἀφεῖναι, καὶ ἐς τὴν Μακεδονίαν ἀπελθεῖν. Καὶ τοῖς στρατευομένοις αὐτῷ προεῖπον, οἴκαδε ἐντὸς ῥητῆς ἡμέρας ἀναχωρῆσαι, ἢ εἰδέναι, ὅτι ἐν πολεμίων μοίρᾳ γενήσονται.

(4) Cicer. Philip. XI. c. 12. « Cum P. Dolabella, quique ejus crudelissimi et teterrimi facinoris Ministri, Socii, Adjutores fuerunt, hostes Populi Romani a Senatu judicati sunt. Cumque Senatus P. Dolabellam bello persequendum censuerit, ut, is qui..... poenas

tur, nefaria contra Rempublicam molitus esset, decreto Senatus, munere privabatur, atque interdum in custodia detinebatur (1), *conjurationisque Consciis non modo impunitas, sed praemia promittebantur, qui de conjuratione indicassent* (2).

VI.

Senatus conscribi dimittive Milites jubebat (3); *Copia-*

debitas persolvat, Senatui placere : C. Cassium Proconsulem provinciam Syriam obtinere... eumque a Q. Marcio Crispo Proconsule, L. Statio Murco Proconsule, A. Allieno Legato exercitus accipere, eosque ei tradere, cumque his copiis, et si quas praeterea paraverit, bello P. Dolabellam terra marique persequi : ejus belli gerendi caussa, quibus ei videatur, naves, nautas, pecuniam, caetera, quae ad bellum gerendum pertineant..... jus potestatemque habeant.

(1) Sallust. Bell. Catil. c. 47. « Senatus decrevit, uti abdicatus Magistratu Lentulus, item caeteri in liberis custodiis haberentur. » Vell. Pat. lib. II. cap. 20. « Cinna cum in Campaniam tenderet, ex auctoritate Senatus Consulatus ei abrogatus est, suffectusque in ejus locum L. Cornelius Merula, flamen dialis. »

(2) Sallust. Bell. Catili. cap. 30. « Ad hoc, (Senatus decernit) si quis indicasset de conjuratione, quae contra Rempublicam facta erat, praemium, servo libertatem et H. S. C. libero impunitatem ejus rei et H. S. C. C. » c. 36. « Fuere tamen Cives, qui seque Remque publicam obstinatis animis perditum irent; Namque duobus Senatidecretis, ex tanta multitudine, neque praemio inductus conjurationem patefecerat, neque ex castris Catilinae quisquam omnium discesserat. »

(3) T. Liv. l. XXII. c. 11. « De bello deque Republica Dictator retulit quibus quotve legionibus victori hosti obviam eundem esse Patres censerent : decretum, ut a Cn. Servilio Consule exercitum acciperet : scriberet praeterea ex Civibus Sociisque quantum Equitum ac Peditum videretur : cetera omnia ageret faceretque, ut e Republica duceret. » Tit. Liv. l. IV. c. 1. Delectus haberi, bellum armaque vi summa adparari jubent Patres. » lib. XXV. cap. 5..... Senatus... Triumviros binos creari jussit, alteros qui citra, alteros qui ultra quinquagesimum lapidem in pagis, forisque et conciliabulis omnem copiam Ingenuorum inspicerent : et si qui roboris satis ad ferenda arma habere videren-

rum numerum Imperatoribus constituebat decernebatque (1), *de stipendio, victu, veste, commeatibus Militum providebat* (2). *Mandatis Duces exercituum instruebat* (3), *hique*

tur, etiamsi nondum militari aetate essent, milites facerent. » l. XXXIX. cap. 20. « Duas legiones novas ex Senatusconsulto scribere jussi sunt (Consules) » lib. XXXIX. cap. 38. « Senatusconsultum factum est, ut Praetores quatuor millia Peditum Romanorum scriberent, quadringentos Equites, et quinque millia Sociorum Peditum latini nominis, quingentos Equites, quos secum in Hispaniam portarent. » lib. XL. c. 28. « Haec qui nunciarent, litterasque ad Senatum ferrent, L. Aurelius Cotta, C. Sulpicius Gallus Romam missi, simulque peterent, ut L. Aemilio confecta provincia decedere, et deducere, secum milites liceret, atque dimittere. Utrumque permissum a Senatu.... jussique Praetores Petillius Urbanas dimittere legiones, Fabius Sociis atque nomini latino remittere delectum. » lib. XLV. cap. 2. « Senatusconsultum factum est, ut, Consul, quos Praetor Milites Sociosque navales conjuratos haberet, dimitteret. »

(1) L. XXVI. c. 17. « Romani Patres perfuncti, quod ad Capuam attinebat, cura, C. Neroni ex iis duabus legionibus, quas ad Capuam habuerat, sex millia Peditum et trecentos Equites, quos ipse legisset et Socium latini nominis Peditum numerum parem, et octingentos Equites decernunt. » L. XXXVI. c. 1. « Senatus decrevit, ut Consules Italiam et Graeciam provincias sortirentur; cui Graecia evenisset, ut, praeter eum numerum militum, quem L. Quinctius in eam provinciam ex auctoritate Senatus scripsisset imperassetve, ut eum exercitum acciperet, quem M. Baebius Praetor anno priore ex Senatusconsulto in Macedoniam trajecisset. Et extra Italiam permissum, ut, si res postulasset, auxilia a Sociis, ne supra quinque millium numerum, acciperet. »

(2) Cicero pro Balbo, c. 27. « Caïum Caesarem Senatus et genere Supplicationum amplissimo ornavit et numero dierum novo : idem in Angustiis Aerarii, Victorem exercitum Stipendio affecit. » Cf. epist. Pompeii ad Senatum. Fragm. l. III. « Fessus scribundo mittundoque Legatos omnes opes et spes privatas meas consumpsi, quum interim a vobis per triennium vix annuus sumptus datus est. Per Deos Immortales! Utrum censetis me vicem Aerari praestare, an exercium sine frumento et stipendio habere posse. » Cf. etiam quae scribit de Aerario Polyb. l. VI c. 13. Tit. Liv. lib. V c. 11. « Revocatis in Curiam Patribus, Senatusconsultum factum est,.... placere (Peditibus, Equitibusque) extra ordinem professis militiam aera procedere.

(3) Tit. Liv. l. X. cap. 32. « Atilius extemplo profectus est, ut in samnio hostes (ita enim Patribus placuerat) nondum egressos opprimeret. » lib. XL. cap. 17. « Consules

jussa Patrum exsequebantur. De Republica male meritis Militibus Ducibusve statuebant Patres, illosque ignominiae notis aliave poena afficiebant (1).

VII.

Aerarium, proin redituum omnium, sumptuum faciendorum Tributorum indicendorum, augendorum, minuendorum,

quoque dimittere exercitum voluerunt, ac de ea re Patres consuluerunt. Alterum ex his, dimisso exercitu, ad Magistratus in annum creandos venire Romam jusserunt : Alterum cum legionibus suis Pisis hiemare. » lib. XLI. cap. 12. « Senatus.... adjicit decretum; Quoniam Istria provincia confecta esset, si ei videretur, exercitum traduceret in Ligures. »

(1) Valer. Max. lib. II. cap. 7. ex. 15. « Sed tempus est eorum quoque mentionem fieri, quae jam non a singulis, verum ab universo Senatu pro militari more obtinendo, defendendoque administrata sunt.... decreverunt (extra eos milites, quos ceperat ultroque reddiderat Pyrrhus) ut ex iis, qui Equo meruerant, Peditum numero militarent, qui Pedites fuerant, in Funditorum auxilia transcriberentur : neve quis eorum intra castra tenderet, neve locum extra assignatum, vallo aut fossa cingeret, neve tentorium ex pellibus haberet; recursum autem iis ad pristinum militiae ordinem proposuerunt, si quis bina spolia ex hostibus tulisset.... parem iram adversus illos Senatus distrinxit, qui apud Cannas Rempublicam deseruerant. Nam cum eos gravitate decreti ultra mortuorum conditionem relegasset, acceptis a M. Marcello litteris, ut eorum sibi ope ad expugnationem Syracusarum uti liceret; rescripsit indignos esse, qui in castra reciperentur; Caeterum se ei permittere, ut faceret, quod expedire Reipublicae judicasset, dum ne quis ex iis munere vacaret, aut dono Militiae donaretur, aut in Italiam, donec hostes in ea essent, accederet.... Age cum graviter Senatus tulit, quod Q. Petillium Consulem fortissime adversus Ligures pugnantem occidere Milites passi essent; Legioni enim neque stipendium anni procedere, neque aera dari voluit.... Sed cum aliquoties Senatus pro Militari disciplina se severum exhibuerit, nescio an tum praecipue, cum Milites, qui Rhegium injusto bello occupaverant, mortuoque duce Jubellio, M. Caesium Scribam ejus sua sponte Imperatorem delegerant, carcere inclusit, ac M. Fulvio Flacco, Tribuno Ple-

abrogandorum arbitrium penes Senatum erat (1). *Quamobrem, teste Polybio* (2), *sine Patrum decreto, Aerarii pecunias ad nullos accommodare usus, (si exceperis sumptus Consulis nomine factos) Quaestores, nullasque impensas, seu in reficiendis, seu in exstruendis aedificiis publicis, Censores facere poterant, nisi ex Senatus auctoritate, a quo ejus rei potestatem accipiebant. Senatui inte-*

bis, denunciante, ne in Cives Romanos adversus morem Majorum anidmadverteret, nihilominus propositum exsecutus est. Caeterum quo minore cum iuvidia id perageretur, quinquagenos per singulos dies virgis caesos, Securi percuti jussit, eorumque corpora sepulturae mandari, mortemque lugeri vetuit. » Cf. Chapman. p. 377.—380.

(1) POLYBI Reliq. lib. VI. c. 13. « Καὶ μὴν ἡ Σύγκλητος πρῶτον μὲν ἔχει τὴν τοῦ ταμιείου κυρίαν. καὶ γὰρ τῆς εἰσόδου πάσης αὕτη κρατεῖ, καὶ τῆς ἐξόδου παραπλησίως. Cicero in Vatin. c. 15. « Eripueras Senatui.... Aerarii dispensationem. » Tit. Liv. lib. II. c. 9. « Multa blandimenta Plebi per id tempus ab Senatu data.... portoriis et tributo Plebes liberata, ut divites conferrent, qui oneri ferendo essent. » lib. IV. cap. 59. 60. « Indicto jam tributo, edixerunt etiam Tribuni, auxilio se futuros, si quis in militari stipendium tributum non contulisset. Patres bene coeptam rem perseveranter tueri, conferre ipsi primi, et quia nondum argentum signatum erat, aes grave plaustris quidam ad Aerarium convehentes speciosam etiam conlationem faciebant. » Cf. etiam lib. V. c. 10. lib. XXIII. cap. 31. Senatus, quo die primum est in Capitolio Consultus, decrevit, ut, quo eo anno duplex tributum imperaretur, simplex confestim exigeretur, ex quo stipendium praesens omnibus militibus daretur, praeterquam qui milites ad Cannas fuissent lib. XXIV. cap. 11. « Quum deessent nautae, Consules ex Senatusconsulto edixerunt, ut qui, L. Aemilio et C. Flaminio Censoribus, millibus Aeris quinquaginta ipse aut pater ejus census fuisset, usque ad centum millia, aut cui postea res tanta esset facta, nautam unum cum sex mensium stipendiis daret; qui supra centum millia usque ad trecenta millia, tres nautas cum stipendio annuo; qui supra trecenta millia usque ad decies Aeris, quinque nautas; qui supra decies, septem : Senatores octo nautas cum annuo stipendio darent. »

(2) POLYB. loco citato.

(3) POLYB. Reliq. lib. VI. cap. 17. Conf. Chapman. p. 366.-377.

grum erat ea rescindere omnia, quae Censores transegerant (1).

VIII.

Senatus comitia haberi, differrive, exceptis Comitiis Tributis, jubebat (2). *De quibus ad Populum referendum erat, prius deceptabant Patres, nullique Magistratui (si exceperis Tribunos Plebis) nisi ex Senatus auctoritate cum Populo agere licebat.*

IX.

Regis Sociive Populi Romani nomen impertiebatur Senatus (3).

(1) POLYB. Reliq. lib. VI. cap. 17. Conf. Chapman. p. 366.-377.

(2) CICERO pro Muraena, c. 25. « Tum igitur his rebus auditis, meministis fieri Senatusconsultum, referente me, ne postero die Comitia haberentur, ut de his rebus in Senatu agere possemus. » Cicero Epist. ad Attic. lib. IV. Epist. 16. « Comitia dilata ex Senatusconsulto, dum lex de taeito judicio ferretur. » Tit. Liv. lib. XXX. c. 23. « Hae litterae prius in Senatu a Sergio Praetore, deinde ex auctoritate Patrum in concione sunt recitatae, et passim. »

(3) CICERO de Haruspicum responsis, c. 13. « Hunc tamen Dejatarum, saepe a Senatu regali nomine dignum existimatum.... tu etiam (Clodi) Regem appellari cum Brogitaro jubes. » Tit. Liv. lib. XLV. c. 25. « Rhodiis responsum ita redditum est, ut nec Hostes fierent, nec Socii permanerent. » Caesar de bello gallico. lib. 1. p. 32. « His rebus cognitis, Caesar Gallorum animos verbis confirmavit, pollicitusque est sibi eam rem curae futuram, magnam se habere spem, et beneficio suo et auctoritate adductum Ariovistum finem injuriis facturum. Hac oratione habita, concilium dimisit, et secundum ea, multae res eum hortabantur, quare sibi eam rem cogitandam et suspiciendam putaret; Inprimis quod Aeduos fratres, consaguineosque saepe numero ab Senatu appellatos, in servitute atque in ditione videbat Germanorum teneri. » idem p. 42. 43. « Ubi eo ventum est, Caesar initio orationis, sua Senatusque in eum beneficia commemoravit, quod Rex appellatus esset (Ariovistus) a Senatu, quod Amicus, quod munera amplissima missa. »

et de controversiis inter Socios exortis cogcoscebat ipse, aut per arbitros (1), *ac imploratus auxilii ferendi jussorumque praescribendorum jus sibi vindicabat* (2).

X.

Bellum indicere jussu Populi, Imperii constitutione, Senatui haud licebat (3). *Cum vero ab ejectis Regibus bellum, injussu Populi, multoties indixisset, jus illud Ordini suo proprium contendit Senatus, et anno CCCXXVII controversia inde fuit, utrum Populi jussu indiceretur Bellum, an satis esset Senatusconsultum? Pervicere Tribuni* (4),

(1) SALLUST. bell. Jugurth. c. 16. « Decretum fit, uti decem Legati, regnum, quod Micipsa obtinuerat, inter Jugurtham et Adherbalem dividerent. » Cicero de officiis lib. I. cap. 10. « Ne noster quidem probandus, si verum est, Q. Fabium Leonem... arbitrum Nolonis et Neapolitanis de finibus a Senatu datum, cum ad locum venisset, cum utrisque separatim locutum, ut ne cupide quid agerent, ne appetenter, atque ut regredi quam progredi mallent. Id cum utrique fecissent, aliquantum agri in medio relictum est. Itaque illorum fines, sicut ipsi dixerant, terminavit, in medio quod relictum erat, Populo Romano adjudicavit. » Tit. Liv. XL. cap. 17. « Eodem anno inter Populum Carthaginiensem et Regem Massinissam in re praesenti disceptatores Romani de agro fuerunt.... Legati possessionis jus non mutarunt; Caussam integram Romani ad Senatum rejecerunt. » Justin. lib. XXXVIII. cap. 2. « Sed Senatus, studio Regum intellecto, aliena regna falsis nominibus furantium, et Mithridati Cappadociam et Nicomedi ad solatium ejus Paphlagoniam ademit. »

(2) Passim ubique.

(3) DIONYS. H. lib. VI. p. 392. « Ἴστε δή που νόμον ἡμῖν ὑπάρχοντα ἐξ οὗ τήνδε οἰκοῦμεν τὴν πόλιν, πάντων εἶναι κυρίαν τὴν βουλὴν, πλὴν ἀρχὰς ἀποδεῖξαι, καὶ νόμους ψηφίσαι, καὶ πόλεμον ἐξενεγκεῖν, ἢ τὸν συνεστῶτα καταλύσασθαι, τούτων δὲ τῶν τριῶν τὸν δῆμον ἔχειν τὴν ἐξουσίαν, ψῆφον ἐπιφέροντα. »

(4) TIT. LIV. lib. IV. cap. 30.

denuntiando impedituros se delectum, ut Consules de bello ad Populum ferrent, omnesque Centuriae jussere. Ex hoc tempore non nisi ex utriusque Ordinis consensu bellum indictum fuisse putat CHAPMAN (1).

XI.

Pax etiam et foedera sola Patrum voluntate fieri non poterant (2). *Verum etiamsi jus illud Populi saepe agnoverit Senatus* (3), *nullus tamen dubito quin pluries spretum fue-*

(1) CHAPMAN; *Essai sur le Sénat Romain.* p. 356. Tit. Liv. lib. IV. cap. 58. « Patres decrevere, ut Tribuni Militum de bello indicendo Veientibus primo quoque die ad Populum ferrent. » Tit. Liv. lib. VIII. c. 22. « Ex auctoritate Patrum Populus Palaepolitanis bellum fieri jussit. » lib. VI. cap. 22. Ex Senatusconsulto Populique jussu bellum Praenestinis indictum. » lib. VIII. cap. 29. Bellum ex auctoritate Patrum Populus adversus Vestinos jussit. » lib. X. c. 12. « Bellum Samnitibus et Patres censuerunt et Populus jussit. » lib. X. c. 45. « Ex auctoritate Patrum jussu Populi bellum Faliscis indictum est. lib. XXXVI. cap. 1. « Patres rogationem ad Populum ferri jusserunt, vellent juberentne cum Antiocho.... bellum iniri. » lib. XLII. cap. 30. « Patres, quod faustum felixque Populo Romano esset, Centuriatis Comitiis primo quoque die ferre ad Populum Consules, jusserunt, ut Quod Perseus, Philippi filius, Macedonum Rex adversus foedus cum Patre Philippo ictum, et secum post mortem ejus renovatum, Sociis Populi Romani arma intulisset, agros vastasset, urbesque occupasset, quodque belli parandi adversus Populum Romanum consilia inisset, arma, milites, classem ejus rei caussa comparasset; ut nisi de iis rebus satisfecisset, bellum cum eo iniretur. Haec rogatio ad Populum lata est. » lib. XLII. cap. 35. « Per idem tempus Legati ab Rege Perseo venerunt. Eos in oppidum intromitti non placuit, quum jam bellum Regi eorum et Macedonibus et Senatus decresset, et Populus jussisset. »

(2) DIONYS. H. lib. VI. p. 392.

(3) Sallust. bellum Jugurth. c. 39. « Senatus, ita uti par fuerat, decernit : suo atque Populi injussu nullum potuisse foedus fieri. » T. Liv. l. IX. c. 5. « Consules profecti ad Pontium in conloquium, quum de foedere Victor agitaret, negarunt, injussu Populi foe-

rit (1). *Id saltem certum est Populum nullam exercuisse vim in conditiones pacis aut foederum imponendas : Senatum eas pro libitu imposuisse, ac de fato Populorum victorum decrevisse* (2) *: nisi tamen populi victi tanquam*

dus fieri posse. » lib. XXXIII. cap. 25. « Tribuni Plebis se intercessuros dixerunt, ni prius ipsi ad Plebem tulissent, vellent juberentne cum Rege Philippo pacem esse. Ea rogatio in Capitolio ad Plebem lata est. Omnes quinque et trigenta tribus, uti rogatae, jusserunt. » lib. XXXVII. c. 55. « Senatus pacem servandam censuit; paucos post dies Populus jussit. »

(1) CICERO pro Balbo c. 15. « L. Marcius primipili Centurio cum Gaditanis foedus icisse dicitur, quod cum magis fide illius populi, justitia nostra, vetustate denique ipsa, quam aliquo publico vinculo religionis teneretur : sapientes homines, et publici juris periti, Gaditani, M. Lepido, Q. Catulo consulibus, a Senatu de foedere postulaverunt : tum est cum Gaditanis foedus vel renovatum vel ictum. De quo foedere Populus Romanus sententiam non tulit : qui, injussu suo, nullo pacto potest religione obligari. Ita Gaditana Civitas quod beneficiis suis erga Rempublicam nostram consequi potuit, quod Imperatorum testimoniis, quod vetustate, quod Q. Catuli auctoritate, quod judicio Senatus, quod foedere consecuta est, quod publica religione Sanciri potuit, id abest; Populus enim se nunquam obligavit : neque ideo est Gaditanorum causa deterior, gravissimis enim et plurimis rebus est fulta. Sed isti disputationi certe nihil est loci. Sacrosanctum enim nihil potest esse, nisi quod per Populum Plebemve sancitum est. »

(2) Chapman p. 357. T. Liv. lib. XXXVII. c. 55. « Auditae deinde et aliae Legationes ex Asia sunt : quibus omnibus datum est responsum : decem Legatos more Majorum Senatum missurum ad res Asiae disceptandas componendasque : summam tamen hanc fore, ut Cis Taurum montem, quae intra regni Antiochi fines fuissent, Eumeni adtribuerentur, praeter Lyciam, Cariamque usque ad Meandrum amnem, ea Civitatis Rhodiorum essent. Ceterae civitates Asiae, quae Attali Stipendiariae fuissent, eaedem Eumeni Vectigal penderent; quae Vectigales Antiochi fuissent, eae liberae atque immunes essent. » Cf. etiam lib. XXXVII. c. 56. Cicero in Rull. I. c. 6. T. Liv. l. XLV. c. 17. 18. 26. 29. « Silentio per Praeconem facto, Paullus latine quae Senatui, quae sibi ex consilii sententia visa essent, pronunciavit.... Omnium primum liberos esse jubere Macedonas, habentes urbes easdem, agrosque, utentes legibus suis, annuos creantes Magistratus, tributum dimidium ejus, quod pependissent Regibus, pendere Populo Romano etc. » Cf. etiam XLV. c. 44.

Cives Romani habiti fuissent; De his enim Senatus, populi injussu, nihil statuere potuisse (1), *non magis quam gentibus victis civitatem dare videtur* (2).

XII.

Italiae limites transgredi volentibus commeatus ac liberae seu votivae Legationes a Senatu impetrabantur (3).

(1) T. Liv. l. VIII. c. 37. « Marcus Flavius, Tribunus Plebis; tulit ad Populum, ut in Tusculanos (Civitate prius donati fuerant) cf. T. Liv. l. VI. c. 26 animadverteretur : quorum eorum ope ac consilio Veliterni Privernatesque Populo Romano bellum fecissent. » L. XXVI. c. 33. « Per Senatum agi de Campanis, qui Cives Romani sunt, injussu populi non video posse. Idque et apud Majores nostros in Satricanis factum est, quum defecissent ut M. Antistius Tribunus Plebis prius rogationem ferret, sciretque Plebs, uti Senatui de Satricanis sententiae dicendae jus esset, itaque censeo, cum Tribunis Plebis agendum esse, ut eorum unus pluresve rogationem ferant ad Plebem, qua nobis statuendi de Campanis jus fiat. L. Atilius Tribunus Plebis ex auctoritate Senatus Plebem in haec verba rogavit : omnes Campani, Atellani, Colatini, Sabatini, qui se dediderunt in arbitrium ditionemque Populi Romani Fulvio Proconsuli, quique una secum dediderunt Agrum Urbemque, divina humanaque, utensiliaque, sive quid aliud dediderunt, de iis rebus quid fieri velitis, vos rogo Quirites. Plebs sic jussit. Quod Senatus juratus, maxima pars, censeat, qui adsidetis, id volumus jubemusque.

(2) Cf. T. Liv. l. VIII. c. 21. « In Senatu caussam obtinuere, et ex auctoritate Patrum latum ad Populum est, ut Privernatibus Civitas daretur. » Cicero pro Balbo. c. 24. « Proxima dico, ante Civitatem Veliensibus datam, de Senatus sententia C. Valerium Flaccum, Praetorem Urbanum nominatim ad Populum de Callephana Veliensi, ut ea Civis Romana esset, tulisse... T. Liv. VIII. c. 17. « Romani facti Acerrani, lege ab L. Papirio Praetore lata, qua Civitas sine suffragio data. » T. Liv. l. IX. c. 43. « Anaguinis quique arma Romanis intulerant, Civitas sine suffragii latione data, etc. » L. XXIII. c. 31. « De trecentis Equitibus Campanis, qui, in Sicilia cum fide Stipendiis emeritis, Romam venerant, dein latum ad Populum, ut Cives Romani essent. »

(3) Cf. Ernesti Clavis Ciceroniana, t. I. p. 23. ad legem Juliam de Legationibus liberis. Cf. etiam Cicero ad famil. l. XI. c. 1. l. XII. c. 21. ad Attic. l. I. epist. 1. l. XV. epist. 11. Cicero de legibus l. III. c. 8.

XIII.

Senatus in temporibus calamitosis vestem mutari jubebat (1).

XIV.

Etsi principio non sibi licere aliquem ab ulla lege solvere putaverat Senatus, qui facto Senatusconsulto decernebat tantum, ut roganti ad populum ea de re referre liceret (2): *Sensim tamen jus illud ita sibi asseruit, ut ne mentio quidem Populi fieret* (3). *Caeterum intelligendum illud non est, auctore* CHAPMAN, *de qualibet lege, sed duntaxat de iis legibus, quibus, quo anno Magistratus et intra quot annos eumdem capere Magistratum fas esset, statuebatur* (4). *Nescio tamen an erraverit? Cornelium Tribunum*

(1) CICERO pro Sextio. c. 11. « L. Ninnius ad Senatum de Republica retulit, Senatusque frequens vestem pro mea salute mutandam censuit.

(2) TIT. LIV. XXXI. cap. 50. « Petente Flacco, ut legibus solveretur, Senatus decrevit, ut, si Aedilis, qui pro se juraret, arbitratu Consulum daret, Consules si eis videretur, cum Tribunis Plebis agerent, uti ad Plebem ferrent. »

(3) CICERO pro lege Manilia. c. 21. « Quid tam singulare est, quam ut ex Senatusconsulto legibus solutus, Consul ante fieret, quam ullum alium Magistratum per leges capere licuisset. »

(4) T. LIV. l. X. c. 13. « (Q. Fabius Maximus) .... legem recitari jussit, qua intra decem annos eumdem Consulem refici non liceret. Tribuni Plebis, nihil id impedimenti futurum aiebant, se ad Populum laturos, uti legibus solveretur. » L. XXXIX. c. 39. « Pars Tribunorum Plebis negare, rationem ejus habendam esse, quod duos simul unus Magistratus, praesertim Curules, neque capere posset, neque gerere, pars legibus eum solvi aequum censere, ut quem vellet Praetorem creandi Populo potestas fieret. » Chapman, p. 429.

Plebis jura pristina Populo restituere voluisse, sed sine successu, memoravimus (1).

XV.

Regionum, quae in formam provinciae quacumque de caussa vertebantur, res ordinabat Senatus per Legatos, quibus mandata praescibebat, liberrimumve legum dandarum permittebat arbitrium (2). *Provincias ornabat instruebatque, hoc est, earum limites, numerum militum in iis habendorum, copiarum stipendium viaticum, Imperatorum Comitatus vasariumque constituebat* (3). *Praesidibus adjungendos adseclas ut plurimum eligebat Sena-*

(1) Asconii argumentum ad Ciceronis orationem pro Cornelio « M. Cornelius promulgavit legem, qua auctoritatem Senatus minuebat, ne quis, nisi per Populum, legibus solveretur, quod antiquo quoque jure cautum erat. Itaque in omnibus Senatusconsultis, quibus tum aliquem legibus solvi placebat, adjici erat solitum, ut de ea re ad Populum ferretur, sed paulatim ferri erat desitum, resque jam in eam consuetudinem venerat, ut postremo ne adjiceretur quidem in Senatusconsulto de rogatione ad Populum ferenda. »

(2) CICERO, Verrina II. c. 49. « Quas leges Sociis Amicisque dat is qui habet Imperium a Populo Romano, auctoritatem legum dandarum a Senatu, hae debent et Populi Romani et Senatus existimari. Halesini, pro multis et magnis suis Majorumque suorum in Rempublicam nostram meritis atque beneficiis, suo jure nuper L. Licinio et Q. Mucio Consulibus cum haberent inter se controversias de Senatu cooptando, leges a Senatu nostro petiverunt. Decrevit Senatus honorifico Senatusconsulto, ut his C. Claudius, Praetor, de Senatu cooptando leges conscriberet. »

(3) CICERO ad Attic. l. III. c. 24. « Antea cum ad me Scripsissetis vestro consensu Consulum Provincias ornatas esse. » Cicero ad Quint. fratrem, l. II. epist. 3. « Referebatur de Provinciis Quaestorum et de ornandis Praetoribus. »

tus (1) *aut eorum eligendorum potestatem faciebat ducibus, qui sibi legare tum dicebantur* (2).

XVI.

Leges abrogare (3), *eisve derogare* (4), *non Senatus, verum Populi erat. Statuebat tantum Senatus, ut abrogaretur lex, eive derogaretur* (*a Populo*). *Si quid vero Legi, quo Populum teneret, deesse videretur, decernere ea non videri Populum teneri; aut si quem hostem Reipublicae renuntiasset Senatus, conjectura renuntiante Manutio* (5), *san-*

(1) CICERO pro Sextio, c. 14. « Pro te ipso, Piso, nemone mutavit (vestem) ne isti quidem, quos Legatos non modo nullo Senatusconsulto, sed etiam repugnante Senatu tute tibi legasti. » Cicero in Vatin. c. 15. « Et quoniam legationis tuae facta mentio est, volo etiam audire de te, quo tandem Senatusconsulto legatus sis? » De gestu intelligo quid respondeas : tua lege dicis. Esne igitur patriae certissimus Parricida? Sperabasne id, ut Patres Conscripti ex Republica funditus tollerentur? Ne hoc quidem Senatui relinquebas, quod nemo unquam ademit, ut Legati ex ejus Ordinis auctoritate legarentur. » Cicero pro Ligario « Ligarium Senatus idem legaverat : Cicero ad familiares, l. I. epist. 7. » « Stipendium Caesari decretum est et decem Legati. »

(2) T. LIV. lib. XXXI. c. 8. Consuli a Patribus permissum est, ut quem videretur, ex iis qui extra Senatum essent, Legatum mitteret, ad bellum Regi indicendum. Cicero ad famil. lib. VI. epist. 6. « Cassium sibi legavit (Caesar). »

(3) Manutius de Legibus sub fin. Chapman p. 432. ed. Ganeau Par. 1765.

(4) Chapman p. 434.

(5) Quatuor genera esse declarat Cicero, in quibus per Senatum aliquid de legibus statuatur. Quale autem quartum sit genus, nescimus. Manutius tamen, quale illud esse posset, conjectura auguratus est. « Quartum genus, inquit, in libro de legibus, quod ea Ciceronis oratio mutila admodum est, neque in ipsa, neque in Pediano interprete, ac ne alibi quidem, quod sciam, invenitur. Me tamen in eam partem conjectura ducit, ut existimem, cum aliquem Senatus Hostem judicaret, simul ut ejus quoque leges, quae quidem adversus Rempublicam essent, tollerentur, eodem Senatusconsulto aut alio proxime facto judicasse. »

cire, ut ejus quoque leges, quae quidem adversus Rempublicam essent, tollerentur, Senatus poterat. Illo modo intelligenda sunt ea, quae dicit Cicero pro Cornel. frag. « quatuor omnino genera sunt, judices, in quibus per Senatum, more Majorum statuatur aliquid de legibus. Unum est ejusmodi, placere legem abrogari: ut Q. Caecilio, M. Junio, Consulibus, quae leges rem militarem impedirent, ut abrogarentur. Alterum, quae lex lata esse dicatur, ea non videri Populum teneri: ut L. Marcio, sex: Julio, Consulibus, de legibus Liviis. Tertium est de legum derogationibus: quo de genere persaepe Senatusconsulta fiunt, ut nuper de ipsa lege Calpurnia, quae derogaretur.

XVII.

Tametsi, ante finem belli punici secundi, raro Senatus injussu Populi provinciam Imperatoribus prorogavit (1), *nihilo secius adsunt exempla, quibus interdum nullam prorsus in prorogando Imperio Populi rationem Senatum habuisse constat, et quidem jam ab initio Reipublicae; quod efficitur ex nono Livii, (cap. 42). Fabio, inquit, ob res*

(1) TIT. LIV. lib. VIII. cap. 23. Actum cum Tribunis est, ad Populum ferrent, ut, quum Publius Philo Consulatu abiisset, pro Consule rem gereret, quoad debellatum cum Graecis esset. Idem, lib. X. cap. 22. L. Volumnio ex Senatusconsulto et Plebiscito prorogatum in annum imperium est. Lib. XXVII. cap. 22. Prorogatum Imperium et L. Veturio Philoni est; quod in L. Veturio, idem in C. Auruncuieio decretum a Senatu, latumque de prorogando Imperio ad Populum est.

tam feliciter gestas, sicut priore anno Populus, ita Senatus in sequentem annum, quo Appius Claudius, L. Volumnius Consules fuerunt, prorogavit, maxime Appio adversante, imperium (1). *Confecto autem bello punico secundo, jus Populi plane sprevissse Senatum, auctor est* Beaufort, *et quidem, quod sciam, nullibi, post illud tempus, populi mentio fit* (2). *Rem tamen, utpote non perspectam, equidem in medio relinquo. Hoc saltem dubio vacare videtur, post legem Syllae* (3), *de provinciis, qua sanciebatur, ut qui ex Senatusconsulto provinciam obtinuisset, in ea Imperium haberet, donec in Urbem rediisset, jus Populi penitus in desuetudinem abiisse.*

(1) Beaufort, p. 227. « *Dès qu'il s'agissait de conférer une commission extraordinaire à un simple particulier, il fallait que l'affaire fût portée devant le peuple, qui en ordonnait dans les comices des Tribus. Ainsi lorsque le Sénat prolongeait le commandement d'une armée à un Consul au-delà de l'année, comme ce Consul, l'année de son Consulat étant expirée, redevenait simple particulier, il fallait que le peuple confirmât par ses suffrages la résolution du Sénat, pour que ce particulier fût autorisé dans le commandement de l'armée.... il lui fallait un nouveau titre, et c'était le peuple seul, qui avait le droit de le conférer. C'était une dispense des lois, que le peuple seul était en droit d'accorder. Cependant le Sénat usurpa insensiblement ce droit sur le peuple. Depuis la fin de la seconde guerre punique, il tâcha de faire oublier au peuple ses droits.*

(2) T. Liv. lib. XXXI. cap. 8. M. Valerio Faltoni, qui Praetor priore anno Campaniam provinciam habuerat, prorogatum in annum Imperium est. Hanc prorogationem a Patribus factam fuisse, in dubium vocari nequit, quod eo ipso loco omnia recenset Livius, quae a Senatu decreta fuerunt. lib. XXXII. cap. 28. Patres Consulibus ambobus Italiam provinciam decreverunt; T. Quinctio prorogarunt Imperium, donec successor ei venisset. lib. XLII. cap. 4. Senatus decrevit, ut P. Furius et Cn. Servilius, quibus succedebatur, inter se sortirentur, uter Citeriorem Hispaniam prorogato Imperio obtineret.

(3) Cf. Rosini p. 636.

XVIII.

Senatus deduci colonias jubere (1), *aut rogationem ad Populum ferendam decernere, ut deducerentur coloniae* (2) *poterat. Plures tamen Tribuni, Patribus non auctoribus, de coloniis deducendis ad Plebem retulerant, Plebsque invito Senatu interdum scivit* (3).

XIX.

Ad Caii Gracchi tempora, judices seu privatis seu publicis in causis ex Ordine Patrum legebantur (4). *Judicia autem*

(1) T. LIV. lib. VI. cap. 16. « Seditionis leniendae causa, postulante nullo, largitor voluntarius repente Senatus factus Satricum Coloniam duo millia Civium Romanorum deduci jussit. » Idem lib. IX. cap. 28. « Interamna et Casinum ut deducerentur coloniae, Senatusconsultum factum est. » lib. X. cap. 21. « Placuit, ut duae coloniae circa Vescinum et Falernum agrum deducerentur...... Tribunis Plebis negotium datum est, ut Plebiscito juberetur P. Sempronius Praetor Triumviros in ea loca coloniis deducendis creare. » lib. XXXVII. cap. 46. « Decrevit Senatus, uti C. Laelius Consul, si ei videretur, sex millia familiarum conscriberet, quae in eas colonias deducerentur, et ut L. Aurunculeius Praetor Triumviros crearet ad eos colonos deducendos. Vell. P. I, capiti 14 inserit quae quoque tempore post Romam a Gallis captam deducta sit colonia jussu Senatus.

(2) TIT. LIV. lib. XXXIV. cap. 53. « Q. Aelius Tubero, Tribunus Plebis ex Senatusconsulto tulit ad Plebem, Plebesque scivit, ut latinae duae coloniae, una in Brutios, altera in Thurinum agrum deducerentur. » lib. XXXV. cap. 40. « Vibonem colonia deducta est ex Senatuconsulto, Plebisque scito. »

(3) BEAUFORT, p. 237. Epitome Liv. lib. LX. C. Gracchus legibus agrariis latis effecit, ut complures coloniae in Italia deducerentur, et una in solo dirutae Carthaginis; quo, ipse Triumvir creatus, coloniam deduxit. »

(4) POLYB. Reliquiae lib. VI. cap. 17. « Τὸ ~~δὲ μέγιστον~~, ἐκ ταύτης (συγκλήτου) ἀποδίδονται κριταὶ τῶν πλείστων καὶ των δημοσίων καὶ των ἰδιωτικῶν συναλλαγμάτων, ὅσα μέγεθος ἔχει τῶν ἐγκλημάτων.

a Senatoribus ad Equites transtulisse C. Gracchum vidimus. Anno 17 *post Legem Gracchi, Servilius Caepio Consul lege lata sanxit, ut judicia penes Senatores Equitesque forent* (1). *Paulo post vero Servilius Glaucia jus illud Senatoribus ademit* (2); *restitutum tamen est a Livio Druso, qui judiciariam legem tulit* (3). *Quae lex cum reliquis ejus Tribuni legibus inducta fuisse videtur* (4). *Plautius Silanus* (5) *Tribunus Plebis anno* 664 *legem tulit, ut tribus singulae quinos denòs suffragio crearent, qui eo anno judicarent; quo factum est, ut Senatores, Equites et Plebeii in eo numero essent. Anno circiter septimo post, Sylla judicandi munus Senatui omnino restituit. Illud autem*

(1) TACIT. Ann. lib. XII. cap. 60. « Claudius omne jus tradidit (Equitibus) de quo toties seditione aut armis certatum, cum Semproniis rogationibus Equester Ordo in possessione judiciorum locaretur; aut rursum Serviliae leges Senatui judicia redderent. » Cicero pro Cluentio c. 51. « In suasione legis Serviliae summis ornat Senatum laudibus (Crassus). » Idem in Bruto, sive dialogus de claris oratoribus cap. 43. « Suasit Serviliam legem Crassus. Cf. etiam cap. 44. 86. Cicero de oratore. lib. II. cap. 55.

(2) CHAPMAN p. 196. Cicero in Bruto cap. 62. C. Servilius (Glaucia) ex summis et fortunae et vitae sordibus in Praetura Consul factus esset, si rationem ejus habere licere judicatum esset. Nam et Plebem tenebat, et Equestrem Ordinem beneficio legis devinxerat. »

(3) CHAPMAN loco praedicto. T. Liv. Epist. lib. LXXI. « Marcus Livius Drusus, Tribunus Plebis, ut majoribus viribus Senatus causam susceptam tueretur; Socios et Italicos Populos, spe Civitatis Romanae sollicitavit, iisque adjuvantibus per vim legibus agrariis frumentariisque latis, judiciariam quoque pertulit, ut aequa parte judicia penes Senatum et Equestrem Ordinem essent. »

(4) Cicero de legibus lib. II. cap. 12. videatur nostra historia.

(5) Augustin. in Lege Plautia, Chapman 197.

brevi ademit Pompeius et Cotta (1), *qui Tribunos Aerarii judiciorum participes fecit. Caesar vero, ubi Rempublicam ordinavit, sublatis Aerarii Tribunis judicia dispertitus est inter Senatores et Equites* (2). *Antonius judicibus tertiam Decuriam e Centurionibus, et Vilissimo genere hominum addidit* (3). *Augustus ad tres judicum Decurias quartam addixit ex inferiore censu, quae Ducenariorum vocaretur, judicaretque de minoribus summis* (4).

XX.

Quaecunque flagitia, per Italiam (5) (*aut per alias Provincias*) *commissa, publica animadversione digna essent, puta proditionis, conjurationis, caedis dolo perpetratae, eorum puniendorum cura ad Senatum spectabat. Quod autem attinet facinora Romae admissa, quid de his statuere potuerit Se-*

(1) Cf. Vell. Paterc. lib. II. cap. 32. « Cotta judicandi munus, quod C. Gracchus ereptum Senatui ad Equites, Sylla ab illis ad Senatum transtulerant, aequaliter inter utrumque ordinem partitus est. » Cf. porro nota Baccleri ad hunc locum. Vell. Tribunorum Aerarii quamvis mentionem non faciat, judicandi munus eos tamen obiisse cum Equitibus ac Senatoribus, testis est Cicero epist. 16. lib. I. ad Atticum.

(2) Sueton. in Caesare c. 41. « Judicia ad duo genera judicum redegit, Equestris Ordinis ac Senatorii : Tribunos Aerarios, quod erat tertium, sustulit. »

(3) CICERO in Antonium, c. 1. « Quid? ea lege, quae promulgata est de tertia Decuria judicum, nonne omnes judiciariae leges Caesaris dissolvuntur. At quae est ista Decuria? Centurionum, inquit. »

(4) Sueton. in Augusto. c. 32.

(5) Polyb. Reliquiae lib. VI. c. 13. « Ὁμοίως καὶ ὅσα τῶν ἀδικημάτων, τῶν κατ᾽ Ἰταλίαν, προσδεῖται δημοσίας ἐπισκέψεως, λέγω δὲ, οἷον προδοσίας συνωμοσίας, φαρμακείας, δολοφονίας, τῇ συγκλήτῳ μέλει περὶ τούτων.

natus, expedire longius ac difficilius est, quam ut Quaestionem hanc examinemus. In diversum namque admodum tendunt Sententiae. Ueber die Criminal-jurisdiction des Romischen Senates, *inquit,* Dirksenius, zur zeit des Freistaats herrscht unter den Alterthums forschern die grofste Verschiedenheit der Meinungen; wovon hier nur einige Beispiele stehn mogen. Pighius statuirt eine concurrente Criminalgerichtsbarkeit von Senat und Volk, ohne sich weiter um die Bestimmung des Verhaltnisses derzelben zu einander im geringsten zu bemuhen. Rosinus versteht die bekannte Stelle des Polybius von den aus dem Senatorenstande zu de Volks-gerichten erwahlten geschworenen, und leugnet das eigene Strafrecht des Senats. Zamoscius glaubt wegen des ausdrucklichen Zeugnisses von Polybius dem Senate eine selbststandige Cognition in Strafsachen nicht ganz absprechen zu durfen; jedoch ist er nicht abgeneigt, die Genauigkeit in den von dem Historiker gebrauchten Ausdrucken in Zweifel zu ziehen, und den nehmlichen Verdacht zu aussern, der sich bei Rosinus ausgesprochen findet. Dies abgeschmackte Urtheil darf aber um so weniger befremden, da der zuletzt genannte Verfasser sogleich hinzufugt, kein andrer klassischer Schriftsteller als Polybius gebe von einer solchen peinlichen Gerichtsbarkeit des Romischen Senats Zeugnis, und die Erzahlungen von Commissarien, denen der Senat die Untersuchung begangener Frevel in Italien aufgetragen habe, durften durchans nicht als jnstanz betrachtet werden. Gruchius behanptet, die Criminal-jurisdiction des Senats sei Schlechthin abhangig von der des

Volks gewesen, und die scheinbaren Beispiele von Selbststandigkeit bezogen sich auf ein ganz unregelmassiges Verfahren, wo, wie namentlich bei Catilinas Verschworung, die bedrohte Wohlfart des Staats einen Eingrif in die Rechte des Volks erfordert habe. Ferratius scheint dem Senat fur die fruheste Periode des Freistaates eine ganz unabhangige, fur die spatere Zeit hingegen eine durch die Zustimmung des Volks bedingte Gerichtsbarkeit zuzugestehn. Vanderhoop nimmt mit Rupertus und Polletus an, dafs der Senat den Consuln, so wie fruher den Konigen, bei Ausubung der Criminalgewalt als Rathgebendes Collegium beigestanden habe etc. etc. (1). »

XXI.

Consulibus, Praetoribusve, Magistratu inito, Provincias (2). *hoc est, bellum in aliqua regione gerendum, seu publici*

(1) Italiae solum fecit mentionem Polybius, auctore Dirksenio, quod eo tempore, quo res gestas literarum monumentis tradebat, nullae extra Italiam ullius momenti Romanis essent Provinciae: utpote cum haberetur Sicilia Provincia suburbana et continens Italiae. Cf. Heinr. Eduard. DIRKSEN, *Professor der Rechte zu Königsberg*, (*Zweite Abhandlung ueber die Criminal-Jurisdiction des römischen Senates*. p. 105. Libri, qui inscribitur *Civilistische Abhandlungen. Erster Band, Berlin, bei G. Reimer* 1820.

(2) T. LIV. l. XXXII. c. 8. Sextus Aelius Paetus, T. Quinctius Flamininus Consules, Magistratu inito, Senatum in Capitolio quum habuissent, decreverunt Patres, ut Provincias Macedoniam atque Italiam Consules compararent inter se sortirenturve. Idem, lib. XXXIII. c. 43. L. Valerius Flaccus et M. Porcius quo die Magistratum inierunt de Provinciis quum ad Senatum retulissent, Patres censuerunt, quum in Hispania tantum glisceret bellum, ut jam consulari et duce et exercitu opus esset, placere Consules Hispaniam citeriorem et Italiam Provincias aut comparare inter se aut sortiri.

muneris procurationem (1), *decernebat quotannis Senatus, quas hi Magistratus compararent inter se sortirenturve. Interdum tamen, seu Patrum decreto Populique jussu* (2), *seu ex sola Senatus auctoritate* (3) *extra sortem, extra ordinem, aliis verbis, sine sorte, sine comparatione Provinciae decernebantur. Provincia decedere injussu Senatus Magistratibus nefas erat, quos, si quid improbi admisissent, revocare, non vero Imperio privare injussu Populi Senatus poterat* (4). *Provincias inter Consules permutare Senatui etiam licebat* (5). *Lege Sempronia jus Patrum de Provinciis illibatum mansit* (6) : *nisi quod sanxerit C. Grac-*

(1) Obiter monendum in triplicem sententiam vocem Provinciae a Romanis accipi; accipitur scilicet aut pro regione, quae seu armis devicta, seu quocumque modo ditioni Romanorum subjecta a Magistratu Romano regitur administraturque, aut pro quacunque regione, in qua bellum Romanus Imperator gerit : postremo pro quacunque muneris publici procuratione. Cf. Sigon. de Antiquo jure Provinciarum lib. 1. c. 1.

(2) T. Liv. l. X. c. 24. « Nec minore Populi consensu quam Senatus Provincia Etruria extra sortem Fabio decreta est. »

(3) T. Liv. l. XXXVII. c. 1. (Laelius) quum Senatus aut sortiri aut comparare inter se provincias Consules jussisset, elegantius facturos dixit, si judicio Patrum, quam si sorti eam rem permisissent.... Prope omnes (Patres) Scipioni Graeciam, Laelio Italiam decreverunt. »

(4) T. Liv. XXIX. c. 19. « Q. Fabius sententiam deinde aeque trucem Orationi adjecit.... P. Scipionem, quod de Provincia decessisset injussu Senatus, revocari; agique cum Tribunis Plebis, ut de Imperio ejus abrogando ferrent ad Populum. »

(5) T. Liv. l. XXVI. c. 29. « Postulatum a Consulibus est, ut de permutandis Provinciis Senatum consulerent. »

(6) Cicero pro domo. c. 9. « tu (Clodi) Provincias Consulares, quas C. Gracchus, qui unus maxime popularis fuit, non modo non abstulit ab Senatu, sed etiam, ut necesse esset quotannis constitui per Senatum, decreta lege sanxit, eas lege Sempronia per Senatum decretas rescidisti. »

chus, ut Senatus quotannis ante Comitia Consularia Provincias decerneret (1), *quod prius vel post designatos Consules, vel post initum Consulatum facere solebat. Eadem lege cautum est, ut de Provinciis Praetoriis, non autem de Consularibus intercedere Tribunis Plebis liceret* (2). *A Sylla ad finem usque Reipublicae, crebro per Populum, impellentibus Tribunis, Provinciae decretae sunt, invitis Patribus. Sic Sulpicius Asiam Provinciam, a Senatu Syllae decretam, Mario addixit; Manilius eamdem Pompeio; Gallias per Vatinium Caesar, utramque Hispaniam Pompeius secundum Consul, Syriam Crassus per Tribonium accepit.*

XXII.

Utrum Senatusconsultis vis legum fuerit, necne, haud liquet (5). *In utramque partem acriter et strenue disputarunt*

(1) Salust. Bellum jugurth. c. 27. Lege Sempronia Provinciae futuris Consulibus Numidia atque Italia decretae. Consules declarati Publius Scipio Nasica, L. Bestia Calpurnius; Calpurnio Numidia, Scipioni Italia obvenit.

(2) CICERO de Provinciis Consularibus c. 7. « Atqui duas Gallias qui decernit Consulibus duobus, hos retinet ambo : qui autem alteram Galliam, et aut Syriam, aut Macedoniam; tamen alterum retinet, et in utriusque pari scelere disparem conditionem facit : faciam, inquit, illas Praetorias, ut Pisoni et Gabinio succedatur statim, si hic sinat. Tunc enim Tribunus intercedere poterit, nunc non potest. » Idem c. 8. « Sed mihi credite : nunquam succeditur illis, nisi cum ea lege referetur, qua intercedi de Provinciis non licebit. »

(3). Conferri potest Francisci Binkes responsio ad quaestionem : quaenam fuit Senatus Romani auctoritas, primum tempore Regum, deinde in Republica libera et postea sub Imperatoribus p. 160. sqq. Volum. Annal. Academ. Groninganae, edit. 1817.

viri docti, quorum argumenta referre modus operis non patitur. Illud vero planum est, haec decreta nonnisi ex Senatus auctoritate, aut ex aliqua lege induci delerique potuisse (1).

Hisce expositis incoeptum persequamur.

(1) Cf. Suetonius in Julio Caesare c. 16. « Caecilio Metello, Tribuno Plebis turbulentissimas leges adversus collegarum intercessionem ferenti, auctorem propugnatoremque se pertinacissime praestitit; donec ambo administratione Reipublicae decreto Patrum summoverentur.... (Cum praeter opinionem modeste paruisset,) Senatus gratias ei per Primores Viros egit, accitumque in Curiam et amplissimis verbis collaudatum in integrum restituit, inducto priore decreto. » Cicero pro domo. c. 4. « Cum omnes adessent, coeptum est referri de inducendo Senatusconsulto; ab universo Senatu reclamatum est. Cf. etiam Plinii historia naturalis lib. VIII. c. 17.

PERIODUS QUINTA.

A Tribunatu Tib. Gracchi ad Ortam Contentionem, seu Bellum Civile inter Marium et Syllam.

620—666.

Hac Periodo, quae 46 annos complectitur, certamina recrudescunt, studiaque partium inter Populum et Senatum, cujus auctoritas et vis varia fluctuansque fuit, saepe incensa Plebe a Tribunis, Ambitiosisve hominibus. Senatus, immani Gracchorum eorumque fautorum nece, duritie saevitiaque sua Plebis et Militum animos a se alienat, suaque pervicacia omnes parit clades, quae Rempublicam paulo post lacerant evertuntque.

Dissidia inter Senatum et Populum multiplicibus bellis intermissa fuerant, hostilisque metus Civitatem in bonis artibus retinuerat. Nam Populus ac Senatus Romanus placide modesteque inter se Rempublicam tractaverant, nec gloriae nec dominationis certamen inter cives fuerat (1). Verum, ubi illa formido mentibus discessit, otium atque abundantia labores et curas belli exceperunt, tum civilis dissentio, jam dudum sedata, recrudescere, Civitasque moveri incoepit. Omnes Ordines corruptelarum illecebris devinciri, Populus

(1) Sallust. Bell. Jugurth. cap. 41. Conf. etiam Vell. Paterc. lib. II. cap. 1.

libertatem, et Nobilitas dignitatem in ludibrium vertere coepere. Unumquemque studium pecuniae honorumque libido invasit. Ita, inquit Salustius (1).... Omnia in duas partes abstracta sunt, et Respublica, quae media fuerat, dilacerata. Sed minus poterat Plebis vis, soluta atque dispersa in multitudinem, et Nobilitas factione magis pollebat. Senatus Patriciique, tempus venisse rati a Populo poenas repetendi, magis, quam antea, Plebem opprimere incoeperunt : sicque miserrima Plebeiorum erat conditio. Nam paucorum arbitrio belli, domique agitabatur; penes eosdem Aerarium, Provinciae, Magistratus, Gloriae Triumphique erant. Populus militia atque inopia urgebatur : Praedas bellicas Imperatores cum paucis diripiebant. Parentes aut parvi liberi militum, ut quisque potentiori confinis erat, sedibus pellebantur. Cum potentia, avaritia sine modo modestiaque invadere, polluere et vastare omnia, nihil pensi, neque sancti habere (2). Sic veri non immemor, orationis tractu depingit fervido Sallustius aerumnas Plebis et corruptionem Nobilium et Senatus. Pecunia tum consequi honores, ambitu et largitionibus foedari et vitiari omnia, sperni et contemni leges, vim et violentiam, imperium intolerandum exercere. Lex licinia jam pridem obsoleverat artibus Nobilium et Senatus. Ii soli fructum ex bellis perceperant, ut ex Sallustio vidimus, partim occupatione violenta, partim coemptione fraudulenta omnibus agris ad se conversis : infimaeque Plebis eo miserior erat

(1) Sallust. Bell. Jugurth. cap. 41.
(2) IDEM. ibidem. Conjurat. Catilin. cap. 10.

conditio, quod a colendis istis terris etiam arceretur, arcersitis servis externis (1). Quo factum est, ut Plebis ac Militis animos a se prorsus abalienaverit Senatus, qui pervicacia, ambitione, avaritia, praevaricatione, tyrannide in causa fuit, cur Respublica, suaque ipsius potentia pessumdaretur. « *L'inflexibilité, dont le Sénat se piqua toujours relativement au partage des terres*, ait Beaufort (2), *fut cause que le Peuple et surtout les soldats ne considérèrent plus ce corps, que comme le plus grand obstacle à tout ce qui tendait à leur soulagement. Le Peuple, persuadé qu'il n'en obtiendrait jamais rien, tourna toutes ses vues du côté de ses Tribuns, des Magistrats, qui paraissaient favoriser ses intérêts : pour prix des libéralités qu'on lui faisait aux dépens de l'état, il accumulait sur une seule personne toutes les dignités : et donnant sans discernement à ceux qui le flattaient les gouvernemens et les commandemens des armées, il les mit en état d'opprimer la République.* »

Miseriam Populi sublevare aggressus est vir bonae frugis, 620-633.
indolisque eximiae Tiberius Gracchus qui eo consilio oblitteratam legem Liciniam renovavit sanciendo, « ne quis agri plus quam 500 jugera possideret, et ut tres Viri Tributis Comitiis crearentur, qui agros dividerent (3), judicarentque quinam privati, quinam publici essent. » Verum tamen Tiberius cautionem adhibuerat, ne nimis sua rogatio Patres et

(1) Plutarch. in Tiberio Graccho.
(2) P. 238.
(3) Appian. de Bell. civil. lib. I. c. 9. Tit. Liv. Epit. lib. LVIII. Cicero pro Sextio. c. 48.

Patricios offenderet, veteri legi his adjectis : « ut liceret filiisfamilias habere modi hujus dimidium (1). »

Senatus ira percitus rationem inire studuit quemadmodum irritos faceret Tribuni conatus; ac tandem ad intercessionem confugit, subrogato qui intercederet Tribunorum uno (2). Inania vero fuere haec Senatus conamina. Tribunus enim ille de Magistratu fuit dejectus, suffragiisque Populi alter Tribunus suffectus (3). Ac lex Agraria perlata et Triumviri agris dividendis creati (4). Ex quo intellectu facile est, Plebeium hunc Magistratum majori auctoritate apud Populum valuisse reliquis collegis, spreta Senatus auctoritate, et penes eum fuisse Rempublicam. Interea moliebatur Tiberius, ut sibi prorogaretur Tribunitia potestas. At quum Patres compertum haberent, de sua actum esse potestate nisi hic oppressus jaceret Tribunus, non jam confugiendum esse ad dictaturam, pristinasque artes censuerunt, satius esse rati spes in suis viribus sitas habere, atque suum capitalissimum inimicum e medio tollere. Consultis facta conjuncta sunt. Jussu enim et manibus Senatorum dilaceratus fuit (5). Senatus potissimum exacerbatus fuerat rogatione quam sciverat, mortuo

(1) App. de Bell. civ. lib. I. c. 9.
(2) Appianus de Bell. civil. lib. 1. cap. 12.
(3) Idem. ibidem.
(4) Idem. ibidem. cap. 13.
(5) Idem. ibidem. cap. 16. Vell. Patercul. lib. II. cap. 3. Cicero, ambiguus iste vir, non hominis amicus, sed gratiae, eum merito interfectum scripsit, et ipsius interfectores implevisse Orbem terrarum nominis sui gloria. Pro Milone cap. 27. de Officiis lib. I. c. 22 Pro Domo. cap. 34. de Amicitia. c. 12.

Attalo, Pergamae Rege, qui moriens Populum Romanum haeredem scripserat, UT NUMERATA PECUNIA PRINCIPIS ILLIUS EGENIS CIVIBUS DISTRIBUERETUR, ATQUE UT DE URBIBUS ET TERRIS DOMINATIONI ATTALI SUBJECTIS NON SENATUS, SED POPULUS DECERNERET. PLUTARCHUS enim (1) negat omnium conaminum Tribunorum ullum aeque invisum fuisse Patribus, ac consilium Tiberii, qui, tantae rei cognitione Populo permissa, omnem auctoritatem in eum transferret. Sic vitam quam gloriosissime degere poterat immatura morte finiit manibus Senatorum non minus scelestis, quam nefaria quolibet tempore fuit mens, Vir multis adornatus Virtutibus (2).

Occiso Tiberio Gracco Optimatum factio crudelissime saeviit in Amicos Sociosque Tiberii: pluribus nempe vita ademta, plures exilio, sine judicio, mulctati sunt. Postremo nihil intentatum reliquit Senatus ad terrorem singulis injiciendum (3). Post Tribuni necem, hujus leges non nominatim quidem abrogabantur: verum sensim sine sensu mora, cunctatione, fraudibus in oblivionem veniebant, Plebsque patriciis artibus delusa spem accipiendorum agrorum jam paene abjecerat (4): denuoque saevum suum Senatus Imperium impune exercere, nemine refragante, potuit, donec in scenam prodierit juvenis acer et facundus Caius Gracchus, Tiberii frater, et mortis et legum fratris sui vindex futurus (5).

(1) Plutarchus in lib. IX. p. 830. sub. fin. Tit. Liv. Epit. lib. LVIII.
(2) Vell. Patercul. lib. II. cap. 3.
(3) Plutarch. in Tiberio Graccho.
(4) Appianus de Bell. civ. lib. I. cap. 21.
(5) Florus lib. III. cap. 15.

Quaestoris munere in Sardinia defunctus Tribunatum ambiit, quem summo cum studio Plebis, odio Senatus, adeptus est (1) (630). Is adeo incitata et vehementi eloquentia usus est, ut Populus, cujus animos omnimode movebat, se totum ad ejus voluntatem et nutum fingeret. Itaque Caius, vi eloquentiae, potentiam Senatus frangere confestim nisus est rogatis pluribus legibus. Ac in primis legem Agrariam rogavit (2) : legemque Frumentariam addidit, « ut frumentum singulis mensibus Plebi viritim distribueretur ex publico (3). » Caius sibi iis legibus Plebem devinxerat, et praeterea Equestrem Ordinem in suas partes trahere voluit : quamobrem judicia à Senatoribus ad Equites transtulit, sua Senatui exprobata corruptione (4). Hac lege Senatus auctoritatem, splendorem, potestatem fregit. Nam, si fides Appiano addenda est, adeo permutata est Reipublicae potestas, Equitibus facta potestate judicii vel de Senatoribus ferendi, cujuslibet poenae statuendae, ut Equestris Ordinis solius fieret potestas, illique in Senatores dominarentur, quos injuriis afficiebant (5). Haud immerito igitur praedicabat Caius, translatis ad Equites judiciis, se uno ictu potentiam Senatus infregisse. Quid vero de ea mutatione senserit Montesquieu, referre operae pretium est. « *Les juges*,

(1) Appianus loco citato.

(2) Vell. Patercul. lib. II. c. 6. Tit. Liv. Epitom. lib. LX. Cicero de Offic. lib. II. c. 21.

(3) Appianus loco citato. Cicer. Tuscul. lib. III. c. 20. Idem pro Sextio c. 48.

(4) Appianus lib. I. c. 22. Tit. Liv. Epit. lib. LX.

(5) Idem ibidem.

inquit (1), *furent pris dans l'ordre des Sénateurs, jusqu'au temps des Gracques. Tiberius Gracchus fit ordonner qu'on les prendrait dans celui des chevaliers : changement si considérable, que le Tribun se vanta d'avoir, par une seule rogation, coupé les nerfs de l'ordre des Sénateurs* »..... « *Il faut remarquer que les trois pouvoirs peuvent être bien distribués par rapport à la liberté de la constitution, quoiqu'ils ne le soient pas si bien dans le rapport avec la liberté du citoyen. A Rome, le peuple ayant la plus grande partie de la puissance législative, une partie de la puissance exécutrice, et une partie de la puissance de juger, c'était un grand pouvoir qu'il fallait balancer par un autre. Le Sénat avait bien une partie de la puissance exécutrice; il avait quelque branche de la puissance législative : mais cela ne suffisait pas pour contrebalancer le peuple; il fallait qu'il eût part à la puissance de juger; et il y avait part, lorsque les juges étaient choisis parmi les Sénateurs. Quand les Gracques privèrent les Sénateurs de la puissance de juger, le Sénat ne put plus résister au peuple. Ils choquèrent donc la liberté de la constitution, pour favoriser la liberté du citoyen; mais celle-ci se perdit avec celle-là* »..... « *Il en résulta des maux infinis. On changea la constitution dans un temps où, dans le feu des discordes civiles, il y avait à peine une constitution. Les chevaliers ne furent plus cet ordre moyen, qui unissait le peuple au Sénat; et la chaîne de la constitution fut rompue* ». Nonnulli etiam memoriae prodiderunt

(1) *Esprit des lois. liv. XI. c.* 18.

a Caio Senatum sexcentis Equitibus auctum fuisse; id autem minus liquet (1).

Aliam insuper legem tulerat (Caius) de Sociis latinis Civitate donandis : qua re suffragiis multitudinis, quae Civitate, eo rogante, donata fuerat, fretus confidebat fore, ut omnia reliqua jura Senatui eriperet. Quem non ambierat Caius Gracchus secundum Tribunatum, eumdem ipsi, grati animi significandi causa, omnium consensu detulit Plebes (2). Verum, quo magis singularem suum amorem erga Caium Populus exhibebat, eo infensior inimiciorque illi Senatus fiebat.

Itaque is Ordo novam viam ingressus est, ut Caius Plebis benevolentiam amitteret, suisque telis obnoxius maneret. Caius auram Popularem captaverat largitionibus suis et beneficiis erga Populum. Senatus vero, quod animadverterat, se, conatibus Tribuni propalam obviam eundo, nihil nisi odium sibi conflare, huncque ex amico amicissimum Plebeiis facere, acturum esse, aliam rationem adhibuit, ut ejus auctoritatem apud Populum minueret, quem alio modo sine suo maximo periculo perdere non poterat. Qua de causa, beneficiis, quibus Caius Plebeios avide afficiebat, cum ipso contendere incoepit Senatus : scilicet in suas partes unum e Tribunis, nomine Livium Drusum, adductum monuere Patres, ut certatim cum Caio multitudini palparetur: sic quo plura offerret Caius,

(1) TIT. LIV. Epitom. lib. LX.
(2) Vell. Patercul. lib. II. c. 6. edit. Hack.

eo plura ipse largiretur : scrupulose etiam profiteretur se cuncta voluntate Senatus agere (1). Jussa Senatus fideliter exsecutus est subornatus Tribunus. Rogante Caio, ut pauperes honestique cives Tarentum et Capuam mitterentur, haeque urbes Civibus denuo frequentarentur : Drusus consensu Senatus rogavit, ut duodecim Coloniae eo deducerentur; (Qua re in primis laetata Plebes Gracchi leges contemnere coepit) (2). Caius multitudini se acceptum praebuerat, Latinos Civitate donando : Drusus vero acceptiorem se praebuit, vetando, ne Ducibus exercituum liceret Milites latinos virgis in posterum Mulctare. etc.

Sua Senatum non fefellit spes et exspectatio : Drusus enim, Senatui deditus, Plebi acceptus fieri incoepit, Gracchique auctoritatem et gratiam paulatim ad se trahere. Caium quidem non latebat, quo spectarent ista consilia, ista molimina : sibique Roma decedere temporibus consentaneum esse visum est (3).

Attamen brevi Romam rediit, serius vero; nam exitium ipsi paratum fuerat. Artibus Senatus Tribunatum non consecutus est : moxque interposita causa, Senatus Gracchum ad causam dicendam evocat (4). Hic autem, jussa detrectans, excurrit in Aventinum cum delecta manu et Flacco. Senatus caedem iterum jussit facto Senatusconsulto, *cave-*

(1) Plutarch. in C. Graccho Appianus de Bell. civil. lib. I. cap. 23.
(2) Appianus de Bell. civ. lib. I. cap. 23.
(3) Idem. ibidem. cap. 24.
(4) Idem. ibidem. cap. 26.

rent Consules, ne quid detrimenti Respublica acciperet. Tum processit Senatorum agmen. Acerrime pugnatum est, Caiusque quum prope esset, ut ab iis quos Consul Opimius miserat, comprehenderetur, a fideli Servo interfectus est (633) (1). Caput ejus auro rependit Consul (2) : et Senatus, qui leges Sacratas, duorum Tribunorum caedibus, violaverat, victoriam suam, exstructo ex Senatusconsulto Concordiae fano, celebravit (3).

633-643. Equites judiciaria sua potestate haud privati fuerunt post Caii necem. Verum reliquae Gracchorum leges, si legem Semproniam de Provinciis exceperis, abrogatae sunt. Ne Plebes tamen confestim quereretur agros non dividi, lege Thoria sancitum fuit, ut possessores tributum solverent Populo distribuendum (4). At id solatii Plebeiis brevi ademptum est : utpote cum alter Tribunus, ut gratiam Senatus aucuparetur, *hoc vectigal* abrogaverit. Plebes igitur agro et pecunia spoliata miseriori quam antea conditione usa est. Senatus ea victoria elatus saevissime et crudelissime in quoslibet animadvertit, multis ferro aut fuga extinctis. Nihilominus, auctore Sallustio (6), plus in reliquum sibi timoris quam potentiae addidit. Ea tempestate depre-

(1) Vell. Patercul. lib. II. cap. 6. Cicero in Bruto cap. 26.
(2) Appianus lib. I. cap. 26. Vell. Patercul. loco citato.
(3) IDEM. ibidem.
(4) IDEM. lib. I. cap. 27.
(5) IDEM. ibidem.
(6) Sallust. Bell. Jugurthin. cap. 42.

vatissimi et corruptissimi Senatorum erant mores. Insatiabilis enim libidinis explendae caussa, virtuti pretium aut gratiam anteferre, scelus scelere cumulare, flagitia et caedes tueri et defendere Senatores; Principem ipsum Senatus magnitudine pecuniae a bono honestoque in pravum abstrahi, Urbem venalem flagitiisque omnis generis obnoxiam reddi (1).

Tandem Memmius, strenuus ac fortis vir, aegre patiens 643-656.
Populum Gentium victorem Dominis parere tantis facinoribus summoque dedecore opertis, et praesens Jugurthae scelus tolerantibus, jacentes Plebis animos erexit, eamque monuit, ne impunitum Jugurthae horrendum scelus relinqueret. Populus, arrectis animis, morem gessit Tribuno, perculsa Nobilitate (2), misso Praetore, qui hunc Senatus amicum Romam deduceret. Paulo post alter Tribunus rogationem promulgavit contra eos, qui Jugurthae donis sese corrumpi passi fuerant, (id est, contra plerosque Senatores,) irritisque factis Nobilitatis conaminibus, ne haec res eveniret, summo cum studio et inexplebili ultionis ardore incensa Plebs rogationem decrevit, tribusque electis Quaesitoribus quaestionem aspere ac violenter exercuit (3). Ex his haud difficile intellexeris Senatus auctoritatem ea tempestate parum valuisse : et illud etiam eo magis perspicuum fit, quod Mario Consulatus mandaretur, bellumque, quod Senatus Metello

(1) Sallust. ibidem. cap. 28. 29. et passim.

(2) Idem. ibidem. cap. 32.

(3) Idem. ibidem. cap. 39.

gerendum decreverat, Mario gerendum Populi jussu decerneretur (1).

Marius Consul factus omni ope atque opera enisus est, ut Senatum laederet : « Senatus tamen, etsi illi adversus erat, ait Sallustius, de nullo negotio ipsi abnuere audebat (2). » Sic supplementum, quod petiit, ipsi facile decretum fuit. Proficiscitur, Jugurtham debellat, absensque Consul iterum fit, decreta sibi nova Provincia (3). Marius itaque cui videre leges sibi absenti ac continuo delato Consulatu bifariam violatas, parum erat, Majestatem Senatus etiam violare voluit; confecto enim bello Jugurthino, decretoque Triumpho, contra morem Majorum, triumphali veste in Senatum venire non dubitavit (4). Magistratu quinquies propter hostilem metum continuato non contentus, debellatis hostibus, Consulatum ambitu sexies consecutus est (5).

Tum vindictae avidus et foedus et societatem iniit cum homine nequam, Praetore Glaucia, et quodam Saturnino; ac ne non strenuam operam posterior ipsi navaret, eum, Caede Nonii Tribuni designati, Tribunum Plebis revera fecit. Adeo invalidae leges erant (6)! facta cum talibus viris societate, nihili faciendam curavit Senatus auctoritatem; Sa-

(1) Sallust. ibidem cap. 73. Vell. Patercul. lib. II. cap. 11.
(2) Sallust. ibid. cap. 74.
(3) IDEM. ibidem. cap. 114.
(4) Cf. Tit. Liv. Epitom. lib. LXVII.
(5) IDEM. ibid. lib. LXIX.
(6) Appianus de Bell. civil. lib. I. cap. 28. Florus lib. III. cap. 16.

turninus enim rogandis legibus Agrariis incubuit illoque rogante scivit Plebs : ut quilibet Senator in eas intra quintum diem juraret : qui jurare recusaret, Senatu moveretur, insuper talentis viginti mulctaretur (1). Senatus metu conterritus in verba Saturnini juravit (2), excepto Metello, qui exsilio mulctatus est (3). Glaucia vero, ne sua in labefactandis Senatus viribus opera desideraretur, quum Servilius Caepio Consul lege lata sanxisset, ut judicia, a Senatoribus ad Equites (lege Sempronia) translata, penes Senatores Equitesque forent, judicandi munus Senatoribus eripuit (4). Ast quum latius processisset Tribunus, quam Mario in votis erat, destitutus ab illo (Mario) fuit, et conspirante Senatu, summo Supplicio affectus est Saturninus (5). Postea coalescere Plebs cum Senatu incoepit, illius Ordinis reviviscere potentia, gratia Marii imminui, qui Roma profectus est, atque reversus Syllam gratia valentem reperit.

Gliscente jam Marium inter et Syllam, non erumpente tamen, invidia, postulantibusque Civitatem Populis Latinis, Tribunatum adeptus est Vir nobilissimus et sanctissimus Livius Drusus, qui Senatui pristinum decus reddere cupiit, judiciis ab Equitibus ad eum Ordinem translatis (6). Quum 656-666.

(1) Appian. ibidem cap. 29.
(2) Idem ibidem cap. 31. Florus loco citato.
(3) Vell. Paterculus lib. II. cap. 15.
(4) Cicero in Bruto. cap. 62. Augustinus in lege Servilia.
(5) Florus loco citato. Appian. lib. 1. cap. 32. Vell. Patercul. lib. II. c. 12. Glaucia eodem die interfectus est, quo Saturninus. Cf. Cicer. in Bruto c. 62.
(6) Vell. Patercul. lib. II. c. 13.

autem intelligeret futurum, ut palam Senatui judicia restituere nequiret, arte et calliditate grassari coepit, promulgata lege, ut numero Senatorum par numerus ex Equestri ordine in Senatum reciperetur, atque ex his solis in posterum judices eligerentnr (1). Qua re fiebat, ut judicia penes Senatum denuo essent. Praeterea Tribunus, quo sua felicius procederent consilia, lenire Plebem ut et Socios, plurimis legibus latis, suscepit. «Verum in iis ipsis, quae pro Senatu moliebatur, Senatum adversarium habuit, inquit VELLEIUS PATERCULUS (2), non intelligentem, si qua de Plebis commodis ab ipso agerentur, ea, veluti inescandae illiciendaeque multitudinis caussa, fieri, ut, minoribus perceptis, majora permitteret.» Sic specie decepti, quod rogasset Tribunus, ut in Senatorum numerum Equites (3) cooptarentur, Senatores adversus eum nitebantur, qui eo consilia flectebat, ut ipsorum Ordini prodesset. Cultro percussus periit generosus ille Vir (4): cujus leges uno versiculo Senatus, puncto temporis, sublatae sunt. Eas enim decrevit Senatus contra aus-

(1) Appianus de Bello civil. lib. I. c. 35.

(2) Vell. Patercul. lib. II. cap, 13. Marco Livio Druso, inquit Sallustius, Epist. I. ad Caesarem de Republica ordinanda, semper consilium fuit in Tribunatu summa ope niti pro Nobilitate; neque ullam rem in principio agere intendit, nisi illi actores fierent. Sed homines factiosi, quibus dolus atque malitia fide cariora erant, ubi intellexerunt per unum hominem maximum beneficium multis mortalibus dari, videlicet et sibi quisque conscius, malo atque infido animo esse, de Marco Livio Druso juxta ac de se existimaverunt. Itaque metu ne per tantam gratiam solus rerum potiretur, contra eum nixi sua ipsius consilia disturbaverunt.

(3) Appianus de Bell. civ. lib. I. c. 36.

(4) IDEM. Loco citato. Vell. Patercul. lib. II. c. 14.

picia latas videri (1). Itaque imprudentia Senatus bellum Sociale exortum est. Nam Socii vi eripere voluerunt, quod sibi denegabatur (2): et bellum atrox exstitit, quod tamen post acerrima certamina feliciter confectum fuit prudentia Senatus, qui, foedere icto, sic Socios Civitate donavit, ut invalida eorum, in decem novas Tribus distributorum, suffragia fierent (3), quae postremae calculum ferrent.

(1) Cicero de legibus lib. II. cap. 6.

(2) Vell. Patercul. lib. II. cap. 15. Tit. Liv. Epit. lib. LXXI. Cicero in Bruto cap. 28. 49. 62. Pro Rabirio cap. 7. Pro Planc. cap. 14. pro Domo. cap. 19.

(3) Appianus de Bell. civ. lib. I. c. 49.



PERIODUS SEXTA.

A Bello Civili Syllae et Marii ad finem Reipublicae liberae

666—727.

Anni 61 *huic insunt periodo, qua Senatus vis et auctoritas frangitur labefactaturque, flagrantibus bellis civilibus, Imperium non modo detrectantibus Ducibus, sed et leges praescribentibus, armaque in se et Patriam vertentibus. Senatus sui juris esse desinit, nutui Victoris sese accommodare debet, ut et Ambitiosorum foedera conaminave pati, quorum hi Optimatum, illi Plebis factionem recreant et erigunt. Conatus tamen, sed inutiles infaustosque, fati sibi imminentis declinandi causa, facit Senatus. Etenim caesa una, plures renascebantur cervices. Tandem immensa caede gignitur quies, et inter plures Ambitiosos, fructum ex bellis Civilibus capit unus, quem post parvulam moram, cunctationemque rebus potiri, caeteraque Imperia praeeminere Senatus sinere debet.*

Ad id pervenimus tempus, quo, Senatus auctoritate vere labefactata, Respublica ad finem vergit. Hactenus, etsi Tribuni acerrime dimicaverant contra Senatum, tamen is Ordo cui sola objectabatur multitudo, constanti aequabilique modo agendi structa suae potentiae impedimenta partim removere facile potuerat, eo magis, quod, ut plurimum fit, summum Populi impetum summa ignavia et imbecillitas ex-

ciperet. Quae ita se habere sensit MONTESQUIEU (1). « *Tant que le peuple de Rome*, inquit, *ne fut corrompu, que par ses Tribuns, le Sénat put aisément se défendre, parce qu'il agissait constamment, au lieu que la populace passait sans cesse de l'extrémité de la fouge à l'extrémité de la faiblesse.* » Ubi vero magni exercitus in regiones dissitas missi fuere, Ducesque sui juris facti distantia locorum, vigilantiam Senatus reformidare militesque se Reipublicae milites esse, odio Senatus, recordari desierunt : tum necessario frangi debuit vis et auctoritas Senatus. Imperatores enim exercitibus freti Imperium detrectare impune potuerunt, quin etiam ad Urbem accedere, sacra et divina, summa imis miscere, suoque arbitratu leges cunctis praescribere. « *Lorsque la domination de Rome était bornée dans l'Italie*, ait MONTESQUIEU, *la République pouvait facilement subsister..... le Sénat voyait de près la conduite des Généraux, et leur ôtait la pensée de ne rien faire contre leur devoir. Mais lorsque les légions passèrent les Alpes et la Mer, les gens de guerre qu'on était obligé de laisser pendant plusieurs campagnes dans le pays que l'on soumettait, perdirent peu-à-peu l'esprit des citoyens* (2), *et les Généraux, qui disposèrent des armées et des royaumes sentirent leur force et ne purent plus obéir. Les soldats commencèrent donc à ne reconnaitre que leur Général, à fonder sur lui toutes leurs espérances et à voir de plus loin la Ville : ce ne furent plus les soldats de la République, mais*

(1) *Grandeur et Décadence des Romains. chap.* 9.
(2) IDEM ibidem. cf. Levesque tom. II. p. 412.

de Sylla, de Marius, de Pompée, de César. Rome ne put plus savoir, si celui, qui était à la tête d'une Armée, dans une province, était son Général ou son ennemi. »

Exemplum tam funestum, tamque exitiabile primus dedit Sylla. Tunc Senatus libere ac impulsu suo agere desiit : tunc Ordinum diversa studia, et quae vicerant, publice valebant (1). Senatus impulsui alieno obnoxius factus ad nutum et voluntatem ejus se fingere debuit, qui armis alios anteibat ac prospero fortunae flatu erigebatur : deprimebatur recreabaturve ejus auctoritas ex voluntate Domini; et si quos fecit conatus, pristini decoris ac libertatis antiquae recuperandae causa, ii irriti ciciderunt.

666-673. Ambitio honorumque contentio bellum Civile civit inter Marium utrumque, Cinnam, Syllam. Asiam Provinciam sortitus erat Sylla, cui Senatus bellum Mitridaticum decreverat, quo, cum indignaretur Marius, invidiaque aestuaret, societatem fecit cum Sulpicio Tribuno Plebis, qui Mario omnia Imperia, omnesque Provincias, spreta Senatus auctoritate, addixit, legeque ad populum lata, qua Syllae imperium abrogaretur, et Mario bellum Mitridaticum decerneretur (2), illud eo Syllam compulit, ut ex Urbe exiret et ad Urbem cum infesto exercitu accederet. Hic, occupata armis Urbe, multis caesis, multis ex Senatusconsulto Patriae

(1) Tacit. Annal. lib. XII. cap. 60.
(2) Vell. Patercul. lib. II. cap. 18.

hostibus declaratis (1), In Asiam profectus est. Quo profecto, Cinna Consul quum munere ex auctoritate Senatus privatus esset, hostili agmine Urbem item invasit, revocatoque Mario, Romam dominatu oppressit (2). In eo igitur difficili rerum statu, Senatus fuit ludibrium factionum, spretae leges, prostrata ipsius auctoritas; atque intra parvulum temporis spatium plures Dominos habuit. Quem modo de consulatu dejecerat (3), (Cinnam) eum mox orare de pace (4), Consulem agnoscere ejusque iram deprecari debuit (5). Ingredientibus in Urbem Mario et Cinna, tum caedes magna Senatorum facta est, cervicibus eorum pro rostris expositis (6) Trepidus Senatus Syllae leges abrogare, illumque hostem Reipublicae judicare coactus est (7). Ubi vero superbas litteras et minarum plenas misit Sylla, quibus significaret se venturum, mox suas et publicas injurias ulturum esse : iis recitatis, metus ingens Senatum invasit, qui illico legatos ad Syllam misit (8). Quam inanis invalidaque tunc temporis fuerit Senatus auctoritas, inde intelligi potest, quod, inter alia multa, haec Senatui responderit.... nihil caveret Senatus de tranquillitate : se potius Senatum et Populum posse

(1) Appianus. de Bell. civ. lib. I. cap. 60.
(2) Vell. Patercul. lib. II. cap. 21. 22.
(3) Appianus lib. I. c. 65. Vell. Patercul. lib. II. c. 20.
(4) Idem ibidem c. 69.
(5) Idem ibidem c. 70.
(6) Idem ibidem c. 71. Vell. Patercul. lib. II. c. 22.
(7) Idem. ibidem. c. 73.
(8) Idem. ibidem. c. 77.

tutos praestare, QUUM FAVENTEM SIBI EXERCITUM HABEAT (1). Postquam autem Victor Sylla, post triennium quam Cinnanae Marianaeque partes Italiam obsiderent (2), in Urbem cum exercitu ingressus est, omnia vi et terrore agitata sunt: caedes immensa Senatorum facta est (3). Formidolosus Senatus ejus acta rata fecit, ipsi auream Statuam poni jussit (4): illumque Dictatorem perpetuum Reipublicae constituendae agnovit (5).

673-684 Hic tamen crudelis vir, qui victoria adeo intemperanter usus fuerat, solus rerum potitus, ad ordinandam Rempublicam, fluctuantemque Senatus auctoritatem adaugendam animum adjecit: et quo firmioribus fundamentis suum opus firmaret, primum Tribunitias vires infringere coepit (6). Legem enim tulit, ne quis post Tribunatum ad ullum alium Magistratum admitteretur; quo fiebat, ut, nemine, vel parum nobili, magistratum hunc affectante, in contemptum adduceretur Tribunatus. Quotus enim quisque reperiatur, qui frustra niti, neque aliud, se fatigando, nisi odium quaerere velit? Praeterea Tribunis legum ferendarum potestatem ademit (7), solo intercessionis jure relicto, id est, juris specie

(1) Appianus de Bell. civ. lib. I. cap. 79.
(2) Vell. Patercul. lib. II. cap. 24.
(3) Idem. ibid. c. 28. Appian. de Bell. civ. lib. I. c. 95.
(4) Appian. de Bell. civ. lib. I. cap. 97.
(5) Idem. ibidem. cap. 99. Vell. Patercul. lib. II. cap. 28.
(6) Cf. Tit. Liv. Epitome lib. LXXXIX.
(7) Idem. ibidem.

et imagine relicta (1). Tandem consilia Drusi, quae ei exitio fuerant, exsecutus est, judiciis Equitibus ademptis, Senatuique redditis (2), quem caedibus ac proscriptionibus exhaustum trecentis Equitibus supplevit (3).

Istis itaque institutis novum splendorem acquirere videbatur Senatus : at fulgorem illum mutuabatur a tali viro, cujus vel nutum reformidare deberet. Is namque pro legibus suam habuit voluntatem, quam gladio defendere poterat (4). Nihilominus, quum Sylla, eversa tribunitia potestate, Nobilium factionem a Mario depressam erexisset, optimates eum Rempublicam regenerasse (5), profitebantur, animo haud reputantes interiisse jam Rempublicam, ex quo multoties Magistratus continuandi Marium, exercituum contrahendorum Cinnam, Syllam, Marium, qui solis Imperatoribus obsequium praestarent, lubido subegerat, ut recreari jacens nequiret, pessimo Syllae et Marii exemplo, ad omnem potentiam audacibus, ambitiosisque civibus patefacto aditu. « *Sylla fit des lois très-propres à ôter la cause des désor-*

(1) Caesar de Bell. civ. lib. I. cap. 6. Nihil aeque acceptum Optimatibus fuit, quam illa lex : Cicer. audiamus lib. III. cap. 4. de legibus. « In ista re vehementer Syllam probo, qui Tribunis plebis sua lege injuriae faciendae potestatem ademit, auxilium ferendi reliquit.

(2) Cicero pro Cluentio. cap. 56. Tacit. Ann. lib. XI. cap. 22.

(3) App. de Bell. civ. lib. I. cap. 100. Tit. liv. Epit. lib. LXXXIX. Cicer. in Verr. II. 31.

(4) Idem ibidem c. 101.

(5) « Iterum Sylla superavit : tum sine dubio habuit regalem potestatem, quanquam Rempublicam recuperavit, inquit Cicero, de Haruspicum responsis. cap. 25.

dres, que l'on avait vus, inquit MONTESQUIEU (1); *elles augmentaient l'autorité du Sénat, temperaient le pouvoir du peuple, réglaient celui des Tribuns. Mais dans la fureur de ses succès, il avait fait des choses, qui mirent Rome dans l'impossibilité de conserver sa liberté. Il entra dans Rome à main armée, et enseigna aux Généraux Romains à violer l'asile de la liberté* ». Vix e vita discesserat Sylla, quum discordia, quam internam, vivo Dictatore, inter se foverant Lepidus et Catulus, vehementissime exarsit. Tunc Senatus iterum ad preces confugere debuit. Nam, quum in eo essent Consules, ut confligerent, eos obtestatos jurejurando obstrinxit, ne armis lites componerent. Interea tamen revocabat Lepidum in Urbem; Verum praeterierant tempora illa, quibus Senatus imperio pareretur. Lepidus enim, vestigiis Syllae ingressus, cum omnibus suis copiis advenit, easque in Urbem immisisset, nisi pedem referre, armis Catuli coactus, debuisset (2). Senatus igitur, non nisi armis, potentiam suam tuebatur, ducibus ipse, quibus uteretur, obnoxius: Reipublicae interitus omen infaustum! Jam plures duces arma contra Rempublicam verterant: quorum unus Senatum Romanum adeo despexit, ut Praetor in Hispania, quam provinciam sortitus erat, trecentos amicos in concilium adhibuerit, hosque, in contumeliam Patrum, *Senatum Romanum* appellaverit (3). Et tanta auctoritate pollebat, ut Mitridates

(1) *Grandeur et Décadence chap.* 11, Cf. Levesque tom. II. p. 447.
(2) Appian. de Bell. civ. lib. I. cap. 107. Legatur oratio L. Philippi contra Lepidum apud Sallust. in fragmentis.
(3) Appianus de Bell. civ. lib. I. cap. 108.

foedus inierit cum isto Duce rebelli, qui tamen paulo post veneno periit.

Brevi tempore, invidia, (quae de honorum contentione in bello contra Spartacum exstiterat), clanculum Crassum inter et Pompeium gliscente, hic, ut auram popularem captaret, pigneratoque Plebis favore aditum sibi ad dominatum muniret, Tribunitiam potestatem, cujus Sylla imaginem sine re reliquerat (1), restituit; et quo minorem efficeret vim Senatus, judicia, Syllae legum immemor, Tribunis Aerarii, Senatoribus et Equitibus simul commisit (2), adjuvante L. Aurelio Cotta Praetore, qui invehebatur in Senatores, quod judicia male et flagitiose tuerentur, Remque publicam sistere posse negabat, nisi ad Equestrem Ordinem judicia referrentur (3). Itaque ambitiosi illi viri, spretis legibus, cum Senatus, tum Populi auctoritatem augebant. Tribuni Plebis, quorum oppressam Pompeius extulerat potestatem, primum adversus Senatus auctoritatem enixissime tendere properarunt. Cornelius enim Tribunus Plebis, quum alienum a Patribus animum haberet, indigneque ferret Senatum Populi partes indesinenter corripere, rogavit « ne quis legibus, nisi per Populum solveretur: » cui rogationi cum tot tantaque impedimenta intulissent Optimates, ut ab ea etsi gravatim decedere debuerit, ita ferre rursus coepit, « ne quis legibus solveretur,

684-694.

(1) Vell. Patercul. lib. II. c. 30. Tit. Liv. Epitom. lib. 97. Cicero de legibus lib. III. c. 9. Cicero in Verrem 1. 15.

(2) Idem pro Planc. c. 8. ad Atticum. lib. I. c. 16.

(3) Idem in Verrem III. 96.

nisi ducenti Senatores adfuissent, neve quis, cum solutus esset, intercederet, quin de ea re ad populum ferretur; quae quidem res, utut ingratis Patribus, sine tumultu acta est (1).» Dein accepti a Pompeio beneficii gratiam retulerunt, quum Aulus Gabinius Tribunus Plebis legem tulerit, «ut Cn. Pompeius ad opprimendos piratas mitteretur, qui omnia maria infestabant, atque ut esset huic imperium aequum in omnibus provinciis cum Proconsulibus usque ad quinquagesimum milliarium a mari : praeterea, ut milites, quotquot vellet, conscribere, legatos quindecim e Senatu eligere, Aerarii pecuniis pro libitu uti, ipsi liceret.» Quo plebiscito paene totius terrarum Orbis imperium uni viro deferebatur (2). Frustra Senatus obniti voluit indignabundus : «consilia enim impetu victa sunt, ait Vell. Paterculus (3).» Debellatis intra tres menses piratis, Manilius Tribunus Plebis, adversis Patrum studiis (4), legem tulit, «ut conservatis omnibus, quae Pompeio ad bellum contra piratas gerendum decreta erant, eidem bellum mitridaticum mandaretur (5), revocato Lucullo, cui hoc bellum decreverat Senatus.» Incassum obniti Patres tentaverunt. Lex lata fuit.

A profectione Pompeii ad tricipitem societatem satis magna, pro temporibus, auctoritas Senatus fuisse videtur; nam

(1) Asconii argumentum ad Ciceronis orat. pro C. Cornelio.
(2) Vell. Patercul. lib. II. c. 31. Cicero pro lege Manil. c. 19.
(3) Idem ibidem.
(4) Tit. Liv. Epitom. lib. C.
(5) Vell. Patercul. lib. II. c. 33. Cicero pro lege Manil. Plutarch. in Pompeio.

sola Senatus auctoritate Catilinae Conscii poena capitali multati sunt, licet Rullus vanos infaustosque fecerit conatus.

Ubi Pompeius, rogato, post reditum ex Asia, Senatu, ut 694-710
Patres acta sua rata facerent, repulsam passus (1), amicitiam seu potius de opprimenda Republica foedus cum Caesare et Crasso iniit, ad nihilum redacta fuit Senatus auctoritas. Caesar potentia sua fretus, rogationes in Senatu facere non dubitavit de legibus Agrariis ac de distribuendo agro Campano Civibus, qui trium liberorum patres forent (2).

Senatus imprudenter obniti voluit legi justissimae et aequitati prorsus consentaneae (3), potissimum ab eo rogatae,

(1) Appian. de Bell. civ. lib. II. c. 9. Vell. Patercul. lib. II. c. 40-44. Caesaris Pompeii ac Crassi foedus adversus Rempublicam ex inconsiderantia Senatus, propterea quod veluti dedita opera potentium horum virorum animos a se abalienaverit, utique ortum est. Cum enim Caesar, quem non mediocriter jam offenderat, quod ambienti, ut legibus solveretur, Triumphum Consulatumque simul persequi posset, Senatus abnuisset, demisso Triumpho Consulatum peteret, ac e duobus Consulatus competitoribus L. Luccio Mque Bibulo, Lucium sibi adjungeret; Optimates, quos metus ceperat, nihil non ausurum eum in summo Magistratu, concordi et consentiente Collega, Bibulo suasere, ut tantumdem polliceretur ac Luccius, et plerique pecuniam contulere, ne Catone quidem abnuente eam largitionem e Republica fieri. Igitur cum Bibulo Consul creatus est. Porro, quod quidem admodum exulceravit Caesarem, Senatus decrevit futuris Consulibus Provincias minimi negotii, id est, Sylvas Collesque; Pompeium item graviter offendit, quod ejus acta rata facere nollet. Quid igitur mirum, si uterque Societatem cum Crasso inierit, ne quid ageretur in Republica, quod displicuisset ulli e tribus. Sueton. in Caesare. 19-20.

(2) Appian. de Bell. civ. lib. II. c. 10. Vell. Paterc. lib. II. c. 44. Tit. Liv. Epit. lib. c. 3.

(3) Neminem praeterit, pro virili parte, legi intercessisse Catonem, Caesaremque adeo succensuisse Catoni, ut eum in carcerem detrudi jusserit; cum autem Catonem universus Senatus sequi non dubitasset, a proposito destitisse eum. Cf. Dio. Cass. lib. XXXVIII. c. 3. Plutarch. in Catone. Val. Max. lib. II. cap. 10. ex. 7. et Gell. Noct. attic. IV. 10.

qui nutu Senatorum Ordinem evertere poterat; Caesar enim aegre ferens in malam partem bonum Consilium a Patribus acceptum fuisse, professus se legem et ense et scuto defensurum, si ense impugnaretur : armis parta potentia usus, Senatum aliquo anni tempore non habuit, sed pro rostris cum Populo egit (1), et Pompeio et Crasso adjutoribus Plebs armata ad suffragia vocata est (2). Contempti Patres Bibulum Consulem adhortati sunt, ut Collegae sui Moliminibus obsisteret; ille autem Senatui obsequium praestando vitam in periculum adduxit. Fasces enim ejus fracti fuerunt, ipse vix effugere potuit, majore anni parte se domi tenuit, et leges Caesaris sancitae fuerunt (3).

Verum Caesar alia experimenta suae potentiae, et Senatus imbecillitatis edere voluit : scilicet Patres in suas leges jurare jussit : quumque nonnulli refragarentur, poenam capitalem Plebiscito sanciendam in eos curavit, qui jusjurandum detrectarent : sicque Senatores omnes metu et terrore compulsi paruerunt (4) praeterea, quae Senatus acta Pompeii rata reddere noluerat, Caesar ea rata reddidit (5).

(1) Appian. de Bello civ. lib. II. c. 10. Dio. Cass. lib. XXXVIII. c. 3. 4.

(2) Idem ibidem Cicero ad Atticum lib. II. epist. 16.

(3) Idem ibidem c. 11. Dio. Cass. lib. XXXVIII. c. 6. 7. Suet. in Caesare 20.

(4) Appian. de Bell. civ. lib. II. c. 12. Cicero ad Atticum lib. II. epist. 18. Cicero in Oratione, quam post reditum de Haruspicum responsis habuit, afflictum Reipublicae statum hujusce modi esse, ut recreari non possit, his verbis exprimit. c. 28. « Fuit quondam ita firma haec civitas et valens, ut negligentiam Senatus vel etiam injurias civium ferre posset, jam non potest : aerarium nullum est : vectigalibus non fruuntur, qui redemerunt, auctoritas principum cecidit : consensus Ordinum est divulsus : Judicia perierunt : suffragia descripta tenentur a paucis. »

(5) Appian. de Bello civ. lib. II. c. 12. Dio. Cass. lib. XXXVIII. c. 7.

Acceptissimus Plebi erat Caesar : eique Senatus etiam Equites conciliavit mira imprudentia, ridicula pervicacia, illosque simul a coetu suo disjunxit. Quum enim Asiani Equites, qui de Censoribus vectigalia conduxerant, questi in Senatu, se cupiditate prolapsos nimis magno conduxisse, ut induceretur locatio, postulassent (1), suasionibus Catonis, in quo merito consilium et ingenium desiderat Cicero (2), iis responsum Senatus non dedit; hacque re Publicanos, quos sibi addictos retinere Senatus intererat, a se abalienavit (3). Jam arrepta statim occasione Caesar Equites in partes suas traxit, soliusque Plebis consensu usus Publicanis tertiam partem ex collationum pretio remisit, hocce modo prorsus pessumdata Senatorum potentia (4). *Alors les Sénateurs isolés*, inquit LEVESQUE, *et réduits aux stériles jouissances de leur orgueil, virent leur puissance anéantie* (5).

Omnem rempublicam postea tres illi viri ex libitu moderati sunt, omnisque Senatus potentia ad eos redacta est (6). Caesar propria auctoritate Consulem designavit, Tribunos Plebis legit (7), singulos Magistratus sibi obnoxios reddidit, protinusque ipse in Galliam Cisalpinam profectus est, quae

(1) Cicero ad Attic. lib. I. epist. 17.
(2) Ad Att. lib. I. epist. 18.
(3) Idem lib. II. epist. 1.
(4) Attente legantur citatae epistolae Ciceronis at praecipue lib. II. epist. 9 et App. de Bell. civ. lib. II. c. 13.
(5) Vol. III. p. 85.
(6) Cicero ad Attic. lib. II. epist. 9.
(7) Idem ibidem. App. de Bell. civ. lib. II. c. 14. 15.

provincia ei obtigerat. Paulo post Vatinius, Tribunus Plebis, Illyriam et Galliam transalpinam Plebiscito, ac sine Senatus decreto, imo contra legem Semproniam de provinciis, illi addixit (1) : moxque per Senatum Galliam Comatam etiam accepit, veritis Patribus, ne, si negassent, populus et hanc daret (2). Pompeius, qui se instrumentum esse, quo uteretur Caesar, ut sibi viam ad dominationem strueret, non sentiebat, omni ope atque opera illum adjuvit. Maxime itaque, tunc temporis, Senatui invisus erat Pompeius (3). Uno eodemque tempore, Clodius, Tribunus Plebis, Pisone et Gabinio Consulibus, primum legem tulit, ne quis per eos dies, quibus cum Populo agi liceret, de coelo servaret (4); tum lege lata, ut, qui civem Romanum indemnatum interemisset, ei aqua et igni interdiceretur (5), eo Ciceronem compulit, ut migraret. Quo profecto, legem de ejus exilio, de domo solo aequanda, ac consecranda, colludentibus triumviris, tulit (6). Romula tamen sua, deliciolis suis non diu caruit Cicero. Nam Pompeius, quod id sua interesse censeret, illum, quem Clodio opponeret, brevi revocandum curavit (7). Post reditum Caesaris ex Gallia, Triumviri, etsi mutuo sibi invisi, novum tamen foedus inierunt, provinciis Consulibus Pom-

(1) Cicero ad Lentulum epist. 7. Cicero in Vatinium c. 15.
(2) Suetonius in Julio Caesare c. 22.
(3) Cicero ad Atticum. lib. II. epist. 13. 14. 16. 17. 18.
(4) Idem pro Sextio c. 15. Idem in Vatini. c. 7.
(5) Vell. Paterculus lib II. c. 45.
(6) Dio. Cass. lib. XXXVIII. c. 17.
(7) Idem lib. XXXIX. c. 6.

peio Hispaniis et Africa, Crasso Syria, Caesari Galliâ et Germania in quenquennium a Populo prorogatis, suadente L. Trebonio Tribuno Plebis (1). Verum non diu Socius Imperii fuit Crassus, qui brevi periit in Parthia (2).

Quum autem Pompeius ab Urbe abesse nollet, ut, post Caesaris profectionem, penes se cuncta forent, in Hispaniam non se contulit: sed missis in hanc regionem legatis (3), ipse prope Urbem castra metatus, unus omnia poterat (4). Denique Senatus diu incertus dubiusque, nimiam Caesaris potentiam reformidans, in partes suas Pompeium, quem ei opponeret, trahere nisus est. Honores itaque Pompeio deferendos curavit Senatus, quibus illius expleretur Ambitio. Solus enim quod, rogantibus nonnullis, ut Dictatura Pompeio demandaretur, multi contradixissent, intercessissentque, Consul electus est (5); CUJUS ILLE HONORIS GLORIA, inquit VELL. PATERCULUS, VELUTI RECONCILIATIS SIBI OPTIMATIBUS, MAXIME A C. CAESARE ALIENATUS EST.

Ex hoc tempore, pristinus iste popularis aurae captator a partibus Senatus stare coepit, cujus fulcimentum habitus est. Senatus igitur, Dominum reformidans, ipse Dominum fovebat, fideique ejus se committebat (6). Itaque Senatores in

(1) Vell. Pater. lib. II. c. 46. Tit. Liv. Epitom. lib. CV. Sueton. in Caesare. 24.
(2) Appian. de Bell. civ. lib. II. c. 18.
(3) Vell. Patercul. lib. II. c. 48.
(4) Cicero ad Quint. fratrem. lib. III. epist. 4.
(5) Appian. de Bell. civ. lib. II. c. 23. Vell. Patercul. lib. II. c. 47.
(6) Vell. Patercul. lib. II. c. 47. 49. Appian... lib. II. c. 25. Cicero ad Atticum lib. IV. epist. 4.

illo spes sitas habebant, qui principatus honorumque studiosus et appetens, dissociatis partibus, dilacerataque factionibus Republica dominationem quaerebat, neque id, ut, Civitas beata et honesta esset, agebat (1).

Pompeius, penes quem, favente Senatu, cuncta erant (2), internam quietem, Clodianis turbis eversam, et pristinam Reipublicae formam restituere visus est; cujus viri auctoritate et armis fretus Senatus arrectis animis Caesarem aspernari ac laedere incoepit. Caesar enim, quum rogasset, ut absens Consulatum petere posset, simulque, ut sibi imperium paulisper prorogaretur, repulsam passus est (3): nec ita multo post Senatus, interposita inani causa, illum, quem suis viribus privare gestiebat, duas legiones tradere coegit (4): eoque arrogantiae processit et temeritatis, ut decretum Senatus Consulto fuerit « uti ante certam diem Caesar exercitum dimitteret, si non faciat, eum adversus Rempublicam

(1) Cicero ad Atticum lib. VIII. c. 11.
(2) Appianus de Bello civ. lib. II. c. 25.
(3) Idem ibidem.
(4) Idem ibidem. c. 29. Caesar de Bello Gall. p. 388 et 389. « Fit deinde Senatusconsultum, ut ad bellum Parthicum legio una a Cn. Pompeio, altera a Caesare mitteretur. Neque obscure hae duae legiones uni Caesari detrahebantur; nam Cn. Pompeius legionem primam, quam ad Caesarem miserat, eam tanquam ex suo numero dedit.... ipse in Italiam profectus est. Quo cum venisset, cognovit per C. Metellum Consulem legiones duas ab se remissas, quae ex SC. deberent ad Parthicum bellum duci, Cn. Pompeio traditas atque in Italia retentas esse. Hoc facto, quanquam nulli erat dubium, quin arma contra Caesarem pararentur, tamen Caesar omnia petenda esse statuit, quod sibi spes aliqua relinqueretur, jure potius disceptandi, quam belli gerendi ». Cf. Dio. cass. lib. XL. c. 65.

facturum videri (1) », atque ut tribuni Plebis obnitentes et intercedentes paene violarentur (2) : quin etiam ad illud extremum et ultimum Senatusconsultum decurrere non dubitaverit : « Dent operam Consules etc., ne quid detrimenti capiat Respublica, eumque hostem patriae judicare (3). »

Quam iniqua conditione Senatus postulaverit, ut Caesar exercitum demitteret solus, retinente exercitum Pompeio, nemo est, qui non videat. Litteris enim ad Senatum missis, pluries postulaverat Caesar, ut omnes ab exercitibus discederent, nihilque ab eo relictum fuerat, quod servandae pacis causa tentari posset, sed nihil impetraverat (4). Et haec rogatio a Tribuno Plebis etiam, at incassum promulgata fuerat (5). Senatus itaque eo impulit Caesarem, ut armis partam gloriam armis defenderet ; quod si enim exercitum demisisset privatus factus, inimicorum ultioni utique cervicem haud subduxisset.

Merito igitur, meo quidem judicio, Caesar Rubiconem transiit, inimicos, qui gloriam virtute partam ipsi eripere voluerant, oppressurus. (Quid enim foedius vili isto atque contemnendo hominum genere, qui collectum labore alieno fructum sibi vindicant, honoresque, quibus ipsi indigni sunt, dignis eripiunt?) Plerique hoc perterriti nuncio Senatores

(1) Caesar de Bello civ. lib. I. p. 8. edit. Guichard. 1813. in-12.
(2) Appian. de Bello civ. lib. II. c. 33. Caesar loco citato. Cicero Philip. II. c. 21. 22.
(3) Idem ibidem Dio. cass. lib. XLI. c. 3.
(4) Caesar de Bello civ. lib. I. p. 16. Dio. cass. lib. XLI. c. 1.
(5) Appian. de Bello civ. lib. II. c. 29.

Pompeium Urbem deserentem secuti sunt (1); ac paucis interjectis diebus, Romam ingreditur Galliarum atque tot tantarumque nationum victor, ibique, convocato Senatu, verba fecit de acerbitate inimicorum suorum, sua Senatui exprobrata injustitia (2). Quum vero Senatus Caesaris conaminibus et consiliis obstare conaretur, magnus ille vir statim Pompeium persequendi consilium coepit, aerarioque potitus, Urbe egressus est (3). At brevi conclamatum erat de Pompeio. Caesaris enim gressus comitabatur victoria : Pompeius, ejus rivalis, fusus fugatusque fuit apud Pharsalum : hujusque caput mox victori oblatum; tandem, ut paucis expediam, neve diutius in iis mihi videar versari, quae a proposito aliena sunt, omnes sibi infensos Caesar delevit, omniumque victor, in Urbem regressus, clementiae ac moderationis, (quae Principum praecipua laus est), eximia dedit specimina, siquidem omnibus, qui contra ipsum arma tulerant, ignovit (4). Illius tamen vindicta reformidabatur, ad quam declinandam omnes humanos divinosque honores in eum cumulavit Senatus Populusque. Patriae enim Pater appellatus, Dictator perpetuus declaratus, Consul in decennium factus fuit (5). Illi sedes in Curia, statua inter Reges, templa, arae decretae fuerunt (6). Caesar,

(1) Appian. de Bello civ. lib. II. c. 37. Cicero Philipp. II. c. 22.
(2) Caesar de Bello civ. lib. I. p. 38. sqq. Vell. Patercul. lib. II. c. 50.
(3) Idem ibidem.
(4) Vell. Patercul. lib. II. c. 56.
(5) Appian. de Bello civ. lib. II. c. 106. Legatur Dio. cass. lib. XLII. c. 19. 20.
(6) Sueton. in Caesare c. 76.

rerum potitus, omnia pro libitu fecit (1), projecta Senatus auctoritate, quem adeo despexit, ut ipse solus Senatusconsulta, positis, quae sua sibi memoria suppeditabat, Senatorum nominibus faceret. « Ante audio Senatusconsultum in Armeniam et Syriam esse perlatum, inquit Cicero (2), quod in meam sententiam factum esse dicatur, quam omnino mentionem ullam de ea re esse factum; atque hoc nolim, me jocari putes; nam mihi scito jam a Regibus ultimis allatas esse litteras, quibus mihi gratias agant quod se mea sententia Reges appellaverim, quos ego non modo Reges appellatos, sed omnino natos nesciebam. — Quamdiu hic erit noster praefectus morum? »

Quum sibi Caesar reservasset jus eligendi inter Consulatus Tribunatusque competitores, quos vellet: ac de caetero candidatorum numero, partim, quos populus vellet, pronunciarentur, partim, quos ipse edidisset, sancivisset, Comitia cum Populo partiri, pristinumque jus ei relinquere visus est (3). Omnia tamen penes Caesarem erant, iique Ma-

(1) Cicero ad Familiares lib. X. epist. 9. « Omnia delata ad unum sunt; is utitur consilio ne suorum quidem, sed suo. Legantur etiam litterae Ciceronis ad Sulpicium et versa vice ad Familiares, lib. IV. epist. 1-6. » Afflictum Senatus statum, epist. 1. his verbis declarat Cicer... « Atque ipse antea ad te scripsissem, te frustra in Senatum, sive potius in conventum Senatorum esse venturum, ni veritus essem, ne ejus animum offenderem, qui a me, ut te imitarer, petebat. » et epist. 3. « Tandem dicam, quod te spero approbaturum, me posteaquam illi arti, cui studueram, nihil esse loci, neque in Curia, neque in Foro, viderim, omnem meam curam atque operam ad philosophiam contulisse. » Cf. etiam Epist. ad Familiares. lib. IV. epist. 14. ad Planc.

(2) Cicero ad Familiares lib. IX. epist. 15.

(3) Sueton. in Caesare c. 41.

gistratus, quos vellet, a Populo eligebantur, quippe cum Caesar tribubus mitteret breves libellos in hunc modnm : *Caesar Dictator illi tribui : commendo vobis illum et illum, ut vestro suffragio suam dignitatem teneant.* Postea vero Caesar, assiduis victoriis, felicitateque sua elatus, potentia sua abuti coepit : omnes infra se sitos habere parum contentus, supra leges etiam, quibus parere debent Principes, sancte difficili suo munere fungentes, esse voluit, nulla nec legum, nec Senatus habita ratione, ac professus nihil esse Rempublicam, suaque verba pro legibus esse habenda (1); spreto Patriae more, Magistratus in plures annos ordinavit, aliaque omnia, uti sibi commodum esset (2). Hinc salse scripsit Cicero, « Caesarem in codicillorum factis non minus longas futurorum Consulum, quam jam factorum paginas habere (3) : atque, ut vim omnem pristinis Senatoribus demeret, Senatum auxit pluribus promiscue et quibusdam quidem e semibarbaris Gallorum in Curiam receptis (4).

Quo factum est, ut insitum penitus et inustum animis veterum Senatorum, quorum potentiam adeo pessumdederat,

(1) Sueton. in Caesare c. 77.
(2) Idem ibidem. Cicero Philipp. II. c. 32. Cf. etiam Dio. cass. lib. XLIII. c. 51.
(3) Cicero ad Atticum lib. XVI.
(4) Sueton. in Caesare c. 76. 80. Dio. cass. lib. XLIII. c. 47. peregrinis in Senatum allectis, ait Suetonius in Caesare. c. 80, Libellus propositus est :

Bonum factum, ne quis Senatori novo Curiam
Monstrare velit.

et illa vulgo canebantur,

Gallos Caesar in triumphum ducit, iidem in Curia
Galli bracas deposuerunt, latum clavum sumpserunt.

odium insideret, inexpiabilisque invidia ex contumeliis erga Senatorum Ordinem orta sit cujus laedendi et offendendi nullam praetermittebat occasionem. Unicum exemplum referre non abs re erit : Quum Senatores quodam die ex Senatusconsulto Caesarem adiissent cum plurimis honorificentissimis decretis : ipse, ut simile vero est, in contumeliae signum, universos Patres Conscriptos sedens excepit, neque, licet monitus, assurgere dignatus est (1).

Verum horrida procella Caesari imminebat. Senatores enim plerique caeca rabie, quod adeo despicatui ducerentur, efferati, de illo interficiendo conjurarunt, brevique tempore Curiam sanguine ejus viri impleverunt, qui mansuetudine erga victos, clementia, moderatione, fortitudine dignus erat qui Romanis imperaret (2). At odium Senatorum sibi conflaverat, quod illos contempsisset. *On n'offense jamais plus les hommes*, ait MONTESQUIEU (3), *que lorsqu'on choque leurs cérémonies et leurs usages; cherchez à les opprimer, c'est quelquefois une preuve de l'estime que vous en faites; choquez leurs coutumes, c'est toujours une marque de mépris.*

Caede tamen Dictatoris incassum Senatus Rempublicam re- 710-727.
generare tentaverat. Sublato enim Tyranno, causa nequaquam

(1) Sueton. in Caesare c. 78.

(2) Florus lib. IV. c. 3. Sueton. in Caesare c. 82. Appianus. de Bello civ. lib. II. c. 3.

(3) *Grandeur et Décadence des Romains. c. II.*

revulsa, manebat Tyrannis (1). Urbs scilicet veteranis referta erat, quibus dona ingentia, liberalitate Caesaris parta, armis retinere, promissaque armis repetere deliberatum erat (2). Multum itaque abfuit, ut sententiam libere dicere potuerint Senatores, Curia armatis veteranis circumdata (3): eodemque tempore, cum exercitu Urbem invadente Lepido Antonii Socio (4). Inanes igitur fuere voces eorum, qui Caesarem Tyrannum declarandum, praemiaque illius interfectoribus decernenda censebant. Necessitas enim Patres Senatusconsulto sancire coegit acta et decreta Caesaris rata haberi, ac proinde Veteranis agrorum possessionem a Caesare concessam confirmare (5). Praeterea quum Consulibus Senatusconsulto permissum fuisset, ut de Caesaris actis cognoscerent, statuerent, judicarent (6), Antonius Consul, penes quem libelli Dictatoris erant, cuncta, quae vellet, iis inscribenda curavit, ut paene majorem mortuus quam vivus potestatem haberet Dictator (7). « Cui servire ipsi non potuimus, ejus libellis paremus, inquit CICERO (8), et quae Caesar nec unquam fecisset, nec passus esset, ea nunc ex falsis ejus commentariis proferuntur (9). » « *Comme le Sénat avait approuvé tous les*

(1) Cicero ad Atticum lib. XIV. epist. 11. 14.
(2) Appianus de Bello civ. lib. II. c. 119. 133.
(3) Cicero ad Atticum lib. XIV. epist. 14.
(4) Appianus de Bello civ. lib. II. c. 126.
(5) Idem ibidem c. 135. Cicero philipp. II. c. 39. Idem I. c. 2.
(6) Cicero ad Atticum lib. XVI. exemplo epist. scriptae ad Planc. 1-3.
(7) Cicero ad Atticum lib. XIV. epist. 10. Cicero philipp. II. c. 39. idem. I. c. 7. 10.
(8) Ad Atticum lib. XIV. epist. 14.
(9) Idem ibidem epist. 12. 13.

actes de César sans restriction, ait MONTESQUIEU, *et que l'exécution en fut donnée aux Consuls, Antoine, qui l'était, se saisit du livre des raisons de César, gagna ses secrétaires* (1), *et y fit écrire tout ce qu'il voulut, de manière que le Dictateur regnait plus impérieusement que pendant sa vie; car ce qu'il n'aurait jamais fait, Antoine le faisait: l'argent, qu'il n'aurait jamais donné, Antoine le donnait; et tout homme, qui avait de mauvaises intentions contre la République, trouvait souvent une récompense dans les livres de César* (2).» Huc adde, quod interfectores Caesaris nullam intenderant curam quali ratione conjurationem tuerentur, neque satis celeriter adjuti fuerunt a lento incertoque Senatu, qui cunctando perdidit rem eo tempore quo conterriti fractique Caesaris amici erant. « Meministi me clamare, ait CICERO (3) ipso primo capitolino die, Senatum in Capitolium a Praetoribus convocari: Dii immortales! quae tum opera effici potuerunt, laetantibus omnibus bonis, sat bonis, fractis latronibus! » Denique Senatus ipse suam libertatem oppressit, testamentum publice recitari, corpusque Dictatoris funere efferri sinendo. Omnis enim tunc praecisa spes fuit, omnia perierunt (4). Nam ubi Populus audivit testamento Caesaris, quo dona multitudini relicta erant, Caesaris quosdam percussorum scriptos fuisse, lachrymas cohibere non potuit. Postquam autem cruentum

(1) Appianus de Bello civ. lib. III. c. 5.

(2) *Grandeur et Décadence des Romains.* c. 12.

(3) Ad Atticum lib. XIV. epist. 10.

(4) Cicero ad Atticum lib. XIV. Epist. 10. Dio. cass. lib. XLIV. c. 35.

Caesaris corpus conspexerunt milites, quo duce decus Romani nominis toties adauxerant, et Antonius recitari jussit Senatusconsulta, quibus Caesarem Sacrosanctum, Inviolabilem, Patrem Patriae decreverat Senatus, ira, furorque omnes adeo exagitavit, ut scuta complođerent armati, et Plebes caeca rabie percita taedis domos interfectorum incenderet (1).

Antonius sibi infensum propter parentationem Caesaris lenivit, mirifice decipiendo, Senatum ad quem retulit, ut revocaretur Sextus Pompeius, Pompeii magni filius. Senatus, cui vix quidquam aeque acceptum esse poterat, imprudens transiit in partes Antonii, qui callide a Patribus impetravit, ut, vitae defendendae causa, sibi Satellites eligere liceret (2). Tum ille, oblatam arripiens occasionem, sex millium Satellitum numerum explevit, magna cum offensione Senatus, quem metus ingens invaserat (3). Antonius igitur commentariis Caesaris munitus, Satellitibus stipatus (4), ipse Consul, binis fratribus, quorum unus Tribunus, alter Praetor erat, fretus (5), inita societate cum altero Consule Dolabella (6), divitiisque refertus, quippe cum H. S. 7 millies depositum a C. Caesare ad Aedes Opis occupasset (7), clavum

(1) Appianus de Bello civ. lib. II. c. 144. Sueton. in Caesare c. 84. Cicero ad Atticum lib. XIV. Epist. 10. Dio. cass. lib. XLIV. c. 50. Cicero Philip. II. c. 36.
(2) Appian. de Bello civ. lib. III. c. 4.
(3) Idem ibidem c. 5.
(4) Cicero Philip. V. c. 6.
(5) Dio. cass. lib. XLV. c. 9.
(6) Appianus de Bello civ. lib. III. c. 7. Cicero Philip. II. c. 42.
(7) Vell. Patercul. lib. II. c. 60. Cicero ad Atticum lib. XIV. c. 14. Cicero philip. II. c. 37.

Reipublicae tenebat, et Curia militibus obsessa (1), Senatnm impune aspernatus est.

Illo regnante, projecta prostrataque jacuit auctoritas Senatus, cui agmine quadrato militum cum gladiis sequentium circumdatus (Antonius) tantum terrorem injecit, ut, interdum, quum in Senatum ire vellent Patres, metu perterriti diffugerent (2); Nec aliquam vocem parum liberam Senator unquam emittere poterat, sine vitae periculo, si quidem, Senatus armatorum corona Antonii vindicum perpetuo septus erat (3). Munera, Magistratus, Dignitates vendebat Antonius, pro libitu et arbitrio leges promulgabat, abrogabatve, Tribunorum insuper intercessione sublata, juxta auguriis: neque solum commentariis commentitiis, chirographisque venalibus innumerabilis pecunia congesta in illam domum est, quum quae vendebat Antonius, ea se ex actis Caesaris agere diceret, sed Senatusconsulta etiam pecunia accepta falsa referebat, Senatusque consulta nunquam facta ad Aerarium referebantur (4); paucis, penes eum tota Respublica erat (5). « Atque, inquit PESSIMI AULICI ADULATOR, torpebat oppressa Dominatione Antonii Civitas (6). »

Interea Romam ingreditur Octavius, Caesaris haeredita-

(1) Cicero ad Atticum lib. XV. c. 4. philip. III. c. 4.
(2) Cicero philip. II. c. 42.
(3) Idem ibidem c. 44 et passim.
(4) Idem philip. V. c. 4.
(5) Idem philip. II. c. 3. passim Cicero philip. III. c. 12.
(6) Vell. Patercul. lib. II. c. 61.

tem adeundi causa, quem sui Patris veteranis fretum, in suas partes, callide dissimulantem ac bene animatum erga Dictatoris interfectores visum trahere studuit Senatus (1), quem Antonio opponeret. Juvenis iste maximae spei senem Ciceronem blanditiis sibi devinxerat, professus se cuncta ex hujus consiliis et auctoritate Senatus acturum esse (2). Cicero itaque Senatui auctor fuit, ut rebus praeficeretur Octavius; « Huic, Patres Conscripti, inquiebat, tribuenda est auctoritas, ut Rempublicam a nobis commendatam defendere possit (3). Demus imperium Caesari, sine quo res militaris administrari, teneri exercitus, bellum geri non potest; sit pro Praetore eo jure, quo qui optimo (4). » Tandem, ut ad rem veniam, eum Senatus, quod Antonium paulo ante cum exercitu in Urbem intrare vetuerat (5), honoratum Equestri statua, decreto insuper facto, ut inter Quaestorios Senator esset, ut reliquorum Magistratuum decennio ante legitimam aetatem petendorum jus haberet, alia (6): una cum Hirtio et Pansa Consulibus Propraetorem bellum contra Antonium gerere jussit (7) (Nam Antonius hostis Patriae declaratus fuerat) (8).

Senatus indubie ab Octavio diffidebat, non secus ac Octavius

(1) Cicero ad Atticum lib. XV. epist. 12. lib. XIV. epist. 12. philip. V. c. 18.
(2) Idem lib. XVI. epist. 8. 9.
(3) Cicero philip. III. c. 2. 6. 13.
(4) Cicero philip. V. 16.
(5) Cicero philip. III. c. 2.
(6) Dio cass. lib. XLVI. c. 29. Cicero philip. V. c. 17. 19.
(7) Vell. Patercul. lib. II. c. 61.
(8) Dio. cass. loco citato.

a Senatu, qui quidem Antonii metu utebatur Octavio. Quod luculentissimis verbis patefacit vir ille, qui non raro alia sentiebat, alia dicebat. « Si multum possit Octavius, multo firmius acta Tyranni comprobatum iri, quam in Telluris, atque id contra Brutum fore; *sin autem vincitur, vides intolerabilem Antonium, ut quem velis, nescias* (1). » Senatum, tot tantisque honoribus Octavio delatis, temporibus inserviisse erga egregium singularemque hunc juvenem, nequaquam bene animatum, maximo argumento illud est, quod, fugato fusoque Antonio, referendae gratiae voluntatem non modo habuerit, sed etiam contumelia pro suis eum meritis afficere enixissime studuerit, quippe qui summis honoribus reliquos Duces, nulla Caesaris facta mentione, remuneraverit (2). « Omnia, antequam fugaretur Antonius, inquit Vell. Paterculus, honorifice a Senatu in Caesarem, exercitumque ejus decreta sunt, maxime auctore Cicerone; sed ut recessit metus, erupit voluntas, protinusque Pompeianis partibus rediit animus, Bruto Cassioque Provinciae, quas jam ipsi sine ullo Senatusconsulto occupaverant, decretae : laudati, quicumque his se exercitus tradidissent, omnia transmarina imperia que eorum commissa arbitrio..... quae omnia Senatus decretis comprehensa, comprobata sunt, et Bruto.... decretus triumphus; Caesaris adeo nulla habita mentio est, ut legati, qui ad ejus exercitum missi erant, juberentur, summoto eo,

(1) Cicero epist. ad Atticum lib. XVI epist. 14.

(2) Cf. Epitome Tit. Liv. lib. 119. Vell. Patercul. lib. II c. 62. Appian. de Bello civ. lib. III. c. 74. Dio. cass. lib. XLVI. c. 40.

milites alloqui. » non fuit vero tam ingratus exercitus, quam fuerat Senatus; nam cum eam injuriam, dissimulando, Caesar ferret, negavere milites sine Imperatore suo ulla se audituros mandata.

Ast juvenis Octavius, ubi intellexit eo Senatus spectare consilia, ut discordia Caesaris amicos labefactaret, iique gladios in se stringerent, clanculum in gratiam rediit cum Antonio, amicitiamque cum Lepido iniit, et dissimulante Senatu, dissimulatione etiam aliquando usus, tandem mentem suam patefecit. Senatus igitur, ingrati sui animi ac perfidiae significatione, in causa fuit, cur Octavius, Antonius et Lepidus, omissis privatis offensionibus, Societatem Foedusque inter se inierint. « *Αἴτιοι δὲ τῶν κακῶν τούτων αὐτοὶ ἑαυτοῖς οἱ βουλευταὶ ἐγένοντο. Δέον γὰρ αὐτοὺς ἕνα τινὰ τὸν τὰ ἀμείνω φρονοῦντα προσῆσθαι καὶ ἐκείνῳ διαπαντὸς συναίρεσθαι, τοῦτο μὲν οὐκ ἐποίησαν· ὑπολαβόντες δὲ δή τινας, καὶ ἐπὶ τοὺς ἑτέρους ἐπαυξήσαντες, ἔπειτα καὶ ἐκείνους ἀντικαθελεῖν ἐπεχείρησαν. κἀκ τούτου φίλον μὲν ουδένα, εχθροὺς δὲ πάντας ἔχον..... καὶ ἐκεῖνοι οὖν ἕνα μὲν μηδένα προσδεξάμενοι, ἄλλῳ δὲ καὶ ἄλλῳ ἐν μέρει προσθεμενοι, καὶ τὰ μὲν ὑπὲρ αὐτῶν, τὰ δὲ καὶ κατ' αὐτῶν ψηφισάμενοι καὶ πράξαντες, πολλὰ μὲν δὲ αὐτοὺς, πολλὰ δὲ καὶ ὑπ' αὐτῶν ἔπαθον* (1).

Octavius infenso cum exercitu Romam intravit : tumque miseranda conditio fuit Senatus, qui Octavium Consulem agnoscere (2), juxta Senatusconsulta quibus Antonius, Le-

(1) Dio. cass. lib. XLVI. c. 34.
(2) Tit. Liv. Epitome lib. CXIX. Dio. cass. lib. XLVI. c. 44. Sueton. in Augusto c. 26.

pidusque Patriae hostes fuerant judicati, revocare debuit (1): quosque modo laudibus extulerat, in eos animadvertere, ipsi necesse fuit (2). Denique Senatus, quondam Gentium Dominus et Moderator, tum imperio, gloria, jure agitandi exutus, nihil nisi ad serviendum agere poterat.

Postquam vero foedus sanxerant Octavius, Antonius et Lepidus, se Triumviros Reipublicae constituendae in quinquennium (3) proclamantes: servato nomine penitus interiit Senatus Resque publica. Magistratus enim, Imperium et Provincias inter se distribuerunt, veluti familiam ercisserent (4): ac, ne in posterum se erigere caputque extollere posset Senatus, vitam omnibus iis eripuerunt, qui pristini decoris desiderio, pristinaeque recuperandae potentiae studio, aliquid ipsis adversi moliri et machinari quivissent. Centum viginti Senatores, inter quos Cicero, cui facetum de Octavio dictum exitio fuit (5), vita privati sunt (6): et quo contemptior,

(1) Appian. de Bello civ. lib. III. c. 96. Vell. Paterculus lib. II. c. 65.

(2) Tit. Liv. Epitome lib. CXX.

(3) Dio. cass. lib. XLVII. c. 15. lib. XLVIII. c. 1.
Quinquennale tempus confirmaverat dicis causa Senatus; elapso vero illo quinquennio, ne imaginem quidem potentiae Populo seu Senatui reliquerant, siquidem sua sponte sibi imperium prorogaverint. Appian. de Bello civ. lib. V. c. 95.

(4) Appian. de Bello civ. lib. IV. c. 2. 3. Tit. Liv. Epitome lib. CXX.

(5) Cicero de Octavio quodam die loquens per jocum dixerat Octavium laudandum esse adolescentem, ornandum, *tollendum*, quod cum auditione accepisset Octavius, respondit se non esse commissurum ut tolli posset, cf. Cicero epistolae ad Familiares lib. XI. epist. 20, nec dictis defuit fides.

(6) Vell. Patercul. lib. II. c. 66.

abjectiorque fieret is Ordo, in numerum Senatorum homines imi subsellii cooptarunt (1); atque ex hoc tempore ad pugnam Actiacam usque prostratam mansisse Senatus auctoritatem, quis non videat? Ubi enim micat ensis, ibi muta fit vox. Mortuo Antonio, rerum summa penes Octavium mansit, Resque publica fuerat.

Octavius, armis Republica potitus, Caesaream formam instituere, seque Dominum statim gerere potuisset : quippe cum ferocissimi per acies, aut proscriptione cecidissent, ut apud TACITUM legimus (2), caeterique nobilium, novis rebus aucti, tuta et praesentia, quam vetera et periculosa mallent. Quum autem continuo illi ante oculos caedes Dictatoris obversaretur, eaque formido ipsius animum tectum et involutum faceret, dissimulatione uti, nec praecipiti cursu Principatum occupare statuit, Romanis imagine et umbra Libertatis relicta. Quamobrem rerum odiosa vocabula respuit, Dictaturamque quae sibi pertinaciter deferebatur, repulit : et quintum Consul, Tribunitia potestate perpetua, quae sibi decreta fuerat, qua aliis Imperiis antecelleret, contentus (3), Imperatoris nomine salutari se passus est (4).

(1) Dio. cass. lib. XLVIII.

(2) Tacit. Ann. lib. I. c. 2.

(3) Id summi fastigii vocabulum Augustus reperit, ait Tacitus Ann. lib. III. c. 56. ne Regis aut Dictatoris nomen adsumeret, ac tamen aliqua appellatione caetera Imperia praemineret.

(4) Dio. cass. lib. LI. c. 19. lib. LII. c. 41.

Itaque Octavius, quum rationibus suis id consentaneum esse duceret, decus et splendorem Senatui, in quem homines indignissimi foedissimique irrepserant, praemio seu gratia, flagrantibus bellis civilibus, restituere, eumque Ordinem ad pristinum modum redigere, has partes, una cum Agrippa, Censor suscepit (1), ac permittente Senatu, cujus auctoritatem plurimi facere videbatur, Patriciorum numerum supplevit, nihil prius habens, quam ut Dominationis studium prae se ferre, Remque publicam evertere nequaquam videretur. Quocirca Sextum Consul, patriarum consuetudinum diligentissimus observator, summusque Ordinis illius quondam florentissimi cultor visus, fasces una cum Agrippa communicavit, Princeps Senatus, (hoc est, sententiarum moderator et vocum dictus) (2).

Ad hunc modum, Octavius, cui summae rerum praeesse, nullo non consentiente ordine, propositum erat, Senatum delinire, ut ultro deferrent Patres, quod ipse, procul dubio, armis sibi vindicare potuisset, sua interesse ratus, nihil intentatum reliquit, ut Optimatibus fieret acceptissimus : atque eo consilio, Triumviri posito nomine, Triumviratus actis antiquatis labem maculamque inurere non dubitavit (3). Tandem, ubi cunctorum benevolentiam se sibi satis conciliasse

(1) Dio. cass. lib. LII. c. 42. Suetonius in Octavio c. 35.

(2) Idem lib. LIII. c. 1. *Auguste, revêtu de la dignité de Prince du Sénat,* inquit MABLI, *Considérations sur les Romains, tom. IV. pag.* 259. *était l'âme de cette compagnie et possédait toute son autorité.*

(3) Tacit. Ann. lib. I. c. 2. Dio. cass. lib. LIII. c. 2.

credidit, septimum Consulatum agens, quum suffragiis Senatus ad Imperium vocatus videri vellet, COMOEDIAM EGIT, professus sibi, quia procul a negotiis vivere decreverat, depositum Imperium Senatui restituere deliberatum esse (1).

Senatores autem, quorum multi animum Octavii et verba simulationis artificio tegi autumabant, dum reliqui suae fortunae Caesarum familiae acceptum referentes incrementum, ne vera loqueretur, expavescerent, certatim dispari consilio illum a suscepto proposito deducere studuerunt, nec diu oratum eo impulerunt, ut solus Principatum retineret (2).

Octavius, qui suffragante Senatu Imperii habenas tenebat, cnncta ad se trahere videri noluit, confestim distributis cum Senatu Provinciis; quod tamen haud aequabili portione eveniebat : utpote cum, officii specie, Provinciis dissitis et pacatis, quibus levia, seu nulla inessent praesidia, Senatus curae commissis, ipse Provincias Imperio confines copiisque munitas sibi reservaret, penes se hoc modo milites et arma tenens (3). *En feignant de soulager les Sénateurs*, inquit LEVESQUE, *il les tenait eux-mêmes sous sa main, et restait armé de toute la force de l'empire* (4). Ordinata sic Republica, nomen Augusti accepit Octavius : ex quo tempore pro Repu-

(1) Dio. cass. lib. LIII. c. 2. 3. 4. sqq. Sueton. in Octav. c. 28.
(2) Idem ibidem.
(3) Idem ibidem c. 12. Sueton. in Augusto c. 47.
(4) *Vol. III. pag.* 466.

blica Μόναρχια κατεστη, Senatusque Romanus summi Imperii exercendi jus in Augustum transtulit (1).

Hanc Reipublicae commutationem, ex infinita effraenataque multitudinis licentia ortam, quae cum agris, Patrum Patriciorumque aviditate paulatim expulsa esset, obsoleta lege Licinia, alienas opes petere, incertas domos habere, libertatem suam cum Republica VENALEM habere (2), iisque suffragari, Imperia dare, et continuare, qui, insatiabili Dominationis studio flagrantes, ex afflicta Reipublicae fortuna suae excitandae in spem adducti, ipsam sibi ad utilitatem suam largitionibus pignerabantur, inertia atque inopia subacta fuerat, jam longe ante portenderat Polybius (3), nimiamque libertatem Dominum gignere, mirosque esse orbes et quasi circuitus in Rebus publicis commutationum et vicissitudinum CICERO luculentis his verbis ostendit (4) : « Ex hac nimia licentia, quam illi solam libertatem putant, ait ille (Plato)

(1) Dio. cass. lib. LIII. c. 17. Naso, amabilis amorum praeceptor, Augusti cognomine cum cognominibus Magni, Maximi comparato, hos condidit versus : Fast. lib. I. vers. 607 et sqq.

Sed tamen humanis celebrantur honoribus omnes :
    Hic socium summo cum Jove nomen habet.
Sancta vocant Augusta Patres, augusta vocantur
    Templa, Sacerdotum rite dicata manu.
Hujus et Augurium dependet origine verbi,
    Et quodcumque sua Jupiter auget ope,
Augeat imperium, nostri Ducis augeat annos.

(2) Salustii Epistola I ad Caesarem de ordinanda Republica VI. Editio Barbou 1781 Parisiis.

(3) Περι διαφορων πολιτειων lib. VI. c. 3.

(4) De Republica lib. I. 29. 44.

ut e stirpe quadam existere et quasi nasci Tyrannum. Nam ut ex nimia Potentia Principum oritur interitus Principum, sic hunc nimis liberum Populum libertas ipsa servitute afficit. Sic omnia nimia, cum vel in tempestate, vel in agris, vel in corporibus laetiora fuerunt, in contraria fere convertuntur, maximeque id in Rebus publicis evenit: nimiaque illa libertas et populis et privatis in nimiam servitutem cadit. Itaque ex hac maxima libertate Tyrannus gignitur, et illa injustissima et durissima servitus. Ex hoc enim Populo indomito vel potius immani deligitur aliquis plerumque Dux contra illos Principes afflictos jam et depulsos loco, audax, impurus, consectans proterve bene saepe de Republica meritos, Populo gratificans et aliena et sua: cui quia privato sunt oppositi timores, dantur Imperia et ea continuantur, praesidiis etiam, ut Athenis Pisistratus, saepiuntur: postremo a quibus producti sunt, existunt eorum ipsorum Tyranni: quos si boni oppresserunt, ut saepe fit, recreatur Civitas; sin audaces, fit illa factio, genus aliud Tyrannorum: eademque oritur etiam ex illo saepe Optimatum praeclaro statu, cum ipsos Principes aliqua pravitas de via deflexit. Sic tamquam pilam rapiunt inter se Reipublicae statum, Tyranni ab Regibus; ab iis autem Principes aut Populi: a quibus aut factiones aut Tyranni: nec diutius unquam tenetur idem Reipublicae modus. »

LIBER TERTIUS.

HISTORIA SENATUS SUB CAESARIBUS.

PERIODUS SEPTIMA.

A septimo Augusti Consulatu ad Diocletianum Imperatorem.

727—1037.

Haec aetas ab Augusto septimum Consule ad Diocletianum aliquanto plus trecentis annis patet. Senatus Augusti instituto Potentia militari privatus ac Servitio assuefactus ab illo Principe et Tiberio voluntati Imperatorum ac nutui se accommodare debet : ex quorum ingenio plus minusve potest. Vilescit in dies ejus auctoritas, omnium partes sensim corripere et reliqua jura Senatus usurpare concupiscentibus Imperatoribus. Qua de causa paulatim obsolescunt Senatusconsulta Constitutionesque edere incipiunt Principes.

Jam a primis Caesaribus Senatus exercitibus et militibus formidini esse desinit, qui summam rerum dispensare ipsi volunt : ac brevi crescente audacia, Imperioque ad minus bonos translato, omnia susque deque movent evertuntque. Miseranda admodum est Senatorum conditio, in quos teterrimi

plerumque et Saevissimi Principes saevitiam adhibent. Sub quibusdam tamen bonis Principibus requies est a malis. Rara autem nec diuturna horum temporum felicitas! Nihilominus per illud temporis spatium Praepotentia Senatus plus minusve in confesso est; plerique enim Imperatores, licet a Milite electi, confirmantur a Senatu : ex quo consectarium illud est, summum Imperium penes Senatum fuisse. At is Ordo, cum inexpugnabilia sibi a Milite Imperatoribusque objicerentur impedimenta, vix sua jura persequi atque exercere potuit.

Ubi tranquillatis Caesaris Octaviique inimicorum exstinctione Rebus publicis, Senatum eo compulit necessitas, ut unum, qui dignitate et imperio caetera praeemineret imperia, pateretur, pristinus rerum status prorsus mutatus est, isque Ordo, qui quondam FLORENTE REPUBLICA agendi normam et leges cunctis praescribebat, civilibus fluctibus superbissimo quoque exstincto, ad nutum Domini se fingere debuit, atque Majorum ingenii degener sensim vilissimorum servorum ergastulum factus cervices ultro nefanda adulatione jugo submisit. Fateamur tamen necesse est, Octavii ejusque successoris multiplex ac involutum ingenium maxime in causa fuisse, cur residua dignitate se ipse privaret, formidinique Principibus esse desineret. Quum enim uterque, ut plurimum, aliter loqueretur, aliter sentiret, veritus Senatus ne non satis ageret, nimis fecit, ac in contemptionem se adduxit, novis indesinenter Augusto et Tiberio delatis honoribus; quo factum est, ut, quos ambobus decreverat honores, eosdem turpissimis foedissimisque Principibus suae aetatis dedecori et dehonesta-

mento decernere debuerit : ne, si secus fecisset, cujus administrandi rationem et facinora carpere visus esset, hujus vindictam cieret.

« *Le caractère personnel d'Octave*, inquit, DUREAU DE LA MALLE (1), *influa beaucoup sur cet esprit d'adulation du Sénat : comme ce Prince alla toujours au pouvoir par des voies obliques et détournées, qu'en remettant d'une main, il cherchait à retenir de l'autre : qu'il enveloppa toujours son administration de ruses, d'artifices, et de dissimulation, le Sénat de son côté se tint en garde contre des refus qui n'étaient point sincères, contre une modération qui n'était qu'apparente : dans la crainte de ne pas faire assez, il fit toujours beaucoup trop. Il se jeta dans cette excessive adulation, qui est la dissimulation des inférieurs; et comme Tibère, qui succéda à Auguste, suivit le même plan de politique et de dissimulation insidieuse : que l'administration de ces deux Princes fut longue et embrassa presque l'étendue d'un siècle, ce caractère d'adulation eut le temps de se fortifier de plus en plus; ce qui devait fortifier le pouvoir impérial. Bientôt il n'y eut plus d'infraction des lois, qui ne devint une loi, d'abus, qui ne devint un usage, d'usurpation, dont on ne fit un titre : il devint le caractère général du Sénat, qui ne reprit ses droits et sa dignité, que sous le petit nombre de bons Princes qui en respectant le Sénat, lui apprirent à se respecter lui-même.* »

(1) *Discours prélim. vol. I. pag.* 117 *et* 118.

Priusquam autem de auctoritate Senatus singulis Imperatorum temporibus dicendi exordium capiamus, res postulat ut, quo omnia magis illustria fiant, paucis anquiramus, undenam potentiam mutuatus sit Augustus, et quatenus pristina forma immutata ipsius instituto, a quo per longum temporis spatium haud multum recessum est, Caesarum Senatusque patuerit vis et potentia. De Populo obiter tantum dicemus: siquidem, qua auctoritatis imagine oblectare se illum passus fuerat Augustus, hanc ei eripere properavit Tiberius: et ut cecinit Juvenalis (1):

> « Qui dabat olim
> Imperium, fasces, legiones, omnia, nunc se
> Continet, atque duas tantum res anxius optat
> Panem et Circenses. »

Quum Augustus, quem se esse flagrantissime cupiverat, eum se videri nollet, conservationis suae studio rationem iniit, quemadmodum infinita auctoritate frueretur, quin pertimescerent Romani sibi praeesse Dominum; igitur statuit, mutatis rebus, eadem Magistratuum vocabula priscique et integri moris speciem relinquere (2). Comitia, Magistratuum omnium Dignitas, Consulum, Praetorum, Tribunorum plebis, Aedilium, Quaestorum, Senatus auctoritas, omnia, quae tempore Reipublicae florebant, illibata mansisse videbantur. Nihilo

(1) Satyr. X. vers. 77.
(2) Tacit. Annal. l. I. c. 3.

tamen minus, verso Civitatis statu, ut legimus apud Tacitum (1), omnes, exuta aequalitate, jussa Principis spectabant.

Potentiam ille mutuari voluit a Magistratibus tempore Reipublicae vigentibus : idque effecit, ut Senatus, Populusque Romanus in ipsum omnia munera cum potestate conjuncta congererent : hinc brevi et Princeps et Imperator Tribunitiam potestatem perpetuam, morum legumque regimen aeque perpetuum recepit (2), Consul perpetuus, Proconsul, Pontifex Maximus factus est (3) : ut et Pater Patriae appellatus (4). Quae cum ita fuerint, quis non videat, nullis ferme limitibus circumscriptam Augusti fuisse auctoritatem ?

Quantacunque tamen esse videretur, hanc adhuc coarctare poterant leges. Quam ob rem, quod interdum libera Republica usurpatum fuerat, se legibus solvendum Patrum decreto curabat : eo modo (anno 730) lege Cincia solutus est (5); anno sequenti decretum, ut, quoties Senatus haberetur, etiamsi Consulis munus non obiret, de qualibet re referendi jus ipsi foret : ut Proconsulatum, quem ex legibus deponere debebat, qui Romam ingrederetur, vel Romam ingressus continuaret, alia (6).

(1) Annal. L. I. c. 4.
(2) Sueton. in Octav. c. 27.
(3) Ibidem. c. 31.
(4) Ibidem. c. 58.
(5) Dio. cass. lib. III.
(6) Idem loco citato.

Illorum titulorum munerumque coagmentatio Imperatoriam Potentiam constituit, cujus robur ut perspectum cognitumque habeamus, refert scire qualem ex quolibet seorsim munere auctoritatem mutuaretur Imperator; quod etiam magno ad cognitionem neglectae saepe sensimque prostratae Senatus auctoritatis, tametsi, ut imperandi rationem instituerat Augustus, in re civili plurimum adhuc auctoritate pollebant Patres, caussarum adjumento erit.

Princeps, *Tribunitia Potentia munitus*, Sacro Sanctus fiebat, sibi invisa ingratave morari poterat, Sententias judicum, Magistratuum Decreta infringere, infirmare, appellari, ad Senatum referre, huncque non secus ac Populum (sub *Augusto*) convocare (1).

Morum Praefectus in vitam et mores cujusque inquirendi, in Equestrem Senatoriumve Ordinem adscribendi, ex hocve removendi, seu improbatos nota afficiendi jus consequebatur (2).

Pontifex Maximus insignem in Sacris et Religionibus potestatem nactus Religionem ad suos usus vertere poterat (3). *Imperator* copiis maritimis terrestribusque praeerat, bellorum suscipiendorum, exercituum conscribendorum, pacis faciendae jus habebat (4).

(1) Dio. cass. l. LIII. c. 17. Tacit. Ann. l. III. c. 56. id summi fastigii vocabulum, inquit Tacitus, Augustus reperit, ne Regis aut Dictatoris nomen adsumeret, ac tamen appellatione aliqua caetera imperia praeemineret.

(2) Dio. cass. lib. LIII. c. 17. 18.

(3) Idem ibidem c. 17.

(4) Idem ibidem.

Consul primus Urbis Magistratus erat : postremo *Proconsulatus* ea vis erat, ut Imperatores majorem in cunctis Provinciis potestatem haberent quam Praesides. Quae cum ita se habuerint, quis in dubium vocare ausit, in manu Principum fuisse Tyrannidem exercere, ut et aspernari Senatum (quod multoties usuvenit) : eumque Ordinem, si quam exercuit auctoritatem, ex quo praesertim convaluerat Principatus, jus illud a voluntate Principis mutuatum fuisse : aeque ac reliquis Magistratibus honoribusque splendorem nomine tantum mansisse. Cujus rei hoc documentum habeo, quod Principe Trajano, qui patriarum consuetudinum tam religiosus observator et videbatur et dicebatur, Plinius, quibus Cicero cum tanta potentia conjunctis defunctus fuerat honoribus, iisdem quum defungeretur, ne balineum quidem exstruendum curare, in fugitivum servum animadvertere, seu collegium fabrorum instituere, nisi venia a Trajano impetrata, auderet (1).

Quibus vero Honoribus, Magistratibus, Titulis ornatus fuit Augustus, eosdem Populum Senatumque Romanum decrevisse et detulisse, quibus Legibus solutus est, earumdem immunitatem dedisse Patres, diximus. Quae cum ita essent, non nisi summi imperii exercendi jus in illum translatum fuisse, (*l'exercice du pouvoir souverain*) summum autem imperium ipsum (*le pouvoir souverain lui-même*) penes Populum et Senatum Romanum mansisse, perspicuum est : proinde summo

(1) Plinii Epist. lib. X. epist. 30. 34. 35. 38. 39. 40. 41. 42. et omnes fere epist, lib. X.

jure Senatui Augustum, sed non Augusto Senatum obnoxium fuisse. Ecquis enim miles hoc sibi sumere audeat, ut suo Duci praemia seu aliud quidlibet deferat? Accidit illud, quod elapso quoque quinquennio seu decennio. simulanti (Augusto) imperium deponere se velle, potestatem quasi recuperatam denuo mandaret Senatus, Populusque Romanus.

Fixum igitur sit Augusti instituto Imperatorem primum tantum Urbis et Civem et Magistratum fuisse, qui Imperio Senatus legumque obnoxius esse debebat, quum ex hoc fonte ejus potentia manaret. Adeo exemplo atque instituto valuit Augustus, ut ad Probi mortem, quamvis tot tantisque motibus omnia turbata essent, jus illud Senatus stabile fuerit; nam quemadmodum a Tiberio (1), sic etiam ab omnibus ferme Imperatoribus agnitum est : qui, ut ut a Milite electi, non prius tamen suum esse confirmatum Imperium, *quam decreto* Patrum rata esset habita electio, existimarunt (2). Quo id efficitur, ut, ex quo omnis vis Populo erepta fuit, morte Principis ad Senatum rediret Imperium, jusque provehendi in primum locum penes Senatum esset. *Cela même*, inquit

(1) Ubi Tiberius imperium accepit, in hunc modum allocutus est Patres : dixi et nunc et saepe alias, Patres conscripti, bonum et salutarem Principem, quem vos tanta et tam libera potestate instruxistis, Senatui servire debere, et universis civibus saepe et plerumque etiam singulis : neque id dixisse me poenitet, et bonos et aequos et faventes vos habui dominos et nunc habeo. Sueton. in Tiberio. c. 29.

(2) Tacit. XII. 69. Spart. in Hadrian. c. 6. Capitol. in Maximino c. 16. invitum me Patres conscripti (scribit Gordianus) juvenes, quibus Africa tuenda commissa est, ad imperium vocarunt. Sed intuitu vestri necessitatem lubens sustineo, vestrum est aestimare quid velitis; nam ego usque ad Senatus Judicium incertus et varius fluctuabo. Capitol. in Marco Antonio phil. c. 7. Capitol. in Pertin. c. 4. Spart. in Jul. 3. Vopisc. in Probo. 11.

Beaufort (1), *que tous les usurpateurs tâchaient de se faire reconnaître par le Sénat, prouve que c'était proprement au Sénat à disposer de l'Empire.*

Sed dicet fortassis quispiam? nae falsus es, et suspicor te pugnantia locuturum esse, ubi latius progressus fueris. Quae supra stabiliisti, specie vera esse possunt, re autem ipsa fallacia sunt, hisque capiuntur imperiti; illum vero, qui, non quid fieri debuerit, sed quid factum fuerit, scrutari assolet, in errorem non rapies; quemadmodum enim intelligere haud operosum est, potentiam, qua Imperatori honores largiebatur Senatus, umbram potentiae potius quam potentiam fuisse ipsam atque credere Principes non Senatui unquam obnoxios esse voluisse, paucis exceptis, puta, Marco Aurelio, Tacito et Probo, sed ad id compulisse Senatum, ut sibi tanquam Dominis pareret: sic etiam manifestum est, Senatum non recuperasse unquam Imperium et detulisse, si Maximum, Balbinum, Tacitumque, qui summam potentiam acceperunt a Senatu, exceperis: tuncque Senatus extraordinaria potestate usus fuisse videtur: Imperatores enim non raro designabant, consentiente quidem, id est, contradicere non audente Senatu, qui Imperii particeps ac proin successor esset, sin minus jam ab initio Imperatorem eligebant milites, quem pro Principe habere debuit, vana inanique electionem sequente confirmatione; quod ex hoc intelligi potest, quod Claudium, stupiditate insignem, Imperatorem a militibus salutatum agnoscere ipsi necesse fue-

(1) *Républ. Romaine. p.* 270.

rit, ut Galbam, Othonem, Vitellium, aliosque multos taceam. Vides igitur te a vero aberrare! — Simili modo indubitanter (ut occupem quae hactenus silentio praeteriisti) asseres, ex quo legum ferendarum Populo adempta est potestas, legislatoriam potestatem penes Senatum fuisse? Quod autem dicere putidum sit. Hadrianum enim, ejusque Successores innumeras edidisse constitutiones, jusque novum suis edictis fecisse, ut post Caracallam de re privata, aut de jure non occurrat Senatusconsultum, nemo est qui id ignoret? Qua de re Tribonianum legas, velim, qui tibi, quae te fugere videntur, multa explanabit. »

Responsum in promptu est : quoniam jus a facultate *juris* libere exercendi, jus a facto, jus ab usurpatione (nam eo vocabulo mihi utendum est) non secernis, et Triboniani *figmenta pro veris* accipis, memet errare, erraturumque putas, si credidero ex Tiberii tempore jus legum ferendarum penes Senatum fuisse. Quae tam acute objicis, singula nunc percurram. *Potentia, qua honores titulosque decrevit Senatus, imago potentiae fuit.* Quis id neget! Etenim honores decernere debuit Caligulis, Neronibus, Domitianis; quod quidem servitium ostendit; verum tamen haec ipsa imago jus et excellentiam (*la supériorité du Sénat*) Senatus declarat.

« *Plerique Principes Senatum coegerunt, ut sibi tanquam Dominis pareret, nedum Senatui obnoxii esse vellent.* » Nemo contradicit. Quid autem eo efficitur, nisi quod Tyrannidem exercuerint, nec jura sua exercere potuerit Senatus? Ubi vero

metu solutus erat, ubi remota erant impedimenta, tunc summum imperium exercuit Senatus. Quis enim decrevit, ut Neroni imperium abrogaretur, ultimoque plecteretur supplicio? Senatus. Quis Domitiani statuas everti, ejusque memoriam deleri jussit? Senatus. Quis Heliogabali corpus in Tiberin projiciendum curavit? Senatus.

Imperium nec recuperavit nec detulit: quoniam summae rei praeficiebant Milites, electumque Imperatorem confirmare debebat Senatus. » Quid porro ex violentia ad jus inferri potest? Nihilo tamen secius, confirmatio, ut ut coacta, (rursus dico) jus Senatus demonstrat. Quod adeo verum est, ut Tyranni (*usurpateurs*) habiti fuerint omnes, quos Senatus non confirmaverat, neque inter Imperatores Romanos numerati ut Pescennius niger, Clodius Albinus, alii multi. Quae autem dicis, extraordinaria potestate usum fuisse Senatum, ubi Balbino et Tacito detulit imperium : ne haec quidem digna sunt, quae confutentur. Extra ordinem jus suum exercuit Senatus, fateor. Num vero extra ordinem fuit jus Senatui? minime.

Potestas legum ferendarum, Populo adempta, non fuit penes Senatum; quia constitutiones innumeras ediderunt Hadrianus ejusque successores ac novas leges sanciverunt. Quis tandem in dubium vocare ausit, jus illud sibi arrogasse Imperatores, qui sensim omnia in se trahebant, silente quidem Senatu, cui non satis virium erat, ut jura sua persequeretur, recuperaretve.

Quamobrem, quum omnia sat diluisse mihi videor, quae objici possunt : reliquum est, ut ad hanc veniamus clausulam : sub Augusto summum Imperium penes Senatum et Populum fuisse : illoque mortuo, penes Senatum solum, juxta legum ferendarum potestatem : Principes non nisi primores fuisse Magistratuum, qui sub Imperio Senatus esse, ejusque auctoritate uti debuissent : in his vero juribus exercendis inexpugnabilia Senatum offendisse impedimenta et a Principe et a Milite, ut ea jura vix exercuerit : aliis verbis, nullam exstitisse legem Regiam, qua Principi et in Principem jus suum omne transtulisset Senatus Populusque Rom. « *Il est vrai*, ait BEAUFORT (1), in opusculo de lege Regia, *que le Sénat a été la plupart du temps fort gêné dans l'exercice de ses droits, et quoique, par la constitution fondamentale de l'Empire, l'autorité du Prince dût être subordonnée à celle du Sénat, on voit qu'au contraire cette compagnie paraît dans une dépendance servile des Empereurs, et souvent obligée de ramper devant des monstres.... cependant le peu d'usage, que le Sénat a fait de ses droits ne prouve pas qu'ils ne lui appartinssent pas.* » Quid hac de re etiam censuerit DUREAU DE LA MALLE; audire operae pretium est. « *Le Sénat* inquit (2), *n'était point le Sénat du Prince, mais le*

(1) *République Romaine p.* 271. Cf. BEAUFORT *de la loi royale, ou étendue du pouvoir conféré aux Empereurs.* In opere *de la République Romaine p.* 255-274. Bach. Historia Jurisprudentiae Romanae l. III. c. 1. sect. I. § 3. De La Bletterie, *De l'Empereur Romain, dans le Sénat. Mémoires de l'Académie des Inscriptions. tom. XL. édit. in-12.*

(2) *Traduction de Tacite. Discours prélim. vol. I. p.* 141.

Sénat de la nation. Loin de lui commander, les Princes (qui ne sortaient pas des bornes de leur pouvoir) prenaient, en lui parlant, ou en lui écrivant, le ton de la déférence ou du respect. Quelques Empereurs allèrent même jusqu'à lui donner les titres de Majesté, d'Eminence. Qu'on lise la lettre de l'Empereur Probus au Sénat, telle qu'elle est rapportée dans Vopiscus : on verra combien c'était une chose reconnue que la Souveraineté résidait essentiellement dans le Sénat : et remarquez que Probus parlait ainsi près de trois cents ans, après Auguste, lorsque tant d'Elections tumultuaires, faites par les armées, et cette suite de Barbares élevés à l'Empire, auraient dû naturellement bouleverser toutes les idées, et confondre toutes les notions. Tant la doctrine nationale, touchant la supériorité du Sénat, était profondément imprimée dans tous les esprits.

Nunc vero, cum se se dederit occasio, sedulo et curiose investigare, qui tandem evenerit, ut auctoritas Senatus, quem Imperatoribus exercitibusque misere subjectum videbimus, cassum quiddam inanique tantum vocis sono decoratum fuerit, nec sua jura persequi vel recuperare valuerit, non alienum esse videtur. Imperatores, ut jam dixi, tot tantisque in unum congestis Magistratibus, paene infinita instructi erant potestate : nihilominus legum Senatusque Imperio, etsi jam ipsa sola potestate, quam a variis muneribus mutuabantur, in manu Caesarum erat vim Legum et Senatus infringere, haec auctoritatis exsuperantia refraenari potuisset, nisi insuperabile obstaculum objecissent Imperatores, largitionibus

milites sibi obstringendo ac devinciendo, eosque a Senatu abalienando. Quo factum est, ut omnia impune potuerint, servilique modo Senatus se immanium virorum nutui et libidini accommodare debuerit, quin sua jura persequi ipsi integrum foret. Imperatoribus contra eo facilius fuit sibi Milites devincire, quod hi non ignorabant, (ut exemplo Syllae Caesaris, aliorumque Ducum, qui copiarum fidem ingentibus praemiis remuneraverant, comprobatum erat), se multum ab uno Duce expectare posse, nihil vero a Senatu, quippe cui nihil prius esset, quam ut severe coercerentur Milites; unde accidit, ut summam rerum deferre voluerint ipsi, (quo sibi acceptum referrent Imperium Principes) et ita odio Militibus fuerint pauci Imperatores a Senatu electi, omnes erga Senatum bene animati, propterea quod vererentur ne ab his disciplina militaris restitueretur. Quibus expositis historiam Senatus sub variis Principibus adumbrare, passísque velis portum, longa atque laboriosa navigatione fessi fractique, attingere properemus.

Munia autem, quae tempore Caesarum obierint Patres, nec definire nec singula enumerare conabimur; quoniam varia pro variis Principibus fuerunt, sicque magis minusve patuit, ex ingenio Imperatorum, vis et auctoritas Senatus. Illud dicere satis sit, ea, quae novo rerum statui haud jam accommodata erant, munia exercere desiisse Senatum, ea contra exercuisse quae a Patribus exerceri Imperatorum intererat.

727-767. Augustus, penes quem non aequabili Provinciarum dis-

tributione vis armorum erat (1), initio Principatus, summa observantia Senatum coluit, non spreto Populo, cui Comitia, dicis quidem causa, residua reliquerat. De quibus cognoverat Senatus, stante Republica, etiamnum cognoscebat: Legatis quibusdam et Oratoribus Principum responsa dabat: judicia exercebat; persuasum tamen habeamus nihil aliter evenisse, ac optabat Augustus (2).

Princeps ille, quem, in tanto fortunae fastigio, tali moderatione uti omnes admirabantur, studia omnium erga se incendit, in primisque Senatus, qui gratiae referendae, et obsequii praestandi nullam occasionem, nonnunquam contra jus fasque, praetermittebat. Quemdam enim Cornelium Gallum, quod nonnulla de Augusto petulantur dixisset, sibique statuas et imagines conflandas curasset, exsilio perpetuo, consentiente universo Senatu, mulctatum, ejusque bonis Augusto addictis, eo miserum compulit, ut sibi mortem consciscere ret (3). Hujusmodi judicium dedecori fuit Senatui, cum hominem mentis non compotem, medicisque tradendum condemnasset.

(1) Dio. cass. lib. LIII. c. 12. 16. Provinciae Imperatoriae Principum, reliquae Patrum arbitrio regebantur. Cf. Dio. cass. lib. LIII. c. 12. 13. 14. 15. ex Augusti instituto. Brevi autem Principes jus illud Patrum sibi usurparunt. Cf. Beaufort, *République Romaine*, p. 343. *Les successeurs d'Auguste s'emparèrent bientôt de tout et disposèrent des Provinces du Sénat, comme de celles, qu'Auguste s'était réservées.*

(2) Dio. cass. lib. LIII c. 21.

(3) Idem ibidem c. 23.

Augustus continuo specimina dabat suae erga Patres observantiae. Quum enim decimum Consulatum gerens Populo congiarium promississet, negavit se quidquam prius scripto editurum, quam assensisset Senatus : qui ipsum plurimarum legum necessitate laetabundus liberavit, Marcello et Tiberio plurima concessit privilegia (1) : tandemque undecimo Consuli eos decrevit honores, ut Tribunitia potestate perpetua frueretur, et jure relationis, etiamsi Consulatum non gereret : ut Proconsulare Imperium haberet in perpetuum, quo major sibi in singulis Provinciis, quam earum Praefectis, semper esset Potestas (2). Non a vero abhorrere videtur Dioni Cassio, hactenus illos honores a Patribus, non adulatione, sed animi grati sincere significandi causa fuisse decretos : quippe cum Senatus consilio in cunctis ferme rebus paulo majoris momenti uteretur. Καί μοι δοκεῖ, inquit (3), ταῦθ᾽ οὕτω οὐκ ἐκ κολακείας, ἀλλ᾽ ἐπ᾽ ἀληθείας τιμηθεὶς, λαβεῖν· τά τε γὰρ ἄλλα ὡς ἐλευθέροις σφίσι προσεφέρετο. Quum enim, controversia inter Tyridatem et Phraatem orta (Phraates legitimus Parthorum Rex, cum propter saevitiam a suo Populo in exilium ire jussus esset, Parthi Regem quemdam Tyridatem elegerant :,

(1) Dio. cass. lib. LIII. c. 28. Is scribit Augusto immunitatem omnium legum fuisse concessam. Fragmentum autem Senatusconsulti, quo imperii tituli et honores decreti fuerunt Vespasiano, falsum illud esse ostendit. « Utique quibus Augustus... iisdem legibus.. solutus sit Vespasianus; » non ergo omnibus solutus est. Senatusconsultum descripsit Beaufort, *République Romaine* p. 261.

(2) Dio cass. l. LIII. c. 32.

(3) Idem ibidem. c. 33.

Rex vero pulsus in amicitiam Scytarum receptus, ereptum sibi jus armis vindicaturus erat : Tyridates hoc nuncio perculsus ad Augustum profugit auxilium praesens petiturus : Phraates contra legatos misit Romano Principi, quibus servum suum sibi remitti postularet :) (1) litem quodammodo Caesari permisisset uterque, Senatus arbitrio litem componi voluit Augustus, nec eam prius diremit ipse, quam demandata sibi a Senatu litis cognitio foret (2).

Quousque vero propensior in Senatum fuerit Augusti voluntas, non constat. Equidem existimarim illum minorem, quam antea ad auctoritatem Senatus respectum habuisse, ex quo Agrippa, quo familiarissime utebatur (Augustus) multis rebus in Hispania contra Cantabros gestis, nullas, ut mos erat, ad Senatum hac de re misit litteras Tribunitiaque potestate in quinquennium condecoratus est. Obscurum enim non est, illum, quibus clam instructus fuerat, mandata fuisse exsecutum, ut et in denegando Triumpho, quem Augustus offerre videbatur (3). Hanc meam opinionem ad verum accedere ex hoc intelligi potest, quod idem Agrippa relata ingenti victoria, ut prius, non modo non miserit quidquam iis de rebus ad Senatum, sed ne Triumphum quidem, etsi sibi a Patribus decretum ducere dignatus fuerit : cujus exemplum se-

(1) Justini Histor. lib. LII. c. 5.

(2) Dio. cass. lib. LIII. c. 33.

(3) Idem lib. LIV. c. 11. 12.

cutis omnibus, Senatus certioris faciendi, Triumphique agendi consuetudo oblitterata fuit (1). Praeterea alia plura me adhortantur ad credendum, Caesaris agendi rationem, ex illo tempore, plane mutatam fuisse. Quae reperi, quibus mea confirmetur opinio, ea omnia collegi.

Anno 736, ingentem numerum Senatorum ex Albo (Senatorum) erasit (2), Senatumque ad trecentorum summam redegisset, nisi ipsum innumerae querelae de sententia movissent (3) : eo forsitan consilio, ut omnes temporis acti adhuc memores, sibive parum gratiosos removeret. Insuper legimus apud Dionem (4) Augustum, cum ferme desereretur Curia, (quod evenisse suspicor quia Senatores intelligebant insurgere Principem, Senatumque non nisi dicis causa haberi) ingentem mulctam iis proposuisse, qui sine causa in Senatum non venissent; et anno 741, quum nemo *non modo Senatoriam* dignitatem affectaret, sed et Senatores multi Magistratu abire vellent, valetudinis caussa interposita, Augustum illos, corporibus inspectis, in Senatu manere jussisse (5) : Denique

(1) Dio. Cas. lib. LIV. cap. 24. Ex hoc tempore, solis Principibus proprium fuit triumphare. Aliis sola triumphalia insignia concedebantur. Idem lib. LIV. cap. 31.

(2) Idem ibidem cap. 13.

(3) Idem ibidem cap. 14.

(4) Idem ibidem cap. 18.

(5) Idem ibidem cap. 26. Demonstrant haec omnia fuisse, non autem videri voluisse δεσπότην Augustum. Eamdem ob causam, ne servilem sententiam emittere viderentur Senatores, sententias de majori negotio, non more atque ordine, sed prout libuisset, praerogabat, ut perinde quisque animadverteret ac si censendum magis, quam assentandum esset. Suet. in August. cap. 35.

minus frequentia Senatus concilia reddidisse, constituendo ne plus quam bis in mense legitimus Senatus ageretur (1). Quidquid sit, et quandocunque hoc evenerit : « ubi Militem donis, Populum annona, Cunctos dulcedine otii pellexit, insurgere paulatim, munia Senatus, Magistratuum, legum in se trahere coepit (2). » Primum enim concilia sibi instituerat sortiri semestria, quibuscum de negotiis ad frequentem Senatum referendis ante tractaret, quo fiebat, ut Senatui nihil agendum, nisi assentiri superesset (3), Imo, postquam ingravescente aetate annorum frigus ejus artus occupavit, a Senatu petiit viginti consiliarios annuos, quibuscum Rempublicam capesceret : Senatusque decernere debuit, ut, quae cum concilio privato statuisset, non minus rata forent, quam si ab integro Senatu sancita fuissent (4).

Servituti Patres adeo assuefecerat Augustus, ut Senatores, provecta Principis aetate, non solum de restituendo pristino rerum statu non cogitaverint, seu de successore eligendo, qui ipsis imperium referret acceptum, sed etiam Octavium, libere cui vellet tanquam haereditatem, rerum summam transmittere permiserint, post mortem Marcelli Agrippae, C.

(1) Sueton. in August. c. 35. Dio. cass. lib. LV. c. 3.

(2) Tacit. annal. lib. I. c. 2.

(3) Sueton. loco citato. Dio. cass. lib. LIII. c. 21. Parum acutus hic auctor innuere videtur jam a principio iis Consiliariis usum esse Augustum. Qui autem hujus Principis indolem, ingeniumque norit, intelliget id Augustum duntaxat instituisse, ubi ipsius convaluerat auctoritas.

(4) Dio. cass. lib. LVI. c. 28.

et L. Caesaris, quos in suam familiam induxerat (1), Imperii participe reddito Tiberio; quo factum est ut fama eadem tulerit excessisse e vita Augustum, et rerum potiri Tiberium (2).

767-790. Vix Augustus finierat vitam, cum Tiberius a Senatu nondum confirmatus Principem, Imperatoremque jam se gereret. Signum enim, praetoriis cohortibus ut Imperator, dederat: excubiae, arma, caetera Aulae, miles in forum, miles in Curiam comitabantur: et Litteras ad exercitum, tanquam adeptus Principatum, misit (3). Tiberius tamen, partim Germanici metu, qui et ingentibus exercitibus et omnium studio reformidandus videbatur (4), partim quod vocatus a Republica potius quam senili adoptione Imperium tenere videri mallet, partim voluntates Principum introspiciendi caussa, justis Augusto persolutis, comploratamque *habens abjectam* Senatorum mentem, ubi consultatum fuerat de honoribus Augusto decernendis, (inter alia multa conclamaverant Senatores se corpus ad rogum humeris suis gestaturos,) (5) eo Senatum adduxit, ut sibi summam rerum offerret. Ubi autem tanta munia detrectare visus est Tiberius, « se censere, non ad unum omnia esse deferenda, pluresque facilius munia Reipublicae sociatis laboribus exsecuturos esse, simulanter

(1) Tacit. annal. lib. I. c. 3.
(2) Idem ibidem c. 5.
(3) Idem ibidem c. 7. Dio. cass. lib. LVII. c. 2. Sueton. in Tib. c. 24.
(4) Dio. cass. lib. LVII. c. 3.
(5) Tacit. annal. lib. I. c. 8.

professus, tum ruere in Servitium Patres, quibus unus metus, inquit TACITUS (1), si intelligere viderentur; in questus, lacrymas vota, preces effundere, paucis, ad vilissimas abjectissimasque obtestationes procumbere, unum esse Reipublicae corpus, unius animo regendum proclamantes (2). Tandem quum spectaculi tot servorum satias eum cepisset, Imperium recepit quasi coactus (3).

Laeta felixque, quamdiu vixit Germanicus, (seu potius ad nonum Principatus Tiberii annum,) Senatus Romani conditio fuit : cum Tiberius metu anxius, quod milites, quibus Germanicus praeerat, amabilem fortemque hunc virum impellebant ut Rempublicam capesceret (4), maxime eum casum timens non modo nihil sibi arrogaverit in administranda Republica, sed etiam religiosissimus legum Senatusque cultorfuerit : cujus auctoritatem tanti facere videbatur, ut Consulares exercitibus praepositos, quod de rebus gestis Senatui non scriberent, quodque de tribuendis quibusdam militaribus donis ad se referrent, quasi non omnium tribuendorum jus ipsi haberent, corripuisse (5) illum memoriae proditum sit; quin etiam neque tam parvum quidquam, neque tam magnum publici privative negotii fuisse ferunt, de quo non tunc temporis ad Senatum referret : seu de vectigalibus et monopoliis, seu de extruen-

(1) Annal. lib. I. c. 11.
(2) Idem ibidem c. 11. 12.
(3) Idem ibidem c. 13. Sueton. in Tiberio c. 24.
(4) Idem ibidem.
(5) Cf. Sueton. in Tiberio c. 32.

dis reficiendisve operibus, seu de legendo exauctorandove Milite, seu de legionum auxiliorumve descriptione, denique quibus imperium prorogari, aut extraordinario bella mandari, quid et qua forma Regum litteris rescribi placeret (1): Tiberium Augusto seni disparem concilio privato res permittere non satis habuisse (2): nomen Patris Patriae Imperatorisque praenomen recusasse, ne in sua acta jurarent Patres ad obsequium semper proni, inhibuisse (3). Imo Tiberius potentiam Senatus amplificavit, translatis comitiis, proin Magistratuum eligendorum, legum sanciendarum jure e campo ad Patres (4). Verum, ut erant tunc temporis ad servitia proni Senatores, nihil egerat, nisi Populo superstitem potentiae imaginem eripere, sibique omnem asserere potentiam, qua tamen nondum abutebatur. Quamvis vero Imperium hactenus moderate exerceret Tiberius, noli tamen credere, non cuncta voluntate Principis gubernata et moderata fuisse: cum id facillime efficere potuerit, ut sua innotescerent studia, quae haud dubie pro jussis habebant Patres, foeda adulatione magis magisque se contaminantes (5), nec ubi legem inter et Tiberium Senatui disceptandum erat, victam

(1) Cf. Sueton. in Tiberio c. 30. Tacit. annal. lib. II. c. 13.

(2) Dio. cass. lib. LVII. c. 7.

(3) Suet. in Tib. c. 26. Dio. cass. lib. LVII. c. 8. 9. 10. 11. Tacit. Annal. I. I. c. 72.

(4) Tacit. ann. lib. I. c. 15.

(5) Idem lib. II. c. 32. 35. 38. passim. *Ce Prince* (Tibere) *jaloux de son autorité,* inquit Ferrière, *Histoire du Droit Romain, ch. XI; résolut d'abolir jusqu'aux moindres marques de l'ancienne liberté. Il n'antantit les droits du peuple et n'augmenta ceux du Sénat qu'afin de s'assurer insensiblement à lui-même et par dégrés tous les avantages et les prérogatives d'une Souveraineté absolue.*

projectamque fuisse legem (1). Itaque haud parum aberat, quin vera liberaque potentia penes Senatum foret. Quae, quia sic se habuisse non ignoravit Tacitus, in hunc modum scripsit (2). « Tiberius, vim Principatus sibi firmans, imaginem antiquitatis Senatui praebebat, postulata Provinciarum ad disquisitionem Patrum mittendo. » Verum tamen hac tempestate nihil Tiberio aeque odiosum et invisum erat, ac sordida turpisque adulatio Patrum in contemptionem ultro ruentium. Memoriae proditur, ait gravis prudensque Annalium scriptor, quoties Curia egrederetur, graecis verbis in hunc modum eloqui solitum : « O homines ad servitutem paratos! scilicet etiam illum, qui libertatem publicam nollet, tam projectae servitium patientiae taedebat (3). »

Quanquam, Germanico defuncto, moestam vigilantiam tristesque curas Tiberii saucius suspicaxque animus exercere

(1) Tacit. ann. lib. II. c. 11. lib. III. c. 29. 35.

(2) Idem lib. III. c. 35. Monendum censeo me ea loca Tranquilli legisse, quibus sententiae meae prorsus repugnantia reperiuntur. Quod enim negavi, videlicet, vel iis temporibus moderationis Tiberii, non cuncta ipsius voluntate gubernata fuisse, affirmat Suetonius. « Quaedam, inquit, adversus sententiam suam decerni ne questus quidem est : negante eo, destinatos Magistratus abesse oportere, ut praesentes honori acquiescerent, Praetor designatus liberam legationem impetravit. » Suet. in Tib. c. 31. « Iterum censente, ut Trebianis legatam in opus novi theatri pecuniam ad munitionem viae transferre concederetur, obtinere non potuit, quin rata voluntas legatoris esset. Cum Senatusconsultum per discessionem forte fieret, transeuntem eum in alteram partem, in qua pauciores erant, secutus est nemo. » Idem ibidem. Sed quanta fide haec Suetonii digna sint, viderit sagax lector! qui enim credi potest, homines, qui humi quasi repserant, et ad genua Tiberii modo procubuerant, ut rebus praeesse dignaretur, postea ei adversari, nec petitioni concedere, ausos fuisse. Cf. Suet. in Tib. c. 24. »

(3) Tacit. ann. lib. III. c. 65.

incoeperat, nihilo tamen secius satis boni Principis prae se speciem adhuc tulerat, viguitque Senatus auctoritas ad nonum Principatus Caesaris annum, cum repente turbari fortuna coepit, saevire ipse aut saevientibus vires praebere (1). « Congruens crediderim, inquit TACITUS (2), recensere caeteras quoque Reipublicae partes, quibus modis ad eam diem habitae sint, quando Tiberio mutati in deterius principatus initium ille annus attulit; jam primum publica negotia et privatorum maxima apud Patres tractabantur, dabaturque Primoribus disserere, et in adulationem lapsos cohibebat ipse, mandabatque honores, nobilitatem Majorum, claritudinem Militiae, sua Consulibus, sua Praetoribus species..... legesque si Majestatis quaestio eximeretur bono in usu. » Ex hoc tempore, quamdiu in Urbe mansit Tiberius, Senatus, saevitiae Principis crudele instrumentum, rata ipsius scelera fecit, innumeraque innocentium multitudo, *Judicio Patrum*, vita privata est (3). Aliis autem in rebus, quae ad se spectarent, pro nihilo Senatus auctoritatem habuit; decennali enim Principatus tempore exacto, ad continuandum imperium decreto Senatus ipsi opus non fuit (4).

Posteaquam in Capream secessit Imperator, abjectis Reipublicae curis (5), cuncta negotia Senatui administranda re-

(1) Tacit. ann. lib. IV. c. 1.
(2) Idem ibidem c. 6.
(3) Idem ibidem c. 19. 28. 31. 34. 35.
(4) Dio. cass. lib. LVII. c. 24.
(5) Tacit. ann. lib. IV. c. 67.

liquit; sed, quum flagitiosis istis temporibus exitiali funestaque peste speculatorum delatorumque, quorum multi Senatores erant (1), referta omnia essent, nihil Tiberium latebat, quasque certior ipse factus designabat victimas, earum caedem jubebat Senatus, carnificum quam Regum concilio similior coetus, cui hisce judiciis districto haud plurimum vacabat alias curare res (2) inter alios multos, unum quem paulo ante statuis omnique cultu coluerat, facinoribus insignem, nomine etiam apud posteros detestabilem (Sejanum), jussu Tiberii, capite plectere debuit, haud leve libertatis in agendo Patribus relictae argumentum (3)!!!

Multo tamen saevior factus est Tiberius sumpto de Sejano supplicio, nec jam obtegendis facinoribus, ut antea, nisus in scelera et dedecora omnis generis prorupit. Tum metu formidineque perculsi Senatores, quibus nulla de re, nisi de accusationibus cognoscere licebat, non jam censente, sed more Domini *increpante jubenteque* Tiberio (5), despicatui ac ludibrio habiti sunt a saevo principe, quippe cum injuriose et contumeliose ab ipso rogati, (etsi de reversione in Urbem minime cogitabat), ut, quoties curiam ingrederetur, secum introirent centuriones, qui scilicet vitam defenderent Principis inter si-

(1) Tacit. ann. lib. IV. c. 67. Quod maxime exitiale tulere illa tempora, inquit Tacitus, cum Primores Senatus infimas etiam delationes exercerent, alii propalam, multi per occulta. Tacit. ann. lib. VI. c. 7.

(2) Idem ibidem c. 68. 69. 70. Dio. cass. lib. LVIII. c. 1. 3. Tacit. ann. lib. V. c. 8.

(3) Dio. cass. lib. LVIII. c. 10.

(4) Idem ibidem c. 21.

(5) Tacit. ann. lib. VI. c. 12. 13.

carios versantis, facto large et sine praescriptione generis aut numeri Senatusconsulto, obtemperare (1), ignominiamque subire, hoc addito Senatusconsulto, ut, quicumque introiret in curiam, excuteretur, coacti fuerint (2); de vita enim metuentes servili et saepe facinoroso obsequio imminentem indesinenter sortem declinare contendebant. Tandem crudeli seni appropinquantem mortem praefecti Praetorii manus maturavit (3). Liberato sic imperio truculento Domino, qui, ut eleganter scribit Tacitus (4), « Egregius vita famaque, quoad privatus, vel in imperiis sub Augusto fuit, occultus ac subdolus fingendis virtutibus, donec Germanicus ac Drusus superfuere, inter bona malaque mixtus, incolumi matre, intestabilis saevitia, sed obtectis libidinibus, dum Sejanum dilexit timuitve; postremo in scelera simul ac dedecora prorupit, postquam remoto pudore et metu, suo tantum ingenio utebatur. »

790-794. Tiberium excepit Caius, cognomine Caligula, a Senatu confirmatus (5); quod promiserat in curia, se imperium cum Senatu communicaturum, arbitrio suo moderari quidquam nolle se professum per paucos menses repraesentavit, multa

(1) Tacit. ann. lib. VI. c. 15. Dio. cass. lib. LVIII. c. 17.
(2) Dio. cass. lib. LVIII. c. 18.
(3) Idem ibidem c. 28, Tacit. ann. lib. VI. c. 50.
(4) Ann. lib. VI. c. 51.
(5) Sueton. in Caligal. c. 14.

cum laude et omnium gaudio gubernata Republica (1). At ea felicitas haud diuturna fuit; brevi enim praeceps ruit in scelera, crudelior jam Tyrannus, quam initio benignior et mitior Dominus factus, terrore ferroque cuncta regens, contumeliis Senatum et probris afficere pro virili parte nisus est, omnia, vel quae jusserat ipse, Senatoribus crimini vertit (2), cum tanta trepidatione Patrum, ut, quodam die increpanti, gratias egerint, quod vitam sibi superstitem reliquisset, facto decreto, ut quotannis ejus clementiae sacrificia instituerentur (3). Ex quo tempore, omnia pro libitu et arbitrio fecit, habita ludibrio Senatus auctoritate, Comitiis Plebi, quae principio reddiderat, ereptis (4).

Quantopere Caius Senatum contempserit, ex hoc intelligi potest, quod a Patribus delatos honores cum indignatione respuerit: quoniam non eorum quidquam, quae sibi honori esse potuissent, in Senatu positum videri volebat, quasi se ipso majore polleret dignitate Senatus (5): et quosdam Senatores summis honoribus functos ad essedum sibi occurrere togatos per aliquot passuum millia, et coenanti modo ad pluteum, modo ad pedes stare linteo succintos passus fuerit (6).

In illa temporum infelicitate nunquam conveniebant Senatores, nisi metu concussis artubus, praesente Caligula: ipso-

(1) Dio. cass. lib. LIX. c. 6.
(2) Idem ibidem c. 16.
(3) Idem ibidem.
(4) Idem ibidem c. 20.
(5) Idem ibidem c. 23.
(6) Sueton. in Caligul. cap. 26.

que absente. ea deliberationum erat summa, ut adorarent Sellam Caligulae, qui se pro Deo haberi volebat, votaque pro ejus incolumitate nuncuparent (1). Tali obsequio vix cervices substrahebant vesano illi Principi qui prorsus a Senatu alienus Patrum facta infectave criminabatur (2). *C'est ici qu'il faut se donner le Spectacle des choses humaines;* ait MONTESQUIEU (3), *qu'on voie, dans l'histoire de Rome, tant de guerres entreprises, tant de sang répandu, tant de peuples détruits, tant de grandes nations, tant de triomphes, tant de politique, de sagesse, de prudence, de courage; ce projet d'envahir tout, si bien formé, si bien soutenu : à quoi aboutit-il, qu'à assouvir le bonheur de cinq ou six monstres? Quoi! ce Sénat n'avait fait évanouir tant de Rois, que pour tomber lui-même dans le plus bas esclavage de quelques uns de ses plus indignes citoyens, et s'exterminer par ses propres arrêts; on n'élève donc la puissance que pour la voir mieux renversée. Les hommes ne travaillent à augmenter leur pouvoir, que pour le voir tomber contre eux mêmes dans de plus heureuses mains.* » Tetrae hujus trucisque belluae crudelitati modus pugione impositus est (4). Interfecto Caligula, libertatem decusque pristinum recuperare fortassis potuissent Patres, nisi, diversa censentibus singulis, segnitie imtempestivaque deliberatione omnia pessumdedissent (5). Hujus cunctationis is fuit exitus, ut, quem pavore

(1) Dio. cass. lib. LIX. c. 24.
(2) Idem ibidem c. 25. Sueton. in Caligul. c. 49.
(3) *Des causes de la Grandeur et de la Décadence des Romains*, c. 15.
(4) Sueton. in Caligul. c. 58. Dio. cass. lib. LIX. c. 29. 30.
(5) Idem in Claudio. c. 10.

exsanguem in castra delatum Imperatorem salutaverant Milites, eumdem Dominum agnoscere debuerit Senatus, Militum quasi jussu (1). Claudius tametsi a Senatoribus diffide- 794-807.
bat, (Curiam enim ingredientem comitabantur Milites armati, nec quisquam, nisi excussus, eum adire poterat) (2), nihilo tamen secius a Caio prostratam recreavit Senatus auctoritatem : siquidem munera Patribus restituit, aut saltem cum ipsis communicavit (3), eosque suorum consiliorum participes factos ac in sua acta jurare prohibitos (4), gnaviter rebus invigilare voluit. Sic, exempli causa, neminem exsulum nisi ex Senatus auctoritate restituit (5). Et quoniam aegre, jure quidem ac merito, ferebat vesanos quosdam delirantesque homines pictura, aere seu lapide effigiem suam publicare, ne forte Κεφαλὴ ἢ εγκέφαλον οὐκ ἔχει multitudinis nimiam moveret admirationem, inhibuit, ne in posterum injussu Senatus aliquis sibi fingendas curaret imagines (6). Videmus etiam Claudium ad Senatum retulisse super collegio haruspicum, factumque Senatusconsultum, « viderent Pontifices quae retinenda firmandaque Haruspicum (7) : illum consultasse Patres de suo connubio (8), Senatusque decretum

(1) Sueton. in Claudio. c. 10.
(2) Dio. cass. lib. LX. c. 3. Suet. in Claudio. c. 12. 35.
(3) Idem ibidem c. 4.
(4) Idem ibidem c. 10.
(5) Sueton. in Claud. c. 12.
(6) Dio. cass. lib. LX. c. 25.
(7) Tacit. ann. lib. XI. c. 15.
(8) Idem lib. XII. c. 5.

postulasse, quo justae inter patruos fratrumque filias nuptiae in posterum statuerentur (1): (uxorem ducere Agrippinam volebat, quae sibi neptis erat.) Legatos Parthorum in Senatu fuisse auditos (2) Bisanthiosque magnitudinem onerum apud Senatum deprecatos (3): de Mathematicis pellendis factum Senatusconsultum (4): relatum ad Patres de poena feminarum, quae servis conjungerentur statutumque, ut, ignaro Domino, ad id prolapsae in servitute manerent, sin consensissent, pro libertis haberentur (5). Claudius tamen quaedam inconsulto Senatu agebat: puta, peregrinantibus extra Italiam commeatus ante a Senatu peti solitos exhibebat ipse, (Jubebat autem Senatusconsultum fieri, ut lege abesse viderentur) (6). Sancitumque fuit, ut omnia pacta, quae Claudius aut ejus legati iniissent, rata forent, quasi a Senatu facta (7).

Quanquam Clodius, aliique Principes nonnulli sibi in consilium frequenter adhibuerint Senatores, et cuncta Senatusconsultis sancienda curarent, immerito tamen arbitretur quispiam in ferendis decretis illos sui arbitrii fuisse: nae is falsus foret; e contrario persuasum omnibus sit, ex quo unus

(1) Tacit. Ann. lib XII. cap. 7.
(2) Idem ibidem cap. 10.
(3) Idem ibidem cap. 62.
(4) Idem ibidem cap. 52.
(5) Idem ibidem cap. 53. Cf. etiam Justiniani instit. lib. III. tit. 13. § 1.
(6) Dio cass. lib. LX. cap. 25. Suet. in Claudio. cap. 23.
(7) Tacit. Ann. lib. XII. cap. 60. Dio cass. lib. LX. cap. 23.

aliis antecelluit, Patres vera potentia carentes Principis tantum ministros, suis decretis non nisi ipsius imperium fuisse exsecutos; oratione enim, quam praemittere solebant Principes per se vel per suos Quaestores, quid censerent, seu, ut rem suis insigniamus nominibus, quid juberent, satis indicabant (1), et si, inscio Principe de quibusdam vel parvi momenti ad Senatum fuisset relatum, Senatusconsultum non prius conscribi Consules, quam certiore facto Principe, permittebant (2). Idque interfuisse inter varios Principes, quod hi speciem et imaginem splendoris potentiaeque relinquerent, illi demerent: censerent priores, leniter agerent persuaderentque, juberent cum crudelitate et superbia posteriores, aut ad Senatum referre plane negligerent. Quae animo impressa habere lectorem cupimus : sin aliter ejus mente falsa auctoritatis Senatus insideret imago, nec, ubi scriptum fuerit, hunc illumve Principem erexisse seu depressisse Senatum, quo valeant nostra verba, non intelligat nemo.

Nunc autem redeamus eo, unde nostra aberraverat oratio. Claudius, licet ad Senatum non raro referret, nihil tamen aliud quaerebat, quam ut sua fieret rata voluntas : et si forte, quod insolenter eveniebat, obniti conarentur Patres, frustra nisi, tandem, quod voluerat Princeps, sanciebant; qua de re nulli dubium erit, si unum protulero exemplum. Anno

(1) Heineccii Antiquitatum Syntagma. lib. I. tit. 2. § 55. lib. I. ff. de Off. Quaest. § 4. ex his, sicuti diximus, quidam sunt, qui candidati principis dicebantur, quique epistolas ejus in Senatu legunt. Sueton. in Augusto. cap. 65.

(2) Tacit. ann. lib. XIII. cap. 26.

ferme principatus Claudii quarto, cum de supplendo Senatu agitaretur, primoresque Galliae, quae Comata appellabatur, in Senatum se recipi expetiissent : quod ne eveniret, enixissime tanquam pro aris et focis contenderant Senatores : sed cum aliter Claudio visum fuisset, oratione habita, illorum impugnare sententiam coepit, atque illico Principis orationem secutum est Senatusconsultum (1). Caeterum quum ignavus imbecillusque Claudius uxoribus seu libertis devinctus esset, quidlibet patrare audentibus, facileque Principem, etsi natura mansuetum, ad scelus impellentibus, intellectu difficile non est, Senatores procellam capiti indesinenter imminentem declinare tentasse infima assentatione, multisque vita indignis decretis honoribus (2). Plinius (3) memorabile horum temporum Senatusconsultum de gratiis liberto cuidam, nomine Pallantis, quod cum ornamenta praetoria et sestertium centies quinquagesies decrevisset Senatus, honore tantum contentus pecuniam respuisset (4), agendis, ex epistolis uni inseruit. Insignem hanc epistolam, quamvis longiuscula sit, lectorum oculis subjicere operae pretium opinor.

(1) Tacit. lib. XI. c. 24. 25.

(2) Dio. cass. lib. LX. c. 14. 22. 27. 28. 32. 33. Cf. Tacit. ann. lib. XI. c. 28. 38. lib. XII. c. 1. 17. 25. 26. 41. 42. 53.

(3) Epistol. lib. VIII. epist 6.

(4) Idem lib. VII. epist. 29. Tacit. ann. lib. XII. c. 53. Fixum est aere publico Senatusconsultum, inquequo libertinus sestertii ter millies possessor, antiquae parcimoniae laudibus cumulabatur.

EPISTOLA MONTANO.

« Cognovisse jam ex epistola mea debes, (Confer. lib. VII. epistol. 29.) adnotasse me nuper monumentum Pallantis sub hac inscriptione. — Huic Senatus, ob fidem pietatemque erga Patronos, ornamenta praetoria decrevit et sestertium centies quinquagesies, cujus honore contentus fuit » postea mihi visum est pretium operae ipsum Senatusconsultum quaerere : inveni tam copiosum et effusum, ut ille superbissimus titulus modicus atque etiam demissus videretur. Conferant se, non dico, illi veteres, Africani, Achaiei, Numantini, sed hi proximi, Marii, Syllae, Pompeii, (nolo progredi longius,) infra Pallantis laudes jacebunt : Urbanos, qui illa censuerunt, putem an miseros : dicerem Urbanos, si Senatum deceret Urbanitas, miseros ergo ? Sed nemo tam miser est, ut illa cogatur. Ambitio ergo et procedendi libido ? Sed quis adeo demens, ut per suum, per publicum dedecus procedere vellet, in ea civitate, in qua hic esset usus florentissimae dignitatis, ut primus in Senatu laudare Pallantem posset ? mitto quod Pallanti servo praetoria ornamenta offeruntur. Quippe offeruntur a servis. Mitto quod censent non exhortandum modo, verum etiam compellendum ad usum aureorum annulorum. Erat enim contra Majestatem Senatus, si ferreis praetorius uteretur. Levia haec et transeunda : illa memoranda, quod nomine Pallantis Senatus (nec expiata postea curia est) Pallantio nomine Senatus gratias agit Caesari, quod et ipse cum summo honore mentionem ex iis prosecutus esset, et Se-

natui facultatem fecisset testandi erga eum benevolentiam suam. Quid enim Senatui pulchrius, quam ut erga Pallantem satis gratus videretur? Additur, ut Pallas, cui se omnes pro virili parte obligatos fatentur, singularis fidei, singularis industriae fructum meritissimo ferat. Prolatos imperii fines, redditos exercitus Reipublicae credas. Adstruitur his, « quum Senatui Populoque Romano liberalitatis gratior repraesentari nulla materia possit, quam si abstinentissimi fidelissimique custodis principalium opum facultates adjuvare contigisset. Hoc tunc votum Senatus, hoc praecipuum gaudium Populi, haec liberalitatis materia gratissima, si Pallantis facultates adjuvare publicarum opum egestione contingeret. » Jam quae sequuntur : « voluisse quidem Senatum censere, dandum ex aerario sestertium centies quinquagies; et quanto *ob* ejusmodi cupiditatibus remotior animus ejus esset, tanto impensius petere a publico parente, ut eum *compelleret ad cedendum* Senatui, » id vero deerat, ut cum Pallante auctoritate publica ageretur, Pallas rogaretur, ut Senatui cederet, ut illi superbissimae abstinentiae Caesar ipse advocatus esset, ne sestertium centies quinquagies sperneret. Sprevit quod solum potuit, tantis opibus publice oblatis, arrogantius facere, quam si accepisset. Senatus tamen, id quoque similis querenti, laudibus tulit, his quidem verbis : « Sed quum Princeps optimus, parensque publicus, rogatus a Pallante, eam partem sententiae, quae pertinebat ad dandum ei ex aerario centies quinquagies sestertium, remitti voluisset : testari Senatum et se libenter ac merito hanc summam inter reliquos honores ob fidem diligentiamque Pallanti decernere coepisse : voluntati

tamen Principis sui, cui in nulla re fas putaret repugnare, in hac quoque re obsequi. » Imaginare Pallantem velut intercedentem Senatusconsulto, moderantemque honores suos, et sestertium centies quinquagies, ut nimium recusantem, quum Praetoria ornamenta, tanquam minus recepisset. Imaginare Caesarem, liberti precibus vel potius imperio, coram Senatu obtemperantem; imperat enim Libertus Patrono, quem in Senatu rogat. Imaginare Senatum, usquequaque testantem, merito libenterque se hanc summam inter reliquos honores Pallanti coepisse decernere, et perseveraturum fuisse se, nisi obsequeretur Principis voluntati, cui non esset fas in ulla re repugnare. Ita, ne sestertium centies quinquagies Pallas ex aerario ferret, verecundia ipsius, obsequio Senatus opus fuit, in hoc praecipue non obsecuturi, si in ulla re putasset fas esse non obsequi. Finem existimas; Manedum et majora accipe. « Utique, quum sit utile, Principis benignitatem promptissimam ad laudem praemiaque merentium illustrari ubique; et maxime his locis, quibus incitari ad imitationem praepositi rerum ejus curae esse possent, et Pallantis spectatissima fides, atque innocentia exemplo provocare studium tam honestae aemulationis possit, ea, quae quarto Kalendas Februarias, quae proximae fuissent, in amplissimo Ordine optimus Princeps recitasset, Senatusque consulta de iis rebus facta in aes inciderentur, idque aes figeretur ad statuam Loricatam Divi Julii. » Parum visum, tantorum dedecorum esse Curiam testem, delectus est celeberrimus locus, in quo legenda praesentibus, legenda futuris proderentur, placuit aere signari omnes honores, fastidiosissimi mancipii, quosque repudiasset,

quosque, quantum ad decernentes pertinet, gessisset. Incisa et insculpta sunt publicis aeternisque monumentis Praetoria ornamenta Pallantis, sic quasi foedera antiqua, sic quasi sacrae leges. Tanta Principis, tanta Senatus, tanta Pallantis ipsius.... quid dicam, nescio, ut vellent in oculis omnium figi, Pallas insolentiam suam, patientiam Caesar, humilitatem Senatus, etc.

807-821. Claudio nefandis Agrippinae artibus e medio sublato (1) Imperatorio nomine consalutarunt milites Neronem a Claudio adoptatum per Patres (2), et quasi Imperatoriis insignibus vivo Principe jam decoratum (3), et sententiam militum secuta Patrum consulta sunt (4). Senatus igitur, qui, ne mortuo quidem recuperata potentia Principe, a successore imperii militi postponebatur, (Nero enim primum in castra se contulerat,) (5) misera conditio, infirmaque *auctoritas* erat. Nero, quod primum in curiam ingressus, Principatus praescripturus formam, inter alia multa, se antiqua munia Senatui relicturum, seque moderate imperaturum, promiserat (6), id principio et per paucos praestitit annos; « nec defuit fides (Neronis dictis) inquit TACITUS, de Principatus initio loquens, multaque arbitrio Senatus constituta sunt; ne quis ad causam orandam mercede aut donis emeretur; ne designa-

(1) Tacit. ann. lib. XII. c. 56. 57.
(2) Idem ibidem c. 26.
(3) Idem ibidem c. 41.
(4) Idem ibidem c. 69.
(5) Idem ibidem.
(6) Idem lib. XIII. c. 4.

tis quidem Quaestoribus edendi gladiatores necessitas esset (1); et revera de multis rebus diversis cognovisse Senatum videmus passim apud TACITUM (2). Nihilo tamen secius tantum aberat, ut libere agerent Patres, ut contra nihil quidquam statuere, nullaque de re Senatusconsulta injussu Principis, ipsove inconsulto, praescribere auderent Consules (3). Vix Principatum inierat Nero, cum Senatores abjectissima et funestissima adulatione certatim quasi de industria juvenilem ejus animum corrumpere, superbiaque et in homines contemptione inficere studuerunt (4). Itaque brevi in flagitia libidinesque omnis generis, exuta humanitate, prorupit, et tandem, ubi flagitiis jam coopertus scelerum mensuram, horrendo detestabilique parricidio cumulatiorem reddidit, trucem et tigribus hyaenisque, ut minutim discerpta viscera ferarum quas crudelitate superaverat, laniatibus lacerarentur, nec unam perferret mortem, objiciendam hanc belluam honoribus ac gratiis prosecutus est vilis iste mancipiorum grex (5); cujus, paulo post ob laudatum indubie scelus in Agrippinam, animi grati significandi causa, honorem auxit, statuendo ut, qui a privatis judicibus ad Senatum provocassent, ejusdem pecuniae periculum facerent, cujus ii, qui ad Imperatorem appellarent (6).

(1) Tacit. ann. lib. XIII. c. 5.
(2) Ibidem c. 26. 28. 32. 44. 49. 50. lib. XIV. c. 41. lib. XV. c. 19.
(3) Idem ibidem c. 26. lib. XIV. c. 49.
(4) Idem ibidem. c. 8. 10. 11. 41.
(5) Idem lib. XIV. c. 12. 13.
(6) Idem ibidem c. 23.

Neminem vero praeterit, mortuo Burrho, Neronem crudelitate jam insignem dedecoribusque coopertum, crudeliorem etiam factum esse. Ex quo tempore, nec sacro, nec profano abstinuit: Romam tabo infecit, innumerumque victimarum numerum ultioni suae mactavit. Sed, o nefas! o *scelus!* Patrum decretis flagitia pleraque patravit, cunctaque scelerum suorum pro egregiis accipi vidit (1); et quoties fugas et caedes jussit Princeps, toties grates diis actae sunt, ait TACITUS (2): quaeque rerum secundarum olim, tunc publicae cladis insignia fuere (3). Ea erat temporibus istis Senatorum conditio, qui, quod principiis non obstitissent, tum eo compulsi erant, ut scelerum Neronis fautores auctoresque fierent. Etenim usque eo arrogantiae processerat Nero, ut, cum de obsequio Senatus in condemnanda illustri victima dubitaret, Curiam gladiis vibrantibus obsideret, tumque orationem suam legendam curaret (4). Etsi omnimodo illius iram a se arcere tentabant Senatores, multos tamen interemit, ultimisque temporibus tanto odio in Senatum flagravit, ut pluries minaretur, se hunc Ordinem e Republica sublaturum (5), et in auspicando opere Isthmi sui, Populi Romani, non autem Senatus mentionem fecerit. Tandem, quum intoleranda essent ejus scelera, ab omnibus vel a militibus, quos praesidia regni habuerat, animo haud reputans firmissimum regni

(1) Tacit. ann. lib. XIV. c. 60.
(2) Ibidem c. 64.
(3) Cf. etiam Tacit. ann. lib. XV. c. 73. 74. lib. XVI. c. 9. 12. 16. 24. 26.
(4) Idem. lib. XVI. c. 27. 29.
(5) Sueton in Nerone c. 37.

munimentum esse Populorum amorem, destitutus est. Tum Senatus, quoniam se id tuto facere posse intelligebat, hostem patriae illum judicavit, decrevitque ut more Majorum puniretur (1).

Insigne in historia Imperatorum Romanorum, progeniei Caesarum, quae defecit in Nerone (2), exstinctio, tempus est; Nam etsi hactenus Imperatorium regimen armis innixum tutaverant arma, juris tamen haereditarii species quaedam Militum temperaverat potentiam, nec cuilibet ad Dominatum promiscue viam munire suo arbitrio potuerant. Ast, ubi vita concessit Nero, evulgatum fuit Imperii arcanum, posse alibi Principem quam Romae fieri: et quod perniciosius erat, cunctorum Ordinum auctoritatem vim militarem praeeminere (3). Praetoriani Milites non soli fas sibi esse duxerunt imperium dare; siquidem Provinciarum exercitus, sibi non minus licere, quam Praetorianis imperium deferre, rati, summam rerum suis Imperatoribus etiam tradere voluerunt; quo factum est, ut, intra angustum temporis spatium, ceu inanes species, Galba, Otho, Vitellius evanuerint, turbato foedatoque militum licentia Imperio: donec decus pristinumque splendorem nutanti jam Reipublicae Vespasianus, et qui eum primi excepere, si Domitianum exceperis, restituerent. 821-823.

(1) Suet. in Nerone c. 49.
(2) Idem in Galba c. 1.
(3) Tacit. in hist. lib. I. c. 4.

A morte Neronis, usque dum bello civili finem imposuierat Vespasianus, in hac crebra Principum mutatione, projecta fuit Senatus vis et auctoritas qui, militum, omniumque factionum mancipium et ludibrium, inani ridiculaque confirmatione, temporibus inserviens, pro Domino victorem, qualiscumque esset, habere, saevis morosisque Heris omnia permittere, iisve, qui imbecillum Principis animum regerent, debuerit (1). « Magna igitur et misera Civitas eodem anno Othonem Vitelliumque passa inter Vinios, Fabios, Jcclos, Asiaticos, varia et pudenda sorte agebat, inquit TACITUS (2) donec successere Mucianus et Marcellus et magis alii homines quam alii mores. »

Ea tempestate, prostrati hujus Ordinis, qui quondam, ante haec infausta Civitati gentium Dominae tempora, quibus dominandi studio accensi *primum perniciosum* arma contra Patriam vertendi exemplum praebuere Imperatores, nomine et vindictae fama omnes officio retinebat, ad officiumve reducebat, adeo eviluerat auctoritas, ut missi ad Vespasianum a Senatu, auctore Vitellio, legati, qui de componendo bello agerent, non modo durum atque atrox tulerint responsum, sed etiam extremum discrimen a Milite adierint pacis conditiones aspernante (3), et ni dato a Duce praesidio defensi forent, ait TACITUS, sacrum etiam inter exteras gentes legatorum jus ante ipsa Patriae moenia civilis

(1) Tacit. histor. lib. I. c. 6. 7. 47. 50. 78. 81. 82. lib. II. c. 52. 55.
(2) Ibidem lib. II. c. 95.
(3) Idem lib. III. c. 80. 81.

rabies usque in exitium temerasset. Causam tanti Senatus despectus solito acumine immortalis vir, qui fastigii et occasus Romanorum causas explanavit, exponit (1).

« *Comparons ici les temps*, inquit, *lorsque Tibère commença à regner, quel parti ne tira-t-il pas du Sénat? Il apprit que les armées d'Illyrie et de Germanie s'étaient soulevées, il leur accorda quelques demandes, et il soutint que c'était au Sénat à juger des autres* (2). *Il leur envoya des Députés de ce corps; ceux, qui ont cessé de craindre le pouvoir, peuvent encore respecter l'autorité; quand on eût représenté aux soldats, comment dans une armée romaine les enfans de l'Empereur et les envoyés du Sénat Romain couraient risque de la vie* (3), *ils purent se repentir et aller jusqu'à se punir eux-mêmes* (4). *Mais quand le Sénat fut entièrement abattu, son exemple ne toucha personne. Envain Vitellius envoie-t-il les principaux Sénateurs pour faire sa paix avec Vespasien, on ne rend point, dans un moment, aux ordres de l'état le respect, qui leur a été ôté si long-temps; les armées ne regardèrent ces députés que comme les plus lâches esclaves d'un maître, qu'elles avaient déjà reprouvé.* »

Imperium Romanum, compositis externis civilibusque bellis, 823-831.

(1) MONTESQUIEU, *Grand. et Décad. des Romains. c.* 15.
(2) Tacit. ann. lib. I. c. 25.
(3) Idem ibidem c. 42.
(4) Idem ibidem c. 44.

tandem a tantis malis requievit. Vespasiani enim per totum Imperii tempus eo spectarunt omnia consilia, ut milites, qui ad effrenatam licentiam et audaciam processerant, coerceret, atque afflictam nutantemque Rempublicam stabiliret (1), Ordinibus cunctis sua dignitate, pristinoque splendore restitutis. Quo consilio Senatorium ac Equestrem Ordinem, caede varia exhaustum, veterique negligentia contaminatum purgavit, recensuitque (2). Intellectu facile est, hunc Principem, qui non se super leges, sed leges super se rebatur, plurimi fecisse auctoritatem Senatus. Litterarum enim monumentis prodit Dio (3), in Curiam frequenter venisse Vespasianum, cum Patribus omnia litteris seu voce communicasse; ac duorum Senatusconsultorum mentionem facit Suetonius (4), quibus constat illum in negotio paulo majoris momenti Senatus auctoritatem usurpasse et coluisse.

QuumVespasianus fato concessisset, *Titus*, qui *Patris* Collega in Tribunitia potestate, septemque Consulatibus, hoc est, con-
831-834. sors Imperii fuerat (5), solus rerum potitus est : is non modo Patris vestigiis ingressus est, sed eum etiam vicit, et omnibus virtutibus, quae bonum principem ornant, amor et deliciae generis humani vocatus est. Etsi nullibi, quanti Senatum fecerit reperimus : nihilominus sub tali Principe, non florere Senatus auctoritas non potuit; illud tamen satis argumenti est,

(1) Suet. in Vespasiano c. 8.
(2) Idem ibidem. c. 9.
(3) Lib. LXVI. c. 10.
(4) Suet. in Vespasiano c. 11.
(5) Idem in Tito. c. 5.

quantopere acceptum se praestiterit Patribus, quod, ut palam factum est, crudeli fato Titum Romanis fuisse ereptum, Senatus, non jam servili obsequio, expromenteque necessitate, sed moerentibus cunctis, grati animi significandi causa erga manes hujus Principis, qui, usquequaque hominem se esse memor, beneficiis innumeris propitii Numinis speciem Quiritibus praebuerat, priusquam Edicto convocaretur, ad Curiam concurrerit, tantas mortuo gratias egerit, et laudes congesserit, quantas ne vivo quidem unquam, nec praesenti egisset (1).

Verum non adeo felix beataque fuerat, imperantibus Vespasiano et Tito, Senatus conditio, quam Domitiano misera fuit : qui, ut Principatum adeptus est, nihil antiquius habuit, quam ut contemptum erga Patres testificaretur, professus in Senatorum contumeliam Patri se et Fratri imperium dedisse, illos sibi reddidisse (2). 834-849.

Dominatus principio, quum, crudelem ejus indolem, licet dissimulationis tegumentis paulisper obtegeretur, perspectam habentes, jure ac merito veriti Patres, ne saevitiam praecipue in Senatorium Ordinem adhiberet, efflagitassent, ut Senatusconsultum fieret, quo necandi Senatores licentia Principi adimeretur, indicta apud Patres causa, abnuit Domitianus, quamvis non intelligere non posset, nihil interesse, utrum arbitrio suo, an arbitrio Patrum caedem juberet (3).

(1) Suet. in Tito. c. 11. Eutrop. lib. VII. c. 22.
(2) Idem in Domitiano c. 13.
(3) Dio. cass. lib. LXVII. c. 2.

Brevi erumpente saevitia, cum aliis in rebus Rempublicam voluntate sua moderaretur, Patresque contemneret, ad saevitiam tamen et libidinem explendam, Senatus auctoritate saepe usus est, indubie voluntates introspiciendi causa, novasque hostias in Curia reperiendi. Ferunt enim illum, cum quadam die nonnullos Majestatis reos in Curiam induxisset, praedixisse experturum se illa die, quam charus Senatui esset (1). Quo fiebat, ut metu et pavore trepidantium Patrum atrox in sontes, insontesve semper esset sententia : postremo, quasi nondum satis obsequii praestitissent, Curiam obsessam, clausum armis Senatum tenuisse (2).

Quid, infaustis istis temporibus, convocato Senatu ageretur, hunc in modum descripsit PLINIUS (3). « *Quis* loqui, quis hiscere audebat praeter miseros illos, qui primi interrogabantur? caeterique quidem defixi *et attoniti*, *illam* mutam ac sedentariam assentiendi necessitatem, quocum dolore animi, quocum totius corporis horrore perpetiebantur? Unus solusque censebat, quod sequerentur omnes. »

Quae supra diximus, Patrum consilio in moderanda Republica uti dedignatum Domitianum, trepidosque Senatores nefariis, sed coactis decretis, hanc feram permulcere, salutis studio, enixos fuisse, non obscuris verbis aperit PLINIUS (4).

(1) Suet. in Domitiano c. 11.
(2) Tacit. Agricol. c. 45.
(3) Panegyr.
(4) Epist. lib. VIII. epist. 14.

« Nos etiam, inquit, prospeximus Curiam, sed Curiam trepidam et elinguem; quum dicere quod velles, periculosum, quod nolles, miserum esset. Quid tunc disci potuit, quid didicisse juvit, quum Senatus aut ad otium summum, aut ad summum nefas vocaretur, et modo ludibrio (1), modo dolore retentus, nunquam seria, tristia saepe censeret. Eadem mala jam Senatores, jam participes malorum, multosque annos vidimus tulimusque, quibus ingenia nostra in posterum quoque hebetata, fracta, contusa sunt. »

Tandem post longam Tyrannidem, Domitianus saevitia et crudelitate odiosissimus factus, plerorumque Tyrannorum sortem perpessus est. Tum Senatus, quem vivum prae formidine honoribus innumeris cumulaverat, mortuum, quod impune agendi sibi potestas esset, contumeliosissimo atque acerbissimo acclamationum genere laceravit. Corpus ejus ad Gemonias projici, imagines ejus coram detrahi jussit, eradendos ubique titulos, abolendamque omnem memoriam decrevit (2).

Nerva clavum Reipublicae tenente, floruit dignitas Senatus, et pulso timore, quo jamdudum voces praeterquam ad servitium compressae haeserant, suos jam animi sensus libere aperire non cunctabantur Patres. Nerva Senatui tantum tribuebat, ut memoriae proditum sit, illum vix quidquam in- 849-850.

(1) Alludit utique ad rhumbum.
(2) Sueton. in Domitiano c. 23.

consulto hocce Ordine egisse, et quum jurasset, se suo jussu nunquam Senatori vitam erepturum, vel insidiis a Senatoribus quibusdam petitum, non tamen a promissis non stetisse (1). Nihilosecius, primum in locum, quin prius ad Senatum referret, Trajanum adoptione provexit; quod argumento est, in rebus etiam maximi momenti, optimos quoque Principes interdum ne imaginem quidem potentiae et auctoritatis Senatui reliquisse, ejusque vires in dies praecidi. Quid enim majus, quid deliberatione Patrum dignius, quam de eo eligendo cui committeretur Respublica? Tiberius summae rei quosdam etiam praefecerat, verum tamen per Senatum (2). Domitium adoptaverat Claudius, sed ex auctoritate Senatus (3). Nerva autem solo arbitrio suo eum designaverat, qui, donec viveret ipse, curarum particeps, mortuo succederet. Hanc vero inconsultis Patribus factam fuisse adoptionem, ex panegyrico Trajani, operis genere in scribenda historia non prorsus rejiciendo, dummodo flosculos et tegumenta removeris, cognoscimus (4). Plinii verba attente, quo valeant, perpendere operae pretium est. « Audiebas Senatus Populique consensum (5), non unius Nervae judicium illud, illa electio fuit; nam, qui ubique sunt homines, hoc idem votis expetebant. Ille tantum jure Principis occupavit, primusque fecit, quod omnes facturi erant. »

(1) Dio. cass. lib. LXVIII. c. 2.
(2) Tacit. ann. lib. III. c. 36.
(3) Idem lib. XII. c. 25. 26.
(4) Plinii Panegyric.
(5) Non quidem ante, sed peracta adoptione.

Mortuo Nerva, Princeps et Dominus fuit Trajanus, qui insigni temperamento potentiam fortunamque suam moderatus est. Res Patrum, illo regnante, satis laetae pro temporibus fuerunt : multumque abfuit, ut ludibrio aut contemptui Senatum habuerit, ut contra Ordo ille suo arbitrio in multis rebus usus fuisse videatur, ac pristina quaedam, praesertim in judiciis, munia exercuisse (1). In rebus tamen majoris momenti, ne quis arbitretur inconsulto Principe aliquid sancire ausum fuisse Senatum, aut cum ad Senatum referret, non omnia ex ipsius voluntate acta fuisse : quanquam exclamat Plinius, in his servilibus laudibus, quantopere servituti callum obduxerant Romani indicantibus, « eadem Caesar, quae Senatus, probat improbatve ; vos ille praesentes, vos etiam absentes in consilio habet (2) » plurimumve, ut quondam, apud Romanos et Senatus auctoritatem et Patrum decreta valuisse : minime. Ii Romani Avorum superbiae immemores non jam Senatum metuebant, jussa Imperatoris aspectare cunctos, solum Principem reformidare. Quae quidem si sic se habuisse probavero, mihi satisfecisse videbor Viris sagacissimis ac praestantissimis, qui, ut fons rerum aperiretur, merito postularunt. — Jam pridem vaeniebant advocationes : legibus multis, pluribus Senatusconsultis malo occurrere tentaverant Patres, incassum autem. Principe Trajano, Tribunus plebis quidam in media Curia, postquam capita legum reci- 850-870.

(1) Plinii epistol. lib. III epist. 4. 9. lib. IV. epist. 9. 29. lib. V. epist. 4. lib. VIII. epis. 14. lib. II. epist. 11.

(2) Plinii Panegyr. p. 182.

taverat Senatusque consultorum, in fine dixit : petendum ab optimo Principe, ut, quia leges, quia Senatusconsulta contemnerentur, ipse tantis malis mederetur : et, ut tradit PLINIUS (1), paucis interjectis diebus, libellum emisit Princeps. Ecquid manifestius debilis et invalidae auctoritatis Senatus reperiri potest argumentum ? Quod adeo sentiebant Senatores, ut, ad metum incutiendum non suam ulli, sed Principis vindictam minitarentur. « Excanduit Senatus, inquit PLINIUS (2), magnoque clamore ei, qui scripsisset, iratum Principem est comprecatus. » Tandem, ne quis memet errasse opinetur, quod dixerim rem minime dubitandam esse, quin Senatus Principis voluntati, ubi de re paulo majoris momenti, quam quidem in deliberationem Patrum venire permittebat, ageretur, obsecutus fuerit, Plinio utar in Plinium, cujus panegyrico si credideris, stare adhuc veterem Rempublicam, omnibusque Ordinibus suum manere *splendorem immerito* existimabis. Cum enim, missa ad amicum epistola, negotiorum quorumdam mentionem fecisset, dicendi finem fecit in hunc modum (3). « Haec tibi scripsi, primum ut aliquid novi scriberem, deinde ut nonnunquam de Republica loquerer, cujus materiae nobis quanto rarior quam Veteribus occasio, tanto minus omittenda est..... Sunt quidem cuncta sub unius arbitrio, qui pro utilitate communi solus omnium curas laboresque suscipit ; quidam tamen salubri temperamento ad nos quoque veluti rivi ex illo benignissimo fonte decurrunt. »

(1) Epist. lib. V. epist. 14.
(2) Lib. IV. epist. 25.
(3) Idem lib. III. epist. 20.

Tametsi Hadrianus primum a Milite Imperator salutatus, dein a Senatu confirmatus, a quo dicis causa, ut probabile est, veniam postulavit, quod de imperio suo Patribus judicium non dedisset (1) nece plurium Senatorum, initio et paulo antequam vita concederet, facta, Senatus invidiam non levem sibi conflavit (2), Patres tamen non modo non offendere, sed etiam Senatorii muneris splendorem efferre velle visus est. Legimus enim apud SPARTIANUM (3); « cum fastigium honorumque culmen Senatorium munus haberet, haud facilem in Senatoribus eligendis se praebuisse, solosque, ubi caussas cognoscebat ipse, Senatores in consilium adhibuisse, submotis Equitibus, quibus nonnulli Principes una cum Senatoribus fuerant usi (4), optimos quosque de Senatu in contubernium Imperatoriae Majestatis adscivisse, imo inhibuisse, ne a Senatus judiciis provocari ad se posset (5). 870-891.

Quod autem ad potestatem et munia, quae exercere potuerit Senatus, attinet, ea omnino et singula definire, cum sub prioribus Imperatoribus res sit jam difficilis et ardua, ne dicam, non tentanda, quoniam jam ab initio varii varia sibi vindicarunt jura, quidam etiam a prioribus usurpata munia ex libidine restituere potuerunt, quin de his commutationibus rerum scriptores mentionem fecerint, tum praecipue

(1) Spartianus in Hadriano c. 6. Dio. cas. lib. LXIX. c. 2.
(2) Dio cass. loco praedicto.
(3) In Hadriano. c. 8.
(4) Idem ibidem.
(5) Lib. I. § 2. ff. a quibus adpellari non potest.

id multo difficilius et inextricabilius fit sub Hadriano, ejusque Successoribus, quorum historiam conscripsere, nec diligentia, nec judicii acumine commendabiles historici : Spartianus, Capitolinus, Lampridius, Vopiscus, Dio, alii. Scriptorum igitur idoneorum inopia necessitatem quaedam facta silentio haud praetermissa colligendi nobis imponit, ex quibus, quid consectarium sit ad vim et auctoritatem Senatus, eruamus. Scribit Dio (1), res magnas et summe necessarias non egisse Hadrianum nisi *διὰ τοῦ βουλευτήριου*, id est, ut verum loquamur, Senatusconsulto suam voluntatem sanciendam curabat in his rebus, quas majoris momenti ducebat, quam ut eas suo solo arbitrio gerere videretur. Idcirco plurima Senatusconsulta etiam sub Hadriano facta reperimus, videlicet Julianum, Apronianum, Tertullianum, alia (2).

Caeterum Hadrianus, qui se in administranda Republica Dominum, *Δεσπότην*, satis gessisse videtur, suis Constitutionibus haud parum in causa fuit, cur non ita multo post eum in rebus privatis, juridicisque sui splendoris praecipua imagine privati fuerint Patres. Quae quonam pacto evenerint, breviter perstringamus. Quae Populo Comitia reliquerat Augustus, ea e campo ad Curiam translata fuisse a Tiberio vidimus. Quo fiebat, ut multitudinis jura, cum in creandis Magistratibus, tum in legibus ferendis jam exercerent Senatores, quorum decretis vis legum erat. Ad Principis nutum vero se conformasse Senatum, res est extra omnem dubita-

(1) Lib. LXIX. c. 7.
(2) Bach. Historia juris Roman. lib. III. c. 2. sect. 2. § 2. 3. 4. 5. 6.

tionis aleam posita : et Senatusconsulta haec proinde ideo ab Imperatoribus inventa fuerant, ut Senatus auctoritatem, Reique publicae libertatem tueri viderentur (1). Verum cum Principes, quorum magis magisque in dies invalescebat dominatus, Senatusconsultorum, quantulaecunque essent, aegre ferrent ambages, sensim insurgere, et neglectis Senatusconsultis, Rescriptis, Decretis, Edictis suam voluntatem patefacere coeperunt. Priores Imperatores interdum etiam rescripserant, decreverant, edixerant, raro tamen, nec edicta perpetui juris nisi facto Senatusconsulto (2) fuerant. Hadrianus autem multo frequentius jus illud sibi vindicavit, ejusque edicta perpetua et universalia fuerunt (3). Ex quo cum illius exemplum adeo frequenter, qui illum excepere, secuti fuerint, ut brevi saltem de rebus privatis juridicisque obsoleverint Senatusconsulta, haud immerito assignandus ipsi est hujus splendoris speciei interitus.

Hadriano successit Antonius cognomine pius (quem adrogaverat,) qui Senatui tantum detulit, ait CAPITOLINUS (4), quantum, cum privatus esset, deferri sibi ab alio Principe optavit. Patrum petitionum rationem habuit, adeoque a caede Senatoris abhorrebat, ut Senatorem quemdam parricidam confessum, ne supplicium de eo sumeretur, praesente se, in 891-914.

(1) Heinec. Syntagm. Antiq. Rom. lib. II. tit. 2. § 56.
(2) Bach. lib. III. c. 1. sect. 4. § 6.
(3) Idem ibidem c. 2. sect. 2. § 1. sect. 3. § 1. 2. 3. 4.
(4) In Antonio pio. c. 6.

insulam desertam rejiciendum curaverit, scilicet ut poenas ab eo reposceret natura qui instillatos, penitusque a natura insitos sensus abjecerat (1). Quamvis innumeras constitutiones ediderit Antoninus (2), plurimi tamen Senatum fecisse videtur. Siquidem in Senatu omnium, quae gesserat, rationem reddidit (3); neque de provinciis, neque de actibus ullis quidquam nisi prius facta relatione (4) constituit : atque ex Senatorum sententia formas composuit. Quare, cum per totum Principatus tempus summa reverentia Patres prosecutus esset, eorumdem petitionum saepe habita ratione, nec ullius unquam jussa caede, quinimo pluribus servatis, quos ingravescente morbo ad mortem destinaverat Hadrianus : cognomine pii Senatus ipsi condecorato (5) vivo plurimos decrevit honores (6), mortuumque in numerum Deorum retulit (7).

914-933. Antonino e vivis sublato, quem adoptaverat *Princeps ille*, eum regimen publicum capere coegit Senatus (8). Marcus Antoninus, jam Principatus initio, suae erga Senatum observantiae specimen dedit. Nam, cum imperii participem fratrem reddere vellet, primum in Curiam se contulit, dein in castra, dispari agendi ratione istorum Principum, qui post-

(1) Capitolinus in Antonino pio. c. 6. 8.
(2) Bach. lib. III. c. 2. sect. 3. § 5.
(3) Capitolinus in Anton. pio. c. 12.
(4) Idem ibidem. c. 6.
(5) Spartianus in Hadriano c. 22.
(6) Capitolinus in Antonino pio. c. 6.
(7) Idem ibidem c. 13.
(8) Idem in Marco Antonino philos. c. 7.

posita cohortibus Curia, Militum incenderant arrogantiam (1). Initiis ad mortem usque consentanea fuit ejus agendi ratio : quippe cum nihil prius, quamdiu imperavit, habuerit, quam ut splendorem, dignitatem, potentiam ipsam Senatui adderet suo exemplo, cujus vim in persona Principis non ignorabat. Praeterquam enim quod perassidue, in Patrum honorem, Senatui interfuit, ut religiose Senatores munere defungerentur, Senatus auctoritati parere ipse voluit. Etenim, cum bellum gesturus esset contra Marcomanos, pecuniam ex aerario petiit a Senatu, « non quod, ait auctor libri 71. cap. 33. Operis Dionis, ea non foret in Principis potestate, sed quod diceret eam, caeteraque omnia esse Senatus Populique Romani. »

Praeterea cognitiones multas ad se pertinentes judicio Patrum permisit, adhibitaque omni cura, quo latius Senatoria pateret dignitas (3), in cunctis negotiis, sive ad bellum sive ad pacem spectarent, consiliis Senatus utebatur, satius et aequius esse professus, ut ipse tot taliumque virorum consiliis obsequeretur, quam ut tot talesque viri suam sequerentur voluntatem (4). Imo Senatum appellationibus a Consule factis judicem dedit, et, ne longior sim, nullus Principum amplius illo detulit (5). Ne vero quispiam famosa vita maculam Senatorio Ordini inureret, non nisi spectatae integraeque indolis

(1) Capitolinus in Marco Antonino philos. c. 7.
(2) Idem ibidem c. 10.
(3) Idem ibidem. c. 10. 11.
(4) Idem ibidem c. 22.
(5) Idem ibidem c. 10.

ullum in curiam legit : et, si quando de capite alicujus Senatoris judicandum esset, ipse causam prius secreto pertractabat, neque iis causis Equites Romanos interesse sinebat (1). Quae cum ita fuerint, ad summum culmen provectum fuisse Senatum palam est. Attamen, ne cui in mentem veniat, quidquam invito Principe egisse Senatum, cujus nimium intererat tam lenem mansuetumque Dominum sibi devinctum retinere, ut omnes de illo benemerendi non praeoccuparet occasiones.

933-fere 946. Ut virtutibus Marcus Aurelius, sic vitiis insignis fuit Commodus. Hic enim aliam prorsus rationem iniit, quam qui proxime rebus praefuerant, potestatem civilem deprimendo, contra erigendo potestatem Militum, quos sibi innumeris largitionibus devinxit, Imperio Romano omnes peperit clades, quae, mortuo Nerone, omnia susque deque perverterant. Nam, ubi decessit, nullo relicto haerede, Milites, qui, non ut prius, fuerant refraenati, vim suam perspectam habentes in proximum locum, qui pluris licitabatur miseram Rempublicam, promoverunt. Hinc caedes immensa Imperatorum, crebri rerum motus, bella civilia. « *La sagesse de Nerva*, inquit MONTESQUIEU (2), *la gloire de Trajan, la valeur d'Hadrien se firent respecter des Soldats; mais lorsque de nouveaux monstres prirent leur place, l'abus du Gouvernement militaire parut dans tout son excès, et les Soldats, qui*

(1) Capitolinus in Marco Antonio c. 10.

(2) *Des causes de la Grandeur et de la Décadence des Romains*, c. 16.

avaient vendu l'Empire, assassinèrent les Empereurs, pour en avoir un nouveau prix. »

In istis turbulentis temporibus, a Milite seu victore jugum accipere debuit Senatus, omnium factionum ludibrium : adeo ut saepe, quem prospero fortunae flatu erectum pro Dominô habuerat, eumdem adversa fortuna utentem vigente nova factione, contumeliis adficere, hostemque Patriae renunciare debuerit.

Ex quo Principatum adeptus est Commodus, prostrata eversaque fuit Senatus auctoritas : propterea quod, optimo quoque Patris amicorum abjecto, facinorosorum virorum turba se stipavit Commodus, qui, cura rerum publicarum sibi a Principe prae ignavia commissa, cuncta ex libidine constituebant ipsi, aut per Commodum (1), huicque Ordini id dedecoris inustum fuit, ut allectos libertinos in coetu suo viderent Patres ; neque omnium Tyrannorum ullus tam immitis ac crudelis erga Senatum fuit, quem non superaverit Commodus. Etenim stragem nobilissimorum Senatorum edidit ingentem (2), et quidem indicta causa (3) : tantumque Senatus odium in se incendit, ut mortuum contumeliosissimo acclamationum genere prosecutus fuerit Senatus in hunc modum (4) : « Hosti patriae honores detrahantur : parricida

(1) Lampridius in Commod. c. 3. 5. 6. 14. lib. III. Dio. cass. lib. LXXII. c. 1.
(2) Idem ibidem c. 4.
(3) Idem ibidem c. 5. Herodian lib. c. 8.
(4) Dio. cass. lib. LXXIII. c. 1.

trahatur : Hostis Deorum, carnifex Senatus unco trahatur. Carnifex Senatus more Majorum unco trahatur. Saevior Domitiano, impurior Nerone, sic fecit, sic patiatur. Rogamus, parricidae cadaver unco trahatur. Gladiatoris cadaver in spoliario ponatur. Qui Senatum vendidit, unco trahatur. Parricidae cadaver trahatur (1). Quin etiam postularet omnium vocibus, ubi audivit cadaver ejus sepultum fuisse, ut ex humo erueretur, avibusque devorandum traderetur (2).

fere 946 - 964. Post Commodi necem, Milites Principem elegere venerandum senem Pertinacem (3), qui statim curiam, ut a Senatu confirmaretur, adiit (4). Egregius tamque miserandus ille Princeps, qui eo omnia retulit, ut nutantem sapientissimis firmaret Rempublicam institutis, florentem, ut qui maxime, Patrum auctoritatem dignitatemque reddidit. Observantissimus enim Senatorum cultor (5) de *cunctis ad Senatum*, cui assidue intererat, retulit (6), nihilque nisi ex Patrum auctoritate et decreto egisse videtur (7). Quantum Senatoris personae tribuerit, ex hoc manifestum est, quod, cum de capite Senatoris cujusdam, qui insidias illi paraverat Senatui judicandum esset, a Senatu impunitatem ejus petierit (8), edita

(1) Lampridius in Commod. lib. III. c. 18. 19.
(2) Idem ibidem.
(3) Dio. cass. lib. LXXIII. c. 1. Capitolin. in Pertinace c. 4.
(4) Idem ibidem.
(5) Capitolin. in Pertinace c. 13.
(6) Idem ibidem c. 9.
(7) Idem ibidem c. 6. 7.
(8) Idem ibidem. c. 10.

hac memorabili voce. « Absit, ut, me principe, ullus vel jure interficiatur Senator (1). » Ast Militum rabies istorum temporum felicitati finem fecit. Occiso enim Pertinace, post trium mensium, exceptis paucis diebus, imperium (2), lubido nefaria Praetorianos imperii vendendi subegit : et tandem Julianum Didium, quia majus pretium reliquis competitoribus obtulerat, Imperatorem renuntiant (3).

Didius illico in Curiam se contulit, Praetorianorum magna manu comitante, quorum pleraque pars foris Curiam circumsepsit, reliqui cum Imperatore in Curiam introierunt. Tum, oratione procaci juxta Patribus contumeliosa habita Senatui necessitas fuit emptionem decreto ratam faciendi (4). Julianus, in quem vehementissimo odio incendebatur multitudo, cum vidisset, quam vacillans suum esset Imperium, in suas partes trahere assentationibus et pollicitationibus Senatum nisus est, ratus, sed falso aliquid posse Senatum (5). Paucis post diebus, quam Principatum inierat, Romam contendere Severum legionum Illyricarum ducem, illumque descivisse comperit. Julianus eum hostem Patriae renunciandum curat per Senatum (6), qui legatos consulares misit etiam ad Milites, qui suaderent, ut Severus repudiaretur, isque Imperator es-

(1) Dio. cass. lib. LXXIII. c. 8.
(2) Idem ibidem c. 10.
(3) Idem ibidem c. 11. Aelius Spartianus in Didio Juliano. c. 2.
(4) Idem ibidem c. 12. 13. Spartian. in Didio Jul. c. 3.
(5) Idem ibidem c. 14.
(6) Idem ibidem c. 16. Spartian. in Didio Julian. c. 5.

set, quem Senatus elegerat (1). Jussa autem Senatus tanti fecerunt legati, ut ad Severum transierint (2). Tunc Julianus, accepto nuncio in Italiam venisse Severum, fieri Senatusconsultum jussit de participatione Imperii (3), et Senatus paruit (4). Sed paulo post deserto a praetorianis Didio, idem Senatus Julianum capite damnat, Imperium ei abrogat, Severoque defert (5).

Interfecto ex Senatusconsulto Didio (6), centum Senatores ad Severum gratulandi causa mittendos censuit Senatus : quos ille ita contumeliose recepit, ut jam tum, qualem Dominum habiturus esset, Senatus comperire posset. Omnes enim prius excussos Patres Severus Militibus stipatus audivit : posteraque die legatis tanquam mercenariis pecuniae munusculum distribui jussit (7).

Ubi Romam ingressus est, Militibus armatis iterum referta fuit misera Curia (8); Severus tamen nullum Senatorum suo jussu interfectum iri non modo pollicitus est, sed etiam fieri Senatusconsultum jussit, coegitque ne, inconsulto Sena-

(1) Spartian. in Didio Jul. c. 5. — Idem in Severo c. 5.
(2) Idem in Severo c. 6. Dio. cass. lib. LXXIII. c. 17.
(3) Idem ibidem.
(4) Dio. cass. lib. LXXIII. c. 17.
(5) Idem ibidem. Spartian. in Didio c. 8.
(6) Spartian. in Didio c. 8.
(7) Idem in Severo c. 6.
(8) Idem ibidem c. 7.

tu, Imperatori Senatorem plectere liceret capite, si secus faceret, hostis Reipublicae haberetur (1): et quidem, ante finem bellis civilibus impositum morte Albini, propositi fideique datae satis tenax fuit. Finito autem bello, cum, votis honoribusque suis Albini fratri a Senatu imprudenter delatis (2), Albino favisse Senatum comperisset: furore amens verborum fulminibus plenas ad Senatum misit litteras (3). Mox ipse sanguinis avidus Romam properavit, exprobrata sua Senatui perfidia, Commodum laudavit, infamibusque displicuisse dixit (4): atque indicta causa quinquaginta praeter propter Senatores capitali supplicio multavit (5).

Imperante Severo Senatus auctoritas arctissimis circumscripta limitibus fuit. Nullus enim Princeps, magis et frequentius ipso, quantopere Senatum despiceret, declaravit. Raro Senatores comiter benigneque alloquebatur, nec, ut mos bonis seu saltem astutis Imperatoribus erat, *rogabat*, sed *jubebat*. Sic filium suum *Antoninum* a Senatu appellari *jussit*, decretis Imperatoriis insignibus (6). Nec Senatu unquam usus esse videtur, nisi quoties eo uti rationibus suis consentaneum ducebat. Exempli causa, ubi Claudium Albinum, qui de imperio cum ipso decertabat, et quem Senatus mirifico amore

(1) Spartianus in Severo c. 7. Dio. cass. lib. LXXIV c. 2.
(2) Idem ibidem c. 11. Capitol. in Clod. Albin. c. 12.
(3) Capitolinus loco citato. Dio. cass. lib. LXXV. c. 7.
(4) Spartian. in Severo c. 12. Dio ibidem c. 8.
(5) Idem ibidem c. 12. 13.
(6) Idem ibidem c. 14.

prosequebatur (1), illoque interempto, omnes, qui huic dediti fuerant, hostes patriae judicari a Senatu jussit (2). Item, ubi Senatui permisit, ut cognosceret de consciis Plautiani (3), judicandi tamen munus libere exercuisse videtur Senatus, si exceperis causas Majestatis. Dio enim Senator scribit (4), in pace jus reddere solitum fuisse Severum cum Senatoribus, quibus magna libertas in dicendis sententiis erat. Quam ob rem, quum judiciario munere, Severo praesente, functus fuerit Senatus, non a vero abhorret, absente illo, id muneris exercuisse Senatum.

964-970. Severo successit Antoninus Caracalla, natura saevus, patre crudelior, vitiis facinoribusque, quibus se inquinavit, detestandus. Imperator a militibus salutatus est, illique Senatus, armatis militibus refertus inter subsellia duplici ordine collocatis (5), imperium confirmavit. Cum *in solis Militibus spes* suas omnes collocatas haberet, quibus seu speculatoribus uteretur, cuncta impune gerere se posse credidit. Miserrima fuit, imperante illo Principe, Senatus conditio, servituti quasi addicti Militibus, vilique cuidam viro Sempronio Rufo (6). Quanto despicatui habuerit illum Ordinem, inter alia multa, haec sunt testimonia : Caracallae jussu Senatoribus multoties

(1) Capitol. in Clod. albino. c. 12.
(2) Idem ibidem c. 9. 12.
(3) Dio. cass. lib. LXXVI. c. 5.
(4) Ibidem c. 17.
(5) Spartianus in Caracall. c. 2.
(6) Dio. cass. lib. LXXVII. c. 17.

significabatur, Principem jus reddere, aut cum ipsis de aliquibus negotiis communicare velle. Caracalla vero Senatores, ne in vestibulum quidem admissos, sed foris stantes, nugis deditus ad meridiem seu vesperum morabatur : praeterea, vesperascente die, plerumque Senatoribus, qui sub dio per integrum diem manserant, eos ne salutare quidem Principem posse nunciabatur (1). His non contentus saepissime in Senatum invehebatur (2), edebatque edicta seu orationes injuriarum ac contumeliarum plenas. Denique die quadam Senatui in hunc modum scripsit. « Compertum habeo, vobis mea non placere, idcirco autem arma et Milites habeo, ut rumores non curem (3). » Caracalla vita dignum habuit exitum : interfectus est a Macrino. Odio civibus ingenti praecipue Senatoribus fuit, ut cuivis facile est intellectu. Nec tamen ejus memoriam ignominiae nota inurere ausus est metu Militum. Quin etiam rem eo perduxit istorum tyrannidis facinorosorum satellitum arrogantia, ut Patres illum inter Deos referre debuerint (4).

Illico imperium arripuit Macrinus : quem Senatus, qui vocibus perstrepebat : quemvis magis quam parricidam, quemvis magis quam incestum, quemvis magis quam interfectorem Senatus Populique, Imperatorem libenter agnovit (5). 970-971.

(1) Dio. cass. LXXVII. c. 17.
(2) Spartianus in Caracalla. c. 4.
(3) Dio. cass. lib. LXXVII. c. 20.
(4) Idem lib. LXXVIII. c. 9.
(5) Capitolinus in Macrino c. 2.

Quanti Senatum fecerit Macrinus, compertum non habemus, cum neque nominatim ullus rerum scriptor ea de re scripserit, neque factis, quousque Senatorum patere potuerit libertas, colligi possit. Absurdum enim foret quidquam concludere ex epistola proterva, quam Capitolinus Macrinum Principatus initio misisse ad Patres refert (1) : siquidem commentitiam hanc esse, ex iis, quae tradit Dio e Senatoribus unus, liquido constat (2). Haud tamen plane projectam fuisse in administrandis rebus publicis Senatus auctoritatem despicatuive habitam, arbitror.

971-975. Caeso Macrino, summam rerum Heliogabalo tradidere Milites. Impurissimus iste juvenis e Principibus omnibus *primus* Imperatoriae Majestatis honores titulosque, *priusquam* a Senatu decernerentur, sibi asseruit.

Litteris enim ad Senatum et Populum missis, se Imperatorem et Caesarem, filium Antonini et Severi nepotem, Piumque et felicem et Augustum, et Proconsulem tribunitiaeque Potestatis nominavit (3). Acceptis hisce litteris, cum formido ingens animos Patrum invaderet, (quippe quos jam ab initio adeo despexisset.) extimescerentque ejus adventum, sibi fatum imminere visum avertere studuerunt, Macrinum probris et contumeliis lacessitum, Patriae hostem judicando, laudibusque ad coelum Caracallam, quem non raro hostem renunciare

(1) Capitolinus in Macrino. c. 6.
(2) Dio. cass. lib. LXXVIII. c. 17. et notarum 96.
(3) Idem lib. LXXIX. c. 2.

voluerant, efferendo. Quin etiam Senatum eo compulit dira necessitas, ut optaret Patri futurum similem Heliogabalum (1). Quibus sordibus Heliogabali resedisse iracundiam, ex hoc manifestum est, quod non modo promiserit se nullas poenas repetiturum esse ab iis Senatoribus, qui Caracallam seque ipsum contumeliis affecerant, sed etiam praestiterit (2). Talis Princeps, qui Patrias consuetudines jam ab initio Principatus violaverat, utique is non erat, qui Senatui dignitatem Splendoremque adderet. E contrario, cum honores, dignitates potentiamque venderet per se vel per servos, et libidinum ministros, illum dedecore ignominia affecisse Senatum, intellectu perfacile est : siquidem in eum ordinem legit sine discrimine aetatis, census, generis, pecuniae merito (3) : et, ut litteris mandatum est, matrem suam, re hactenus inaudita, in Curia adesse voluit (4).

Caeterum, quamvis, et in Magistratibus creandis, et in multis aliis rebus, pessimo suo arbitrio sic usus fuerit, ut vilissimis famosissimisque civibus summos committeret Magistratus (5), pluresque prius interfecerit, quam de causa cognovissent Patres, dignareturque modo, (idque interdum, caedem jam factam reddere ratam ex auctoritate Senatus, cui mortuos condemnare lex erat, ne cognita quidem caedis

(1) Dio. cass. lib. LXXIX. c. 2. Lamprid. in Heliogabal. c. 3.
(2) Idem ibidem c. 3.
(3) Lampridius in Heliogabalo c. 6.
(4) Idem ibidem.
(5) Idem ibidem c. 11.

causa (1). Nam, cum interfecisset Silium Messalam et Pomponium Bassum, qui judicio Senatus postea capitis fuere damnati : in hunc modum ad Senatum scripsit : « Insidiarum mihi ab eis structarum vobis non misi probationes, quod, ipsis jam de medio sublatis, eas frustra lecturi essetis » Attamen Heliogabalus, dempta libertatis specie, auctoritatis speciem Senatui reliquisse videtur. Equidem fateor fore, ut nullam dicenti, nisi legissem, fidem adhibuissem. Quum autem illud perspicue tradiderit Dio, contradicere non possum.

Ἔξω δὲ δὴ τῶν πατρίων, ἁπλᾶ μὲν, inquit (2), *καὶ μηδὲν μέγα κακὸν ἡμῖν* (nobis Senatoribus : erat enim Dio Senator) *φέροντα πλὴν καθ' ὅσον παρὰ τὸ καθεστηκὸς ἐκαινοτομήθη, ὅτι τε τῶν ὀνομάτων τινὰ, τῶν ἐς τὴν ἡγεμονίαν αὐτοῦ τεινόντων, πρὶν ψηφισθῆναι, ὥσπερ εἶπον, αὐτὸς ἑαυτῷ ἔθετο·* Dubitandum tamen non est, quin Patres despexerit Heliogabalus, ut immerito in dubium vocaretur *hunc Principem Senatores togata mancipia appellasse* (3). Senatus nomen ejus *Antonini*, abolevit (4).

975-988. Ut primum vita, multis flagitiis contaminata, ferro, impuro erepta Heliogabalo fuit, ejus adoptione filium, Caesaremque jam a Senatu, mortuo Macrino appellatum salutaverunt Imperatorem Milites Alexandrum Severum (5). Egregius ille adolescens non, ut Heliogabalus, omnes Im-

(1) Dio. cass. lib. LXXIX. c. 5.
(2) Ibidem c. 8.
(3) Lampridius in Heliogabalo c. 19.
(4) Idem ibidem c. 17.
(5) Herodian. lib. IV.

perii sibi titulos vindicavit, verum expectavit, donec delati forent a Senatu. Eos autem deferre, non tamen omnes simul, properavit ille ordo; quoniam Senatus, cui spes affulgebat recuperandae dignitatis et libertatis, (cum nullum insignitius sit servitutis documentum) omnes una deferre suae gravitati non congruere credidit (1). Insuper Senatus etiam, cui idonea videbatur occasio, arrectis animis, cum aegerrime tulisset, vivo Heliogabalo, in coetu suo versatas fuisse mulieres, sexus sui oblitas, cavit ac sanxit, ne mulier unquam Curiam ingrederetur, utque inferis ejus caput dicaretur devovereturque, per quem illud esset factum (2).

Alexander, quum junior esset, quam ut gnaviter Rempublicam capesceret, Senatores elegit praestantissimos, quorum consiliis uteretur (3): et imperandi initium, omnes Ordines, teterrimis viris refertos, praecipueque Senatum purgando, fecit (4). Quamdiu penes eum fuit Imperium, floruit auctoritas dignitasque Senatus. Provincias enim proconsulares ex Senatus auctoritate, ut instituerat Augustus, ordinavit (5). Insigne documentum hunc intermisisse morem plures Imperatores! Illud enim commemorare putidum fuisset, nisi ea obsolevisset consuetudo. Praeterea in creandis Magistratibus tantum Senatui tribuit, ut Praefectum Praetorii sibi

(1) Lampridius in Alexandro Severo c. 1. 2.
(2) Idem in Heliogabalo c. 18.
(3) Dio. cass. lib. LXXX. c. 1.
(4) Lampridius in Alexand. Sev. c. 14.
(5) Idem ibidem c. 23.

ex Senatus auctoritate, juxta Praefectum Urbis constituerit, licet jam ab initio hos Magistratus eligere soliti essent Imperatores ipsi.

Praesides, Proconsules et Legatos saepissime fecit ad judicium Senatus (1): nec in ordinem Senatorum *unquam*, sine omnium Senatorum, qui aderant, consilio, cooptavit (2): et ne quis, non Senator, de Senatore judicium ferret, praefectis Praetorii, qui potentia militari et civili pollentes de causis majoris momenti cognoscebant, Senatoriam interdum dignitatem addidit (3). Quae cum ita fuerint? late patuisse auctoritatem Senatus, imperante Severo, quamvis edictis; innumerisque constitutionibus, quae quidem concilio privato disceptabantur, legum ferendarum jus Patribus non *re*stituerit (4), perspicuum est.

988-1028. Tyrannide et Saevitia Maximini oppressus Senatus inanes fecit conatus, ut procellam sibi reique publicae imminentem averteret. Prostratus quidem fuit Maximinus; sed post breve imperium Maximi et Balbini, qui Senatui plurimum detulerant (5), audacia Militum, quibus nihil sanctum, nihil inviolabile erat, claustra omnia perfregit.

Innumeri Imperatores electi, dejecti, caesi, omnia susque

(1) Lampridius in Alexandro Severo c. 45.
(2) Idem ibidem c. 18.
(3) Idem ibibem c. 20.
(4) Idem ibidem c. 15.
(5) Capitolinus in Maximo et Balbino c. 13.

deque inversa, brevis Principum dominatus, imbecilla potentia. Quos commemorare motus et a proposito nostro alienum foret, et a proposito nimis nos abduceret. Senatus vis et auctoritas miseris illis temporibus projecta fuit : abjecti contemnendique Patres, quorum ridiculae voces, acclamationesque, nostrum, quorum aetas tam remota est, contemptum etiam pariunt. Imperatorum enim seu potius Militum voluntate omnia fiebant. Audiamus MONTESQUIEU, qui hic et ubique res lucide et acute describit. « *Ce que l'on appelait l'empire romain, dans ce siècle là*, inquit, *était une espèce de République irrégulière, telle à-peu-près que l'aristocratie d'Alger, où la milice, qui a la puissance souveraine, fait et défait un Magistrat, qu'on appelle le Dey;* » .... *et qu'on ne dise pas que les soldats ne prenaient de part au gouvernement, que par leurs désobéissances et leurs révoltes. Les harangues, que les Empereurs leur faisaient, ne furent-elles pas à la fin du genre de celles, que les Consuls et les Tribuns avaient faites autrefois au peuple? et quoique les armées n'eussent pas un lieu particulier pour s'assembler, qu'elles ne se conduisissent point par de certaines formes, qu'elles ne fussent pas ordinairement de sang froid, délibérant peu et agissant beaucoup, ne disposaient-elles pas en souveraines de la fortune publique? et qu'était-ce qu'un Empereur, que le Ministre d'un gouvernement violent élu pour l'utilité particulière des soldats?* » Tum exemplis res sic se habuisse, demonstrat, sicque pergit. « *Quand l'armée associa à l'empire Philippe* (1), *qui était*

(1) Capitolinus in Gordiano tertio c. 20.

préfet du Prétoire du troisième Gordien, celui-ci demanda, qu'on lui laissât le commandement entier, et il ne put l'obtenir; il harangua l'armée, pour que la puissance fût égale entre eux, et il ne l'obtint pas non plus; il supplia qu'on lui laissât le titre de César, et on le lui refusa; il demanda d'être Préfet du Prétoire et on rejeta ses prières; enfin il parla pour sa vie. L'armée dans ses divers jugemens exerçait la Magistrature suprême (1).

Tanta animi demissio et infractio in hac temporum atrocitate Senatum invaserat, tamque infixus imbecillitatis suae ipsorum haeserat animis sensus, ut, licet jam sub Claudio et Aureliano a malis nonnulla fuisset requies, quum occiso Aureliano Milites, qui Imperatorem raptim creare solebant, libidine quadam, cujus causam perspectam non habemus, litteris ad Senatum missis, postulassent, ut Principem ex ordine suo eligeret, Senatusque, quem non latebat, odiosos Militibus esse Principes a se electos, ter rem ad exercitum retulerit, et non nisi exactis sex mensibus, quasi a Militibus coactus Tacitum elegerit (2).

Ignavia itaque et mora Senatus, Duce caruit Respublica per sex menses : quod crimini jure quidem ac merito ei verti posset, etsi inepte insulsus exclamat Vopiscus! « Quae illa concordia Militum, quanta Populo quies, quam gravis Senatus auctoritas fuit? Nullus unquam tyrannus emersit; sub ju-

(1) *Causes de la Grandeur et de la Décadence des Romains*
(2) Vopiscus in Aureliano c. 41. in Tacito c. 2. Aurelius Victor c. 35.

dicio Senatus et Militum Populique Romani totus orbis est temperatus; non illi Principem quemquam, ut recte facerent, non Tribunitiam potestatem reformidabant, sed, quod est in vita optimum, se timebant (1). »

Quanquam Taciti ad Milites oratio, in hunc modum scripta « dedit, Sanctissimi Commilitones, Principem, quem petiistis, paruit praeceptis et voluntati Castrensium Ordo ille nobilissimus (2) » Servitium, projectamque auctoritatem Senatus indicat : tamen quasi libidine Militum recuperata facultas firma stabilisque mansura esset, tanta exsultavit laetitia, quod eligendi Principis cura ad se revertisset, ut non modo supplicationes decreverit, sed etiam litteras ad Provincias exterasque gentes miserit, ut scirent omnes socii in antiquum statum rediisse Senatum, leges a Senatu petendas, Reges barbaros Senatui supplicaturos, pacem ac bella Senatu auctore tractanda (3). Vopiscus (4) publicas duas epistolas, quarum una Curiae Carthaginensi, altera Curiae Trevirorum missa fuit, descripsit. Has epistolas, ut et alias duas privatas, cum non semper praesto sit liber, cui insunt, oculis subjicere consentaneum esse existimo.

(1) Vopiscus in Tacito c. 2.

(2) Idem ibidem c. 8.

(3) Idem ibidem c. 12.

(4) In Floriano c. 5. 6

EPISTOLAE PUBLICAE.

« Senatus amplissimus Curiae Carthaginiensi S. D. Quod bonum, faustum, felix salutareque sit Reipublicae orbique Romano. Dandi jus Imperii, appellandi Principis, nuncupandi Augusti ad nos revertit : ad nos igitur referte quae magna sunt : omnis provocatio praefecti Urbis erit; quae tamen a Proconsulibus et ab ordinariis judicibus emerserit ; in quo quidem etiam vestram in antiquum statum rediisse credimus dignitatem, siquidem primus hic ordo est, qui, recipiendo vim suam, jus suum caeteris servat. »

Senatus Amplissimus Curiae Trevirum S. D. « Ut *estis* liberi, et semper fuistis, laetari vos credimus; creandi Principis judicium ad Senatum redit, simul etiam praefecturae urbanae appellatio universa decreta est. »

EPISTOLAE PRIVATAE.

« Autronio justo Patri Autronius Tiberianus salutem. » « Nunc te, Pater sancte, interesse decuit Senatui amplissimo, nunc sententiam dicere, cum tantum auctoritatis amplissimo Ordini creverit, ut revertat in antiquum statum Respublica, et nos Principes demus, nos faciamus Imperatores, nos denique nuncupemus Augustos. Fac igitur, ut convalescas Curiae interfuturus antiquae; nos recepimus jus Proconsulare, redierunt ad praefectum Urbis appellationes omnium potestatum, et omnium dignitatum. »

« Claudius Capellianus Cercio Metiano Patruo S. » « Obtinuimus, Pater sancte, quod semper optavimus; in antiquum statum revertit Senatus. Nos Principes facimus, nostri Ordinis sunt potestates. Gratias exercitui Romano et vere Romano; reddidit nobis, quam semper habuimus, potestatem. Da te Urbi, da te Curiae, floret Roma, floret tota Respublica, Imperatores damus, Principes facimus, possumus et prohibere, qui coepimus facere. »

Meliorem Tacito, nec Imperio digniorem ullum eligere potuisset Senatus, cujus auctoritas, imperante illo, renata est. 1028-1029.
Tyrannidis malarumque artium insuetus sui Principatus rationem patefecit, hac honorificentissima moderationisque plena ad Senatum missa epistola. « Ita mihi liceat, Patres conscripti, sic Imperium regere, ut a vobis me constet electum; ut ego cuncta ex vestra facere sententia et potestate decrevi. Vestrum est igitur ea jubere atque sancire, quae digna vobis, digna modesto exercitu, digna Populo Romano esse videantur (1) » atque in proposito susceptoque consilio permansit. Inde Senatui adeo crevit spiritus, ut, quod sibi nunquam antea licere putaverat, tunc non petitionis ullam facile rationem habere ausus sit. Etenim, cum Imperator fratri suo consulatum petiisset, repulsam a Senatu passus est. Hujusce modi recusatio res tam rara, tamque inaudita erat, ut, quod scripsit Vopiscus (2), Senatum sua libertate laetatum admodum

(1) Vopiscus in Tacito. c. 9.
(2) Ibidem. c. 9. 10.

fuisse, hasque Principem emisisse voces, « scit Senatus, quem Principem fecerit, » pro vero habere facile possimus. Quamobrem dubitandum non est, quin Tacitus non modo de omnibus negotiis adhibuerit Patres, illosque consiliorum suorum participaverit, sed etiam pristinum jus pristinaque munia sibi ab Augusto et Tiberio relicta exercuerit Senatus, sive de Provinciis Proconsularibus ordinandis, sive de curando Aerario, sive de Magistratibus eligendis, sive de judiciis, sive de sacris, aliisque muneribus ageretur. Verum brevi istorum temporum felicitas evanuit. Crudeli enim fato continebatur, ut, sextum post mensem quam Tacitus imperaverat, interiret.

Haud immerito plures admirati sunt, quod Senatus, vivo Tacito, non opportunissimo hoc tempore usus fuerit, ut edictum Galieni, quo Senatum militia interdixerat, exercitumque adire vetuerat (1), revocaretur. *Ea namque prohibitione*, Imperii omnis spes Senatoribus praecisa erat. Illudne factum fuerit metu an dulcedine otii, non liquido constat (2).

Perlata mortis Taciti fama, Florianus Taciti frater, non Senatus auctoritate, verum sua sponte, quasi haereditarium esset Imperium, summam potestatem arripuit (3). Orientales autem exercitus Imperatorem illico renunciaverunt Probum, ut praevenirent Italicas copias, ne Senatus Principem iterum

(1) Sextus Aurel. Victor. c. 33.
(2) Idem ibidem de Caesaribus. c. 37.
(3) Vopiscus in Floriano. c. 1.

daret (1) : hocque nuncio accepto Italici Milites Florianum interfecerunt.

Probus vero, cum neminem legitime gubernare posse a Militibus electum, nisi accessisset Senatus auctoritas, persuasum haberet, supplicibus humanitatisque plenis his litteris, ut rata fieret electio, quaesivit (2). « Recte atque ordine, Patres conscripti, proximo superiori anno factum est, ut vestra clementia Orbi terrarum Principem daret, et quidem de vobis, qui et estis mundi Principes, et semper fuistis, et in vestris posteris eritis; atque utinam id Florianus expectare voluisset, nec velut haereditarium sibi vindicasset Imperium, vel illum vel alium quempiam Majestas vestra fecisset; nunc quoniam imperium ille arripuit, nobis a Militibus delatum est nomen Augustum, quaeso, ut meis meritis faciatis, quidquid jusserit vestra clementia. » Mirum itaque non est, confestim ipsi Senatum decrevisse Proconsulare Imperium, nomen Patris Patriae, Pontificatum Maximum, jus tertiae relationis, Tribunitiamque potestatem (3). 1029-1035.

Probus auctoritatem Senatus non solum integram reliquit, sed et ampliavit. Etenim praeterquam quod Patribus permisit, ut ex magnorum judicum appellationibus agnoscerent, Proconsules crearent, legatos Consulibus darent, leges, quas ipse ederet, Senatusconsultis suis consecrarent, statuit etiam,

(1) Vopiscus in Probo. c. 10.
(2) Idem ibidem. c. 11.
(3) Idem ibidem c. 12. 13.

ut Senatus jus Praetorium Praesidibus daret, quod nunquam Senatui antea licuerat, siquidem ex instituto Augusti Imperatoris Provinciae neutiquam curae Senatus commissae erant (1).

Probus, post Imperium sex annorum et aliquot mensium, insidiis a suis Militibus structis periit, et cum ipso dignitas, auctoritas, splendorque Senatus. Ab illo enim tempore, ait Aurelius Victor, militaris potentia convaluit ac Senatui Imperium, creandique jus Principis ereptum ad nostram memo-
1035 - 1037. riam fuit (2). Eo mortuo, per biennium regnavit Carus, cujus procaci ad Patres oratione, quam parvi Senatum fecerit, intelligitur. « Gaudendum est, Patres Conscripti, quod unus ex vestro Ordine, vestri etiam generis Imperator est factus. Quare adnitemini ne meliores peregrini, quam vestri esse videantur (3).

Caro successere Numerianus qui statim periit et Carinus cujus facinoribus et crudelitati modus pugione brevi impositus est.

(1) Vopiscus in Probo. c. 13.

(2) De Caesaribus. c. 37. ed. J. J. Palmus, Erlangae 1787.

(3) Vopiscus in Caro. c. 5.

ANIMADVERSIO.

Negavimus et recte quidem, ut opinamur, singula sub Imperatoribus describi posse munia Patrum, quasi ea immutabili modo exercuissent. Summo jure, uti vidimus, omnia penes Senatum erant. Praepotentia ipsa penes hunc Ordinem erat. Re vero ipsa eatenus jura exercuit, quatenus Principes permittebant. Munia autem praecipua et majora, quae frequentius et magis minusve serviliter ab Augusto ad Diocletianum exercuisse videtur, haec sunt :

Jus conferendorum Magistratuum, decernendorum Honorum.

Aerarii, Tributorum, Vectigalium, Rerum Sacrarum curam gerendi, Provincias Populi Romani Procurandi.

Judicia exercendi in primis in Senatores et Proconsules Senatus.

Juris constituendi per Senatusconsulta, concedendi Privilegia et Immunitates, legibus solvendi.

Imperatoris eligendi vel jam electum confirmandi, Imperii abrogandi, Hostes Reipublicae judicandi, Nundinarum instituendarum Veniae dandae, denique de Rebus publicis deliberandi et consultandi (1).

(1) De his omnibus Cf. Curtii Commentarii de Senatu Romano post tempora Reipublicae liberae. Pag. 90-126. Halae 1768.

PERIODUS OCTAVA.

A Diocletiano ad interitum Senatus Romani.

1037—1309, post Christum fere 556.

Novus nunc rerum nascitur ordo; mos, institutumque vetus immutatur. Imperium huc usque individuum bini Augusti, duoque Caesares inter se dispertiuntur. Hactenus plus minusve summum Imperium penes Senatum, id est Senatum non Principis, sed Gentis concilium esse, in confesso fuerat. Discrimen exstiterat inter Provincias Caesaris et Senatus, inter fiscum et Aerarium, cujus cura ad Senatum spectabat. Boni enim Principes non sibi licere Aerarii pecuniis uti, nisi consentiente Senatu, existimaverant. Magistratuum eligendorum jus penes Senatum item fuerat.

Ex Diocletiano autem omnia mutantur. Provinciae omnes Praefecturae fiunt, Senatuique eripiuntur. Evanescit discrimen inter Aerarium et fiscum. Magistratuum eligendorum, exceptis Praetoribus quorum munus grave admodum erat, jus illi adimitur; ac postquam totum Imperium penes Unum fuit, nihil Senatui restitutum est, cujus partem Constantinopolim transtulit Constantinus. Brevi quatuor hae Litterae, S. P. Q. R. ex Labaro Imperatorum exemptae fuerunt, Imperatoresque variorum Magistratuum Im-

peratoriorum titulos sumere dedignati sunt : et si Paucos admodum exceperis, nullus pristini instituti memor fuit.

Senatus itaque e consilio supremo ea fuit conditio et sors, ut fieret quod vocamus (Autorité locale) *atque de solis Urbis Romae negotiis cognosceret, de viis reficiendis, de balneis aliisve operibus exstruendis, de aquaeductibus, cloacis, aliisque minoris momenti rebus* (1).

Illud addere supervacaneum est, hac etiam aetate minorem majoremve ex ingenio Imperatorum Senatus fuisse imbecillitatem. Quandonam vero interierit Senatus Romanus, non liquido constat. Variorum variae sunt sententiae. Nonnulli autumant Vittegem Gothorum regem, plerosque Senatores morti dedisse, et mox Teian caedi superstites exstinxisse : alii contra paulo post defecisse Senatum Romanum, quam interfecto Teia ordinem, quietemque restituerat Narces, anno ferme Urbis Conditae 1309, *post Christum natum* 556.

Pervenimus ad id tempus quo nihil ferme Senatui residuum est praeter nomen. 1037-1309.

Sub Diocletiano et Maximiano, nullae ejus in regendo Imperio partes fuisse videntur. Hi enim toto Imperio inter se

(1) Cf. *Discours Préliminaire de* Dureau de la Malle; Tacite, *traduction nouvelle, 3e edition, Paris* 1818. *t.* 1 *p.* 142.

et Constantium Chlorum et Galerium quos potentiae participes fecerant, diviso, illud ex libitu et arbitrio regebant, et cum nunquam fere Romae versarentur, mos iste indubitanter invaluit ut Imperatores plerumque inconsulto Senatu Imperii negotia administrarent (1).

Nec dignitatem Senatus recuperavit Constantinus; toto enim Imperio in duas partes diviso, geminoque Senatu instituto, Provinciae Orientales Romanum Senatum revereri plane desierunt.

Imperatores Occidentis, Plebem Romanam in seditiones proclivem perosi, hanc Urbem raro adibant : sed Treviris, Altini, Aquileiae, Brixiae, Veronae, Remis, Bononiae constitere, Mediolani vero et potissimum Ravennae sedem Imperii fixam posuere. Cum igitur triginta interdum annis nullus Imperator Romam inviseret, *Roma ignorabatur rerum dominis, ignaraque* serviebat. Incognita fuit Imperatoribus Senatorum pars maxima. Reverentia Patrum Magis magisque exuebatur; et, ut plurimum, ne umbra quidem auctoritatus Senatui relicta est. Omnes Provinciae a solis Imperatoribus pependerunt : evanuerat discrimen inter Aerarium et Fiscum et Imperatores plerique ignobili otio Patres diffluere patiebantur et gaudebant. Ita Symmachus (2). « Olim Parentes etiam Patriae negotia quae nunc *angusta* vel *nulla* sunt in familiares paginas conferebant.

(1) CURTIUS *pag.* 130.

(2) Lib. I. epist. 52. Curtius 206 seqq.

Nonnulli tamen Imperatores respectum quemdam habuisse videntur ad dignitatem Senatus; Julianus enim scripsit Senatorum jus eorumque Ordinis dignitatem ab omni injuria defendere oportere, cum se ipse in eorum Ordinem numeraret (1). Valentinianus contra iniquum se praebuit Senatoribus in quos nefariam crudelitatem exercuit (2). Sub Theodosio qui Romae constitutus se omnibus Principem, singulis Senatorem exhibuit, nihil saltem acerbi passus est Senatus. Honorius de gerendo bello, componendaque pace Senatum consuluit; Praesidesque Provinciarum coram S. P. Q. R. gestorum rationem reddere jussit (3). Praeterea Arcadius et Honorius statuere fore ut, qui insidias Senatoribus struerent, lege Julia Majestatis tenerentur, quia partem Corporis ejus esse censebantur (4).

Sub Theodosio et Arcadio Senatusconsulta adhuc de lege aliqua facta fuisse liquet ex Epistola 28 lib. Symmachi ad Theodosium et Arcadium, « Superest, inquit ut ea quae Serenitas vestra Patribus deliberanda legavit, cognito Senatusconsulto lex Augusta confirmet. Haec Aeternitas vestra venerabilis, cum Senatui statuenda mandaret, referri ad se protinus imperavit ut Placita cunctis immortali lege solidentur....... expectamus Oraculum quo salutariter, ut vestro Numini familiare est, Patrum decreta firmetis. »

(1) L. 8. C. de dignit.
(2) Ammianus Marcellinus lib. XXVIII. 1.
(3) Claudianus de laudibus Stiliconis lib. III. p. 182.
(4) L. 5. C. ad Legem Juliam Majestatis.

Sub Theodosio II et Valentiniano III satis laetas pro temporibus fuisse res Patrum patet ex hac epistola (1) humanitatis plena; « Humanum esse probamus, si quid de cetero in publica privatave caussa emerserit necessarium, quod formam generalem et antiquis legibus non insertam exposcat, id ab omnibus antea tam Proceribus nostri Palatii, (*hi vero etiam Senatores erant*) quam gloriosissimo coetu vestro, P. C. tractari, et si universis tam Judicibus quam vobis placuerit, tunc legata dictari, et sic ea denuo collectis omnibus recenseri, et cum omnes consenserint, tunc demum in sacro nostri numinis consistorio recitari, ut universorum consensus nostrae Serenitatis auctoritate firmetur. Scitote igitur P. C. non aliter in posterum legem a nostra Clementia promulgandam, nisi supradicta forma fuerit observata. Bene enim cognoscimus, quod cum vestro consilio fuerit ordinatum, id ad beatitudinem nostri Imperii et ad nostram gloriam redundare. »

Majorianum reverentia coluisse Senatum probat epistola ad Senatum missa (2); « Imperatorem me factum P. C. vestrae electionis arbitrio et fortissimi exercitus ordinatione agnoscite favete nunc Principi quem fecistis.

Sub Regibus Gothorum arctioribus finibus adhuc coarctabatur Senatus Romani potestas et libertas. Theodoricus Senatum proditionis insimulavit et crimini dabat ei, qui de restituenda

(1) Cod. lib. I. tit. XIV. 8.
(2) Leg. Novell. apud Gothofred. p. 150.

Senatus libertate cogitabat. » Cujus criminis arguimur, inquit BOETHIUS (1)? Senatum dicimur salvum esse voluisse.

Quandonam vero interierit Senatus Romanus, non liquido constat. Teste PANCIROLLO (2), Vitteges, Gothorum rex, plerosque Senatores morti dedit, et mox Teias caedi superstites, undique conquisitos, exstinxit. Ast auctore DUMBECHIO (3), paulo post defecit Senatus Romanus, quam interfecto Teia ordinem quietemque restituerat Narces, anno ferme Urbis conditae 1309, post Christum natum 556.

Utcunque autem et quandocunque illud evenerit, verum utique semper erit memorabile hoc Sallustii (4) effatum :

OMNIA ORTA OCCIDUNT, AUCTAQUE SENESCUNT.

(1) De consolatione Philosophiae lib. I. page 9.

(2) Panciroll. Thes. vari. Lect. l. II. c. 8.

(3) Histor. univers. Tabulae Ethnographico-Periodico Synchronisticae etc. p. 26. col. 2.

(4) Bellum Jugurthi. c. 2.

FINIS.

BREVIS CONSPECTUS

TOTIUS HISTORIAE SENATUS ROMANI.

Pag. 1.

INTRODUCTIO.

DE NONNULLIS, QUAE ROMULO ADSCRIBUNTUR, INSTITUTIS, NOMINATIM DE ORIGINE SENATUS ROMANI ET POTESTATIS DISTRIBUTIONE INTER REGEM, SENATUM ET POPULUM.

Pag. 11.

HISTORIA SENATUS ROMANI.

LIBER PRIMUS.

HISTORIA SENATUS SUB REGIBUS.

PERIODUS PRIMA.

A Romulo ad expulsum Tarquinium.

1—244.

In hac periodo quae ducentos quadraginta quatuor annos complectitur, *Senatus cum Romulo natus neque ab eo creatus, firmitatem stabilitatemque acquirit. Senatores tamen, quum suam a Regibus temperatam vident auctoritatem, dominationisque accenduntur studio, jam ab initio Regium Imperium abolere tentant: tandem regnante Tarquinio secundo conatus iterant, resque ex sententia succedit.*

Pag. 29.

LIBER SECUNDUS

HISTORIA SENATUS SUB REPUBLICA.

PERIODUS SECUNDA.

Ab expulso Tarquinio ad Tribunos Plebis.

244—261.

Septemdecim annos complectitur haec periodus qua Senatus nullis circumscripta limitibus potestate, moderate ad Tarquinii mortem, immoderate postea utitur.

Pag. 41.

PERIODUS TERTIA.

A Tribunis Plebis ad Legem Hortensiam.

261—467.

Periodus haec, ducentorum sex annorum complectitur Tribunorum conamina ad mutandam formam Regiminis Aristocraticam, nimiamque Senatus auctoritatem ac potentiam minuendam, conatus artesque varias Senatus ad retinendum pristinum rerum statum, tribunitiasque vires infringendas debilitandasve, faustos iteratorum multoties Tribunorum conaminum exitus, hoc est, Patricii Ordinis praerogativarum interitum, infinitae et immoderatae Senatus auctoritatis imminutionem.

Pag. 91.

PERIODUS QUARTA.

A Lege Hortensia ad Tiberium Gracchum.

467—620.

Hac periodo, quae annos continet centum quinquaginta tres extrinsecus ad altissimum potentiae gradum Senatus adscendit, Regum Populorumque omnium Arbiter et Dominus : intrinsecus vero munia libere exercet, summaque auctoritate res paene cunctas moderatur, non modo non intercedentibus, sed etiam plerumque colludentibus Tribunis. Moderata satis erga Plebem, ante deletam Carthaginem, ejus videtur agendi ratio : postea autem acrius, quam unquam urgere coepit.

Pag. 133.

PERIODUS QUINTA.

A Tribunatu Tib. Gracchi ad ortam Contentionem, seu Bellum Civile inter Marium et Syllam.

620—666.

Hac Periodo, quae quadraginta sex annos complectitur, certamina recrudescunt, studiaque partium inter Populum et Senatum, cujus auctoritas et vis varia fluctuansque fuit, saepe incensa Plebe a Tribunis, Ambitiosisve hominibus. Senatus, immani Gracchorum eorumque fautorum nece, duritie saevitiaque sua Plebis et Militum animos a se alienat, suaque pervicacia omnes parit clades, quae Rempublicam paulo post lacerant evertuntque.

Pag. 148.

PERIODUS SEXTA.

A Bello Civili Syllae et Marii ad finem Reipublicae liberae.

666—727.

Anni sexaginta et unus huic insunt Periodo, qua Senatus vis et auctoritas frangitur labefactaturque, flagrantibus bellis civilibus, Imperium non modo detrectantibus Ducibus, sed et leges praescribentibus, armaque in se et Patriam vertentibus, Senatus sui juris esse desinit, nutui Victoris sese accommodare debet, ut et Ambitiosorum foedera conaminave pati, quorum hi Optimatum, illi Plebis factionem recreant et erigunt. Conatus tamen, sed inutiles infaustosque, fati sibi imminentis declinandi causa, facit Senatus. Etenim caesa una, plures renascebantur cervices. Tandem immensa caede gignitur quies, et inter plures Ambitiosos, fructum ex bellis Civilibus capit unus, quem post parvulam moram, cunctationemque rebus potiri, caeteraque Imperia praeeminere Senatus sinere debet.

Pag. 181.

LIBER TERTIUS.

HISTORIA SENATUS SUB CAESARIBUS.

PERIODUS SEPTIMA.

A septimo Augusti Consulatu ad Diocletianum Imperatorem.

727—1037.

Haec aetas ab Augusto septimum Consule ad Diocletianum aliquanto plus trecentis annis patet. Senatus Augusti instituto Po-

tentia militari privatus ac servitio assuefactus ab illo Principe et Tiberio voluntati Imperatorum ac nutui se accommodare debet : ex quorum ingenio plus minusve potest. Vilescit in dies ejus auctoritas, omnium partes sensim corripere et reliqua jura Senatus usurpare concupiscentibus Imperatoribus. Qua de causa paulatim obsolescunt Senatusconsulta Constitutionesque edere incipiunt Principes.

Jam a primis Caesaribus Senatus Exercitibus et Militibus esse desinit, qui summam rerum dispensare ipsi volunt : ac brevi crescente audacia, Imperioque ad minus bonos translato, omnia susque deque movent evertuntque. Miseranda admodum est Senatorum conditio, in quos teterrimi plerumque et Saevissimi Principes saevitiam adhibent. Sub quibusdam tamen bonis Principibus requies est a malis. Rara autem nec diuturna horum temporum felicitas! Nihilominus per illud temporis spatium Praepotentia Senatus plus minusve in confesso est; plerique enim Imperatores, licet a Milite electi, confirmantur a Senatu : ex quo consectarium illud est, summum Imperium penes Senatum fuisse. At is Ordo, cum inexpugnabilia sibi a Milite Imperatoribusque objicerentur impedimenta, vix sua jura persequi atque exercere potuit.

Pag. 256.

PERIODUS OCTAVA.

A Diocletiano ad interitum Senatus Romani.

1037—1309, post Christum fere 556.

Novus nunc rerum nascitur ordo; mos, institutumque vetus immutatur; Imperium huc usque individuum bini Augusti, duoque

Caesares inter se dispertiuntur. Hactenus plus minusve summum Imperium penes Senatum, id est Senatum non Principis, sed Gentis concilium esse, in confesso fuerat. Discrimen exstiterat inter Provincias Caesaris et Senatus, inter Fiscum et Aerarium, cujus cura ad Senatum spectabat. Boni enim Principes non sibi licere Aerarii pecuniis uti, nisi consentiente Senatu, existimaverant. Magistratuum eligendorum jus penes Senatum item fuerat.

Ex Diocletiano autem omnia mutantur. Provinciae omnes praefecturae fiunt, Senatuique eripiuntur. Evanescit discrimen inter Aerarium et Fiscum. Magistratuum eligendorum exceptis Praetoribus quorum munus grave admodum erat, Jus illi adimitur; ac postquam totum Imperium penes unum fuit, nihil Senatui restitutum est, cujus partem Constantinopolim transtulit Constantinus. Brevi quatuor hae Litterae, S. P. Q. R. ex Labaro Imperatorum exemptae fuerunt, Imperatoresque variorum Magistratuum Imperatoriorum titulos sumere dedignati sunt: et si Paucos admodum exceperis, nullus pristini instituti memor fuit.

Senatus itaque e consilio supremo ea fuit conditio et sors, ut fieret quod vocamus (autorité locale) *atque de solis Urbis Romae negotiis cognosceret, de viis reficiendis, de balneis aliisve operibus exstruendis, de aquaeductibus, cloacis, aliisque minoris momenti rebus* (1).

Caeteroquin illud addere supervacaneum est, hac etiam aetate minorem majoremve ex ingenio Imperatorum Senatus fuisse imbecillitatem. Quandonam vero interierit Senatus Romanus, non liquido constat.

(1) Cf. *Discours Préliminaire de* DUREAU DE LA MALLE; TACITE, *traduction nouvelle 3e édition, Paris* 1818, *t.* 1. *p.* 142.

Variorum variae sunt sententiae. Nonnulli autumant Vittegem Gothorum Regem, plerosque Senatores morti dedisse, et mox Teian caedi superstites exstinxisse : alii contra paulo post defecisse Senatum Romanum, quam interfecto Teia ordinem quietemque restituerat Narces, anno ferme Urbis Conditae 1309, *post Christum natum* 556.

Si qua irrepserint menda typographica ea benevolus corrigat Lector.

